BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
8
36 L
15
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXVIII. 8.15
K.13.

Digitized by Google

OPERA
REGIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMI

ET

POTENTISSIMI

PRINCIPIS

IACOBI,

DEI GRATIA, MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, ET Hiberniæ Regis, Fidei Defensoris,

OPERA,

Edita ab IACOBO *Montacuto, Wintonienſi Epiſcopo, & ſacelli Regij Decano.*

I. REG. 3. 12.

Ecce do tibi animum ſapientem & intelligentem.

LONDINI,

Apud Bonhamum Nortonium, & Ioannem Billium, *Typographos Regios.*

M. DC. XIX.

¶ *Cum priuilegio.*

HIC EST LIBER

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO
PRINCIPI
CAROLO
SERENISSIMI REGIS
FILIO ET HÆREDI.

DEtij ſubmiſsè à Sereniſsimo Rege, vt hunc ſuorum operum librum *Tuæ Celſitudini* offerre liceret. ego non audebam non petere, nec ille poterat non annuere: non dixero rem iniquam, ſi quod *Tuæ Celſitudini* debetur Rex negaſſet. at auſim dicere ſacrilegam, ſi hanc partem hæreditatis tuę, ego Vir eccleſiaſticus expilaſſem; quæ non minus in regiæ ſapientiæ operi-

bus, quam potentiſsimorum regnorum opibus ſita eſt. *Baſilius* de inſtitutione Principis ſcripſit ad filium Leonem; *Conſtantinus* ad Romanum; *Manuel* ad Iohannem; *Carolus* V. ad Philippum. Trium priorum opera græcè extant & latinè. Horum æmulus, multorumque aliorum Regum, *Sereniſsimus parens Baſilicon doron* ſcripſit ad Henricum filium, laudatiſsimæ memoriæ fratrem tuum. quod eius fuit, Deo ſic volente tuæ ſorti accreuit: & quis abſque iniuria cætera detraxerit. Sacra pagina docet *ſanctis primitijs totam maſſam ſanctam eſſe*; & *cui prima darentur illi cætera deberi*. *Tuæ* igitur *Celſ.* hæc dicantur, cui hereditario iure debentur. atque, vt certior eorum conſtet ratio, ſciat *Tua Celſ.* alia antehac edita, alia hactenus ſuppreſſa fuiſſe; alia pæne perdita & amiſſa, alia librariorum incuria deprauata fædataque: maieſtate auctoris & grauitate operum rem indignam. Sed cum Decanis ex officio incumbat diſperſa colligere; non alienum à meo munere exiſtimaui, quo iam olim apud Maieſtatem regiam defungor, quæ iacebant in tenebris proferre in lucem, & quæ in partibus facilè interijſſent conſeruare in toto. Cęterùm oratam volo *Celſ. Tuam*, ne aliorſum hoc donum accipias, ac à nobis offertur: nec enim (vt vulgo fieri apud magnates amat) tutelam à te expetit hic liber, aut patrocinium. Nam aduerſus iniurias expetitur patrocinium; eas regius auctor faciliùs vindicet. Cuſtodiæ igitur cauſa ad *Te* venit, quam naturę ſorte melius prętare potes: & inprimis, vt ſe tibi ſiſtat tanquam exemplar, quod ſequaris. nec id incongruè: exemplar enim imitatione ſolet eſſe antiquius. Tu cuſtos melior quia ſuccedis patri: ille tuorum morum melior formator, quia antecedit. Perpetuò igitur, *Benigniſsime Princeps*, tibi ob oculos verſetur hic liber, optimus,

quem

Digitized by Google

quem tua vita exprimas, archetypus non magis eluceat boni filij decus quàm boni patris imitatione. Testatur hoc sacra pagina, bonos Reges hoc ornans encomio, quod patrum suorum vestigijs inhęserint. quantâ similitudine externa patris lineamenta in te exscripserint *Deus* & *Natura*, vident omnes: & qui *Tuam Celſ.* rectè norunt, lineas animę norunt easdem. Aiunt Philosophi ab indole fluere imitationem: quę si in *Te* indolem sequatur, siue religionis & literarum, seu virtutis amorem spectemus, non magno interuallo distabis à patre, aut optimis maiorum tuorum. quod *Tuæ Celſ.* Deus Opt. Max. cum longa feliciąque vita indulgeat.

Tuæ Celsitudini deuotus

Iacobus Episcopus Vintonienſis.

PRAEFATIO
AD
LECTOREM.

Libris, quorum numero & mole laborat Orbis, pauci eodem tempore vel ſcripti vel publicati fuere. Ea eſt materiæ varietas, vt nonnunquam vno partu edi neceſſe habeat; nonnunquam patiatur interualla. Artem *aliquam membratim tradere nihilo decentius foret, quàm corpus humanum oſtndere diſcerptum.* Hiſtoriam *necdum finitam vulgare, perinde eſt, ac ſi clepſydram priùs vertas quàm effluxerit: neutrobique certa conſtabit temporis ratio. at* loci communes, controuerſiæ, meditationes, commentarij, *& id genus alia, quàm incertas habent ſuſcipiendi occaſiones, tam incertas patiuntur publicationis vices. nec alium exigunt naſcendi, quàm in noſtra mente concipiendi modum habuere. per ſe (vt plurimum) & ſingula intus delineantur; per ſe quoque & ſingula in lucem prodeunt.*

Et in diuinis operibus non vnam eſſe condendi viam, ipſe qui condidit teſtatur. aliam ille in naturæ *fabrica, aliam in* Ceremonijs, *aliam in* politicis, *aliam denique in* mora-

libus *viam ſequutus eſt. & quidem vaſtam hanc* naturæ *molem ſtatim digeſſit in formas rerum. Nam in maſſâ latebant omnium creaturarum ſemina, Creatoris artificio diſtinguenda in ſpecies.* at Ceremonias legis *non ille ex aceruo ſecreuit, ſed acerno complexus eſt; ex partibus componens totum, non totum diuidens in partes. orditur, exempli gratia, à* ſacrificio, *progreditur ad* circunciſionem, *mox* tabernaculum, *denique* templum *conſummato inſtruit ceremoniarum apparratu. In* politicis *incipit à* patre familias, *progreditur ad* ducem exercitus, *vt in Joſua & Judicibus: finis vero eſt* regnum in Salomone, & poſterorum eius ſucceſsione firmatum. *In* Moralibus, vox diuina *primas tenet; ſecundas verò* manus *in Tabulis ſculpendis; Tertias* calamus *in Pentateucho Moſaica deſcribenda: donec ſuccedentium Prophetarum induſtria abſolutiſsimus ille* ſcripturarum canon *perfectus eſt.*

Tum demum non errat humana infirmitas, quùm Deum imitatur. nec mortalibus vitio verti poteſt, quod eorum opera non ſimul edantur, quum tantis temporum interuallis ipſa ſacra volumina prodierint. quid quòd in nobis non deſit ratio, nec ea quidem illi diſsimilis, quæ in diuinis cernitur operibus? nam naturæ opera in nobis radicem habent, & à nobis vim plaſticam, quæ materiam verſat perpetuò atque agitat, donec ſuâ in ſpecie perfecta figurataque extiterit. Quæ conſilio & arte fiunt extra nos ſuæ habent generationis monẽta, ideoque pro temporum occaſionibus ſuſcipiuntur, intermittuntur, inſtaurantur. Quo circa non parua deprehendes inter Naturę artiſque *fætus diſcrimina.* hi *erroribus nimium quantum obnoxij, & ſibi plerumque diſsimiles ſunt, & citò extinguntur.* at natura *rariùs à fine, aut ſimilitudine aberrat; & à celeri interitu, quæ fecit, magis vindicat. Grata denique acceptáque omnibus* Naturæ *opera:* artis *cenſura pro hominum captu aut affectu mitior eſt, aut ſeuerior.*

Quan-

Quanquam autẽm humana opera errori & interpretationi tam obnoxia ſint, & naturâ & editionis tempore tam diuerſa; ſemper tamen laudi fuit ea colligere, inque vnum corpus redigere: vt quantum orbi conferat hæc humanæ ſapientiæ varietas, quamq; diuerſi ſint vnius ingenij fætus, vno quaſi intuitu diſcernamus. nos paucorum exemplo rem illuſtraturi altiùs paulò, & ſuprà ſcribentium vulgus rem repetemus. Laudantur in Scripturis miniſtri Ezechię, *quod ſententias Salomonis collegerint: laudatur* Ieſus Siracides, *quòd aui ſui opera conquiſiuerit at* Ezra *maiorem cæteris meruit gloriam ex Veteris Teſtamenti libris in ordinem digeſtis, inq; capita & verſus diuiſis, quæ antea continuo membranæ volumine circumferebantur. Dicitur* S. Iohannes *tribus prioribus Euangelijs à ſe conquiſitis quartum addidiſſe ſuum, idque eo ordine, quem nunc obſeruat Eccleſia. nec minore diligentiâ defungebatur primitiua Eccleſia circa Diuorum Apoſtolorum epiſtolas: quod cùm vbique per tyrannorum ſæuitiam fieri non poſſet, multarum auctoritas à poſteris agitari cæpta eſt.*

Vt deſcendamus ab hoc ſummo gradu: quantum obſecro ijs obſtricti ſumus, quorum ſtudio & induſtria Concilia & Sanctorum Patrum opera edita fuere? Pænè tantum debemus Hieronymo & Euſebio, *ac Patrum noſtrorum memoria* Eraſmo & Crabbo, *cæteriſque antiquorum operum collectoribus, quantum ipſis auctoribus. Laudatur à Traiano* Plutarchus, *quòd Sapientum apophthegmata collegerit.* Conſtantinus *Leonis filius ex omnibus Orientis Occidentiſq; hiſtorijs vnum corpus fecit: theſaurum ſanè eorum temporum iudicio inæſtimabilem. Idem præſtitit in iure ciuili* Iuſtinianus Cæſar, *Triboniani operâ.* Gratianus *ex Paparum epiſtolis Concilijſque & Patribus decretum contexuit.* Damaſcenus *Theologiæ corpus ex Græcorum Patrum ſententijs abſoluit. Idem è Latinis conatus eſt quadringen-*

dringentis post annis Petrus Lumbardus. *Nos ipsi quanto tenemur studio amissos libros recuperandi? Sex milia voluminum Originis (vt testatur Epiphanius) ingenti cura quærebat* Eusebius. *Libros Ciceronis de Repub.* Cardinalis Polus. *Amissas Liuianæ historiæ decadas multi, nec sine ingenti impensa. cùm igitur omnibus sæculis consuetum fuerit magnorum virorum opera colligere, ea ab interitu vindicare, &, quæ interciderant, exquirere; tum suum cuique auctori tribuere (nec enim vnquam prodijssent tot graculi alienis vestiti plumis, si nemo in mortem distuliſſet suorum operum editionem) spero seruo non datum iri vitio, quòd Domini scripta velit publicata: quodque illa vniuersa nunc exhibeat, quæ antea vix singula erat inuenire; & in toto conseruet, quæ in membris facilè poterant interire.*

Sed dum ego scripta colligo, alij vt audio pari industria verba spargunt; melius fuisse, si nullus à Rege liber scriptus fuisset; aut scriptus pari cum edictis fato interijsset. non esse è Regum dignitate doctores fieri; & pennâ bellum gerere, quod hastâ profligandum est; vel eximias animi dotes in papyrum impendere, quas si nitrato pulueri impendisset, iam regna debellasset. cum homine scholastico certamen inire perinde esse ac si cum Thersite confligeret: illinc dignitate excidere, hinc dedecus acquiri. Et cùm libros scribere iam in quæstus speciem abierit, non minus id dedecere Reges, quam si ex artis alicuius professione quæstum facerent. Quod si ijs stat sententia scribere, Regum more scribant, vt singulæ lineæ sint leges, & elementa mandata, verba præcepta. *His & similibus sic aures (mihi credite) diuerberatæ sunt, vt nesciam, an de me ipso malè statuerim, cùm plus virium mihi esse putaui, vt his dicterijs occurrerem; quàm patientiæ, vt audirem. Opportunè igitur (ni fallor) hoc in loco meam dicam sententiam*, an librum

scribe-

ſcribere ſit à regia dignitate alienum? *In primis nunquam reſcire potui, lege aliqua cautum ne facerent. vbi autem lex nulla eſt, optimorum imitanda ſunt exempla. & multorum eſt Theologorum opinio, exemplis, quæ quidem non ſunt præceptis contraria, non cogi te, vt idem facias: at ſi feceris, defendi. Quod ſi exempla ſufficiant, ea nobis potius ſupererunt, quàm deerunt.*

Et, vt à Rege Regum incipiamus, Deo Opt. Max. qui omnia facit ad noſtrum bonum, multa etiam ad imitationem; viſum eſt illius prudentiæ cæteris in hoc genere præire & ſcribentium agmen ducere. Scripſit ille, & ſcriptio *(ait Moſes)* erat Dei ſcriptio, inſtar eorum quæ cælantur. *materia fuit lapis in duas ſectus tabulas, & tabulæ erant vtrinque exaratæ, ipſius Dei manu. Aiunt Theologi præcipuam animæ ſedem eſſe cor, ſolum Dei opus, vt hæ erant tabulæ.* lapis *noſtri cordis duritiem appoſitè refert:* cælatura *verò, diuinos characteres altiſſimè impreſſos & indelebiles:* ſcriptio, *ſcriptam in cordibus noſtris Dei legem:* duæ tabulę *geminum noſtrum officium, erga Deum, erga homines; quo cordis noſtri area ſic vtrinque occupanda eſt ne quem locum contrarijs relinquat. Certè in exigua hac bibliotheca intra nos à Deo erectâ, fundamentum eſt omnis noſtræ eruditionis: & homines ſe maximo naturæ præſidio putant deſtitutos, ſi nequeant mentis ſuæ cogitata ſcribendo exprimere. nec vlla eſt gens tam rudis aut barbara, quæ non aliquo characterum genere ſenſus animi inuicem communicet, A diuinis tabulis ad Seruatoris noſtri ſcriptionem veniemus, quam ſecundo loco ponere fas eſt, ſi non ordinis, ſaltem honoris cauſa. nullum ille monumentum ſua manu nobis ſcriptum reliquit. Nam charitatis legem alia longè ſcriptam ratione in orbem illaturus erat: non in tabulis lapideis cælatam, nec in papyro exaratam, ſed carneo cordis noſtri opiſthographo diuina dextra inſculptam. at in templi Hieroſolymitani pa-*

uimento

uimento ſemel legitur ſcripſiſſe. quid ſcripſerit adhuc lis eſt ſub iudice. Diuus Ambroſius putat hanc ſcriptam ſententiam. Feſtucam in oculo fratris cernis, trabem in tuo non vides. *Beda eam ipſam credit ſententiam, quam loquutus eſt.* qui veſtrum eſt ſine peccato, primum in illam lapidem iaciat. *pulchrè Haymo* eos ait characteres in pauimento exaratos, quibus inſpectis ſuam improbitatem veluti in ſpeculo accuſatores viderent. *ex quo etiam factum ſit, vt rubore confuſi abierint. Quicquid id erat, certum eſt, arbitro noſtro Seruatore, falſas accuſationes ſcribendas eſſe in puluere, vt à prætereuntibus conculcentur. Etſi autem Seruator noſter nihil ſua manu ſcriptum reliquit, inficias tamen ire non poſſumus, quin Deus pater in veteri teſtamento, & filius in nouo multa nobis à ſe dictata reliquerint. Tota enim ſcriptura inſpiratione diuina ſcripta eſt. ibi Prophetæ & Apoſtoli meri erant amanuenſes, & Spiritu Sancto agente ducenteq; omnia ſcripſerunt. Nec fas eſt alium horum librorum auctorem agnoſcere quàm Deum.*

Vetuſtiſſima mundi ætas nihil ad nos ſcriptum tranſmiſit. nec in tanta mortalium longæuitate ſcripto opus fuit. homines ipſi viuæ erant bibliothecæ, & noſtri ſæculi operibus durabiliores. S. Iudas tamen aliquid inſinuat de ſcriptis Enochi; *qui etſi titulo Rex non fuerit, nihil eſt tamen, cur illi de nomine litem moueamus. merebatur enim honorem appellationis, cui maior pars orbis ceſſit in ditionem. Ex illis, quæ eius nomine circumferebantur, multa citant Origenes, Tertullianus, & Auguſtinus. Joſephus quoque, &, quem nos habemus, Beroſus, duas aiunt ab eo erectas columnas, alteram lapideam, alteram lateritiã, gemino orbis interitu inſcriptas; priore per aquam, poſteriore per flammam. & credibile eſt aliquid ea de re ab Enocho ſcriptum. quod etſi cum mundo interiit, recenti tamen memoriâ vſque ad Apoſtolorum tempora haud dubiè durauit.*

Nec

Nec vrgebo hoc loco Mosis scripta, qui non tantum Sacerdos fuit & Propheta, verum etiam, seipso teste, Rex in populo, & primus, auctore Deo, scriptor Theologus. nec Dauidis exemplo insistam, cuius Psalmis diuinæ vbique cantantur laudes; quando illi nihil scripserint nisi vt Dei amanuenses, non suo, sed diuino spiritu acti afflatique. Illud tamen hinc arbitror non absurdè colligi; si Reges scribere dedeceret, non hos selegisset Deus ad illud ministerium, quos inter Reges voluit esse primos. facilè arbitrer nunquam quicquam edituros de suo, quibus datum est esse Dei amanuensibus: nam sicut piè credimus nunquam potuisse induci Beatam Virginem, quæ ex Spiritu Sancto conceperat, vt cum viro misceretur; sic credibile est nunquam sua publicaturos opera, qui Spiritus Sancti dictata publicassent. In Samuele tamen & Salomone contrarium videre est; illo Iudicum in republ. Israelitica, hoc Regum glorioßissimo. Samuel duorum libroru, qui eius nomen præferunt, maxima saltem ex parte scriptor, tractatum de regia institutione suo edidit arbitrio: in quo regem à tyrannide, populum à licentia reuocare studuit. Salomon præter libros biblicos superstites; suos, qui interierunt, permultos vulgauit. vt omittamus Parabolarum tria, & hymnorum quinque millia; ingens fuit illud opus naturalis historiæ (vt Hebræi appellant) auium, ferarũ, piscium, arborum, plantarum ab hyssopo ad cedrum; sed ad humanarum potius quàm diuinarum rerum notitiam comparatum, & animi causa magis scriptum quàm Ecclesiæ. vnde (si quid veri auguror) naturæ nobis abdita paterent, vt in humanis libris fieri amat; non autem diuinæ gratiæ arcana, quod proprium est sacrorum bibliorum opus. nec est quod dicat aliquis eorum voluminum, quæ interciderunt (obruta vt aiunt Babylonico templi excidio) eandem olim fuisse auctoritatem cum ijs, quæ nunc supersunt. ægrè inducor libros diuino afflatu scriptos, in arca reconditos, in canonem receptos, in Ecclesia publicè legi solitos

peni-

penitus interijſſe. Deſperationis foret de prouidentia Dei, aut fide Eccleſiæ hîc dubitare: nam ſi periere qui non ſunt, cur qui manent nequeant perire? quod cum Seruatoris dicto pugnat, non periturum iota vnum, donec omnia compleantur. Ideoque magis propendeo, vt credam nunc eſſe, quicquid fuit ſcriptura; quàm quicquam perijſſe. Quæ ſententia non tam curioſè defenditur, quàm altera periculosè creditur. Præſtat noſtram agnoſcere inſcitiam, quàm diuinam arguere prouidentiam. at ſi interijt ſacræ Scripturæ quantum illi volunt, actum eſt de prouidentia Dei; actum eſt de fide Eccleſiæ, cui ſacra oracula concredita ſunt. Progrediamur ad ſcripta ab huius controuerſiæ diſcrimine multum remota, eorum Regum, qui à diuina inſpiratione tantum abfuere, vt potiùs cum diſcipulis Iohannis de Spiritu Sancto nihil audiuerint: ignorantes numen, cuius bonitatem toties ſenſerunt; nec credentes omnipotentiam, poſt tantam poteſtatis experientiam.

Vt ab Aſſyrijs incipiamus à primo eorum Imperatore Nimrode, cuius regia erat Babel; ad Sardanapalum, nouiſſimum, nullus literarum apex apparet, nullum veſtigium. nec mirum, ſi barbarie conſeruabatur imperium, quod tyrannide partum fuit. fruſtra ibi literas quæras, vbi perpetua obtinet tyrannis. Earum vis eſt non modò lumen affundere intellectui, ſed animum quoque ad libertatem erigere, quorum neutrum in tyrannide licere poteſt. In Aſſyrio igitur imperio, quod mille & trecentis aut quadringentis annis durauit, non eſt quod doctum regem quæras; cum doctum virum ægrè vllum inuenias. Eam ætatem Poetæ, ſi velint, aut hiſtorici tanquam auream nobis depingant: at aureæ ingeniorum venæ nulla vnquam ætas tam exiguam poſt ſe reliquit memoriam.

Poſt Sardanapalum regnantibus Phul Tiglath-Philaſar & Salmanaſar (horum mentio eſt in ſacris, & Ionas fertur his concionatus, vt etiam Prophetarum nonnulli cum illis

illis iam terram Cananæam ingreſsis familiariùs vixiſſe: quod factum eſt ſub Rege Menahem, qui Phulbelocho tributi nomine mille talenta pendebat; & ſub Ezechia, cùm Salmanazar capta poſt triennalem obſidionẽ Samariâ, Iſraelitas maxima ex parte abduxit captiuos) hoc, inquam, & poſtero tempore Aſſyrij Principes animos literis ita appulerunt, vt imperante Nebuchadnezare, qui Babyloniorum monarchiam fundauit, magno fuerit in pretio doctrina; & in aulâ, vt ludo literario, decora ingenia in optimarum artium ſtudijs educata fuerint, vt eſſent, qui Regi dubitanti de omnibus reſponderent & (niſi nos fallunt hiſtoriæ) ſub Danielis & collegarũ eius ferulâ quinque inſignes Monarchæ diuinarum humanarumq; rerum notitiam hauſere, Nebuchodonozor, Euilmerodac, Baltazar, Darius Medorum, Cyrus Perſarum Reges. quod non ægrè ex ipſo Daniele euincere eſt.

Si ad Perſas perrexeris, quibus maior interceſſit notitia cum Prophetis, Ezra, Nehemia, Zacharia, Malachia, & cum populo iam captiuo, eos optimarum literarum ſtudijs admodum deditos inuenies. Cyrus auctor imperij acta ſua diurna retuliſſe dicitur in commentarios; quibus, Ezra teſte, continentur edicta de reducendis in patriã Iudæis. ad eam rem literas miſit ad principes Aſiæ ciuitates. quarum literarum nonnullas apud Ioſephum inuenias l. 2. c. 1. Perhibentur quoque Artaxerxes, Darius, alijq; Perſarum Reges compluria ſcripſiſſe: quod ex canonicis Ezræ & Nehemiæ libris intelligitur; ſed clarius ex Apocrypho Eſdra, qui hos Reges memorat ita ſe doctrinæ ſtudijs, & ſapientum dictis oblectaſſe; vt in celeberrima quaq; Panegyri certamen Rhetoricum inſtituere conſueuerint, & ſummis, quibus poterant, honoribus victores ornare.

Quòd ſi ab his ad Græcos tranſieris, omne eruditionis genus ſuſpicies in Tropico Cancri, in eam, nempe, altitudinem euectum, in qua neq; ante neq; poſt vnquam fuerat. res eſt notatu.

tu digniſſima veniſſe in orbẽ humana ſtudia, extincta diuinæ ſapientiæ luce; & Poetas cæpiſſe, vbi Prophetæ deſierunt. horum Theologiæ ſuccedente illorum Philoſophia. Vide mihi quadringẽtos illos & amplius annos à captiuitate Babylonica vſq; ad Saluatoris aduentum; neminem (quantũ noui) Prophetã inuenies; Oratores, Poetas, Philoſophos trimodio metieris, & tantus ornatos animi dotibus, vt nos eorum diſcipuli nunc merito ſimus, Magiſtris haud vnquam pares futuri. hoc tempore eruditione & ſcriptis non minùs quàm victorijs claruit Alexander. *Ille* de rebus ſuis in Aſia & India geſtis *ad Antipatrum ſcripſit: vt in eius vita teſtatur Plutarchus.* S. Cyprianus *in tractatu* de vanitate Idolorum *mentionem facit inſignis voluminis ab Alexandro ad matrem ſcripti; in quo teſtetur Alexander ex ſacerdote Ægyptio intellexiſſe ſe,* homines fuiſſe omnes gentilium Deos. *& S. Aug. (lib. 12. de ciuitate Dei) meminit alterius libri eiuſdem Regis ad matrem Olympiadem, de* Monarchiarum ſucceſsione.

E Regibus Syriæ Antiochus, cognomento Epiphanes, multos à ſe ſcriptos libros in Iudæam miſit, de religione Iudaica mutanda in Græcam. præcipua eorum capita in libris Machabæorum, & apud Ioſephum videre eſt. at Romanorum Imperatorum quis non literis famã meruit? Iulius Cæſar præter alia multa Cõmentarios *exemplo Cyri ſcripſit. Octauius complura volumina (teſte Suetonio)* Hiſtoriã ſuæ vitę, hortationes ad Philoſophiã, verſus heroicos, epigrãmata, Tragędias, & c. *De hoc Cæſare duo mihi referenda ſunt, nec à meo inſtituto (vt opinor) aliena. fertur ille magna cura Græcos Latinoſq; libros de religione Romana conquiſiuiſſe, fatidicorum, hariolorum, mathematicorum. quorum authores minus idonei videbantur, circiter bis mille exuſſit: Sibillina oracula retinuit; ſed eo delectu, vt ſuppoſititia omnia cremauerit. quod eò magis refero, vt noſter Auguſtus exemplum ſequutus inquiſitione facta laudatos auctores ab*

inte-

interitu vindicet, hæreticorum ſchedas, libellos famoſos, & omne ineptiarum genus Vulcano tradat. nihil enim eſt, quod populi huius animos in religione magis conturbet aut corrumpat, quàm promiſcua omnium librorum licentiâ.

Secundo loco mihi referenda eſt illa Cæſaris Auguſti in ara Capitolina Chriſto facta inſcriptio, Nicephoro commemorata & Suidæ in verbo Auguſtus, *Cæſar Auguſtus, multis rebus gloriosè & fæliciter geſtis, partoque Imperatoris nomine, ad Apollinem venit: immolataque hecatomba (quod omnium ſacrificiorum maximum erat) de ſucceſſore Deum conſuluit. At cùm nihil reſponſum eſſet, iteratâ hoſtiâ, quæſiuit quamobrem nunc ſileret, qui antea verborum parcus nunquam fuiſſet? magna interiecta mora hæc ex adyto audita ſunt:*

Me puer Hebræus, Diuos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede iubet, triſtemque redire ſub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus diſcedito noſtris.

Hoc reſponſo accepto Romam reuerſus eſt: & aram in Capitolio cæteris maiorem erexit, his inſcriptam verbis: Ara primogeniti Dei. *Noſter Auguſtus, quo regnante in virilem ætatẽ adoleuit Chriſtus, qui ſub priore Auguſto puerilẽ tranſegit; de ſucceſſore ſuo non laborat (Deo laus ſit, qui eum ſuâ eáq; fæliciſſima ſobole beatiorem fecit Auguſto) ſed de æterno Chriſti imperio in ſuis terris ſollicitus diuina conſuluit oracula; compertóque, vnicum tantum altare Dei vnigenito, beato in ſæcula, erigendum eſſe; quantum poteſt laborat,* vt homo ille peccati ſede cedat, & ſub Orcũ redeat: *qui, Athenienſium æmulus, ignotis Dijs altaria non ceſſat dedicare; & ſuppoſititijs Sanctis plures preces & ſuffitus offerre, quàm gẽtes olim Dijs ſuis, quos ignorabant. Sed reuertamur: Claudius Cæſar vnam hanc virtutem ſuis miſcuit vitijs, quòd libros ſcripſerit non malos. tam multos Græcos edidiſſe auctor eſt Suetonius, vt & ludum Alexandriæ aperuerit de ſuo nomi-*

ne, in quo iſti libri quotannis prælegerentur. Latinos verò quadraginta tres, à cæde Cæſaris ad ſua tempora hiſtoriam complexos. In Ethnicorũ Cæſarum ſcriptis recenſenda finem non inuenirem: pro Chriſtianis Conſtantini exemplum ſuffecerit. Euſebius vitam eius perſequitur cum cura; & ſine inuidia meminit eruditionis; quotq; orationibus & ſermonibus ſubditos miniſtroſq; ad probam piamq; vitam hortatus fuerit; quot noctes meditationibus Theologicis tranſegerit inſomnes; quæ verba in principio & fine Concilij Nicæni habuerit at celebris illa ad Sanctorum cætum oratio, pronunciata ab ipſo Latinè, poſt à varijs conuerſa in Græcum, quantam gloriam literis conſequutus fuerit, abundè teſtatur.

Verùm à peregrinis iſtis Imperatoribus reuertamur in patriam, ad domi natos Reges. Alfredus Occiduorum Saxonum Rex in linguam Anglicam tranſtulit Paulum Oroſium, & S. Gregorium de cura Paſtorali, *eiuſdemq; auctoris* dialogos: Bedam *præterea* de actis Anglorum, & Boethium de Conſolatione Philoſophiæ, & Dauidis Pſalmos, *cum alijs permultis.* Aduerſus improbos iudices codicem iuris *ſcripſit* & Inſtitutiones; dicta *etiam* ſapientum & de Regũ fortuna *librum ſingularem cum* Chronicorum faſciculo & Meditationum enchiridio.

Etheiſtanus, vel (vt alijs placet) Adelſtanus Rex Anglorum (vt loquitur Balæus) Biblia curauit ex Hebraica in Saxonicam linguam transferri: ipſe librum de Aſtrologia *conſcripſit*, & conſtitutiones Cleri. *antiquas leges multas emendauit, multas ſanxit nouas.*

Edgarus Rex Clero Anglico leges & conſtitutiones ſcripſit cum quibuſdam alijs. Henricus primus Gulielmi Normanni filius natu minimus, in Cantabrigienſi Academia educatus, ex artium ſcientiarumq; inſigni notitia cognomẽtum Beauclerk *meruit quod etiamnum durat.*

Achaius Scotorum Rex maiorum ſuorum hiſtoriam contexuit.

texuit. Kennethus vero, Scotorum Iuſtinianus, omnes leges in vnum volumen redegit.

Iacobus primus non pauca ligatâ oratione reliquit, & Anglica, & Latina. Baleus auctor eſt eum de futura vxore *tractatum exaraſſe.*

Henricus octauus de hominis Chriſtiani *&* de iuuentutis inſtitutione *ſcripſit, &* pro ſeptem ſacramentis aduerſus Martinum Lutherum. *quo nomine à Pontifice, earumque partium hominibus, non laudem modò conſequutus eſt, ſed &* fidei defenſoris *celebrem titulum. fæliciter ſanè, quòd hîc à Pontifice Rex ſteterit: aliàs, eius ſcripta pari cum actis virulentia traducerentur. Poſt enim, duos publicauit libros, nihilo prioribus deteriores, ſiue ſtilum ſiue argumentum ſpectemus; hunc* de auctoritate regia contra Papam; *illum* de Concilio Mantuano ſententiam ſuam. *in quibus, quia aliud quiddam ſpirare viſus eſt, Pontificem non habuit famæ ſuæ tubicinem.*

Edouardus ſextus in tanta vitæ breuitate, qua eximias animi dotes mundo explicare non potuit, hiſtoriam tamen ſui temporis ſcripſit & tractatus tres lingua Gallica, de fide, de idololatria *ſeu imaginum cultu, &* de Papę primatu; *quos Duci Somerſetenſi auunculo ſuo inſcripſit:* Epiſtolas *etiam &* orationes Græcas Latinaſque *varias conſcripſit, in bibliotheca regia ſuperſtites; quas eruditus fiduſque bibliothecæ regiæ curator* Patricius Iunius *regiâ auctoris manu cõſcriptas mihi monſtrauit. & quod reticendum non eſt, tanta animi attentione Concionatoribus auſcultabat ſuauiſſimus Princeps, vt adhuc extent ab ipſo ſcripta, quæ è concionibus ſacris excerpſit, addito Concionatoris nomine, cum loco, & tempore, & cæteris circumſtantijs.*

Nupera Regina noſtra, beatæ memoriæ Elizabetha, preces Catharinæ Reginę *tranſtulit in Latinam linguam, Gallicamq; & Italicam.* Centuriam ſententiarum *à ſe*

collectam & triplici similiter idiomate scriptam, patri inscripsit. translatum audiui Salustium, non vidi. at in recenti sunt memoria Orationes eius Latinæ in vtraque Academia; responsa quæ variarum gentium legatis non vno reddidit idiomate: & Orationes habitæ in regni Comitijs, ab interitu typis assertæ. Et vt ad Regem nostrum propius accedamus, Valerius Maximus à patre eius translatus est. Mater institutionem Principis Gallicis versibus persecuta est. ipsum autographum inuolucro acu materna picto, filius auro contra & gemmis æstimat.

Septi hac nube clarissimorum testium (& hi pauci sunt, præ illis qui adduci possent) & summorum Principum muniti exemplis, à mundi principio ad nostra tempora, qui scribendo non minùs quàm agendo famam quæsiuerunt, & literis non minùs quàm victorijs, & prudenter dictis, quàm fortiter factis claresc ere studuerunt, cur rem nouam & inusitatam censebimus, si Rex noster Serenissimus, quem Deus Opt. Max. eximijs adeo naturæ dotibus, incredibiliq; ac diuina quadam mentis acie beauit (ita vt literatissimus mihiq; longè amicissimus Dominus Petrus Iunius à Seaton Eques, Serenissimæ Maiestati suæ olim à studijs & legationibus, nũc verò à consilijs & eleemosynis in regno Scotiæ, non immerito Orbis admirator vocare soleat) ex vberrimo eruditionis suæ fonte pauculos hosce riuulos mundo indulgeat? Laudo aduersariorum nostrorum prudentiam, qui improba diligentiâ, sed frustra omnia experti, quibus eum in suas partes traherent; tandem si nihil aliud, certè silentium illi persuadere conati sunt; vt omnibus irritis fallacijs, hoc saltem abeo impetrarent, si nollet eos rebus iuuare, verbis nocere intermitteret. Dicterijs igitur oblatrant scriptis regijs, nec tam scripta ipsa reprehendunt, quàm quòd scripta sint. Imò verò Rex scribens ijs pro monstro est. Hi homines malam causam non stultè agunt. Longo rerum vsu perceperunt regnum Christi

esse

eſſe pacis Euangelium, & potius Apoſtolorum pennis ab initio propagatum, quam vi Principum; & ſuauiloquis Patrum calamis plus auctum, quàm minacibus Tyrannorum edictis ſupreſſum. & Papatui ſuo nuper ab vno Monacho plus detractum viderunt, quàm à multis Principibus potentiſſimis poſſit reſtitui. Cùm igitur tenues iſti, & homines de Schola, Chriſti regnum in tantum extulerint, & myſterium iniquitatis nudauerint; non abſque cauſa metuunt, quis tandem ſcriptionis huiuſce regiæ exitus futurus ſit.

Gladium eius non extimeſcunt; hic in tuto ſunt: at ne ſpiritu eius ſiderentur, vix ac ne vix cauent. Si qua poſſent Maieſtatem eius ab hoc bellandi genere auertere (nam à ſanguine fundendo vident illum naturæ bonitate abhorrere) maiorem hinc ducerent triumphum, quam ex Americæ Indiæq; conuerſionibus, de quibus tam liberaliter fabulantur. Libros eius intuentur vt cometas; ſtupore pauoreque defixi, quid portendant tandem noui; qualemque in orbe mutationem ſuâ influentiâ parituri ſint. nec eos ſua fefellit expectatio. Qualiter hominum animos libri regij permorint, nos ipſi oculati teſtes ſumus. à ſummo conclaui ad imas vſque cellas numerantur, qui eorum lectione conuerſi ſunt: & nobis potius deſunt tam multis alendis opes, quàm ijs animus ad nos tranſeundi. Sed vt quod propoſui (Regibus licere ſcribere) tandem concludam, liceat veſtris auribus hanc meditationem meam deponere.

Quot perpetuandæ memoriæ vias commenti ſunt homines, vt ſeipſos diuinitate quoq; donauerint, quo colerentur vt viui qui diem obierant? vbi cernitur impetus naturæ fortior, quàm in ſpeciei propagatione? quorſum picturæ, niſi vt ſuperſtes ſit corporis ſimilitudo? quorſũ ædificiorũ ſplendor niſi vt incolarũ ſplendorem teſtentur? quorſum xenodochia & noſocomia, niſi vt in animis hominũ noſtra perẽnet pietas? & Re-

gem

gẽ fortunatũ dicemus, quẽ videbimus superstitẽ in liberis; aut intuentes picturam eius, lineamenta corporis mirabimur; aut superbas ædes suspicientes, prædicabimus magnificentiã, & non potius in diuinis eius scriptis subtilissimum amabimus ingenium, exactissimum iudicium, vberrimam memoriam, mirificos affectus? certè inscitiæ est in homine id mimini facere, quo longissimè viuit: aut corporis opera mirari, ingenij cultum negligere: pluriſque in eo æstimare, quo parum aut nihil instruit, quàm quo semper prodest. Quid nunc de Cæsare reliquum est cum Commentarijs conferendum? quid de Cicerone cum orationibus? Quî factus est Seneca maior Nerone? aut Aristoteles Alexandro? huius triumphi & victoriæ marcuerunt, illius virtus etiamnum germinat, floretque. Cætera tempore roduntur consumunturque: at ingenij monumenta tempore valescunt, & quo antiquiora tanto dixeris meliora.

Postquam dixi sententiam, nec illicitum esse Regibus nec indecorũ scribere; *sed quod alijs licet illis quoque licere, si vacet; vt specimen ingenij dent in præsens, consulant famæ in futurum, laudem sibi quærant in populo, gloriam Deo: iam date veniam, si aliam iniero viam. fortè enim dicent* non tam traduci Reges scribendi nomine, quam argumento. nec enim Principibus viris, altissimoque in loco constitutis vilem propositam esse materiam, qua ingenia deterant, laboremúe in tricis ludant, sed ex rebus maximis famam ac gloriam quærendam. *Et sanè, si ego dignus forem qui Regibus consulerẽ, parcè illis admodùm, nec nisi grauissimas ob causas polemica censerem tractanda; rarò confligerent nisi in acie. Vt enim summa sit eorum in scribendo modestia, remq; ipsam solùm pertractent, aduersariorum vitijs prorsus dissimulatis; nescio tamen quo pacto in omnibus controuersijs fieri soleat, vt idoneam videaris iræ causam præbuisse, si tantum*

aduer-

aduerſario ſolidè reſponderis. Et dum erit hæc opinionum varietas, nunquam deerit confutandi materia; qua litigandi viciſſitudine magis expoſita eſt & obnoxia iniuriæ, Regis quàm Scholaſtici hominis perſona. Regem facilius eſt ferire, euidentiorem, puta, amplioremque metam & quanquam ab eo aberrent, nec quod reprehendant quicquam inueniant; operæ tamen pretium ducunt cutem eius ſtringere, vibicem in facie relinquere. Sin de pietate, de moribus, de Repub., de arcanis naturæ, de rebus geſtis ſcribant Reges, laudamus ſine inuidia eorum ingenia, & induſtriam ſine iniuria miramur. Ægrè accommodatius huius rei exemplum, quàm in noſtri Regis operibus inueneris. Quum publici iuris feciſſet Baſilicon doron, *librum refertiorem ſaluberrimis conſilijs, quam eſt malum Punicum acinis, quos hominum meruit applauſus? quàm ille omnium animos in admirationem amoremq; ſui rapuit? cum eo tempore veniſſet liber in hominum manus, quo auctor in hoc regnum venit, omnes ſubditi vno ore bona dicere; & Regem non minus eruditionis & religionis, quam iuris & poteſtatis nomine vereri. eorum enim bonorum primitias tùm guſtauimus; quorum meſſem longè vberrimam ex eo tempore meſſuimus, ſub prudentiſſimo & clementiſsimo Optimi Principis imperio. Idem de* Dæmonologiâ *confirmare liceret, opere profectò rariſsimo, ſiue experimenta phyſica, ſeu præcepta Theologica reſpicias. Ex his nil niſi alta pax & clara ſerenitas. nulla frontium aut iudiciorum nubecula conſpecta eſt. Vt primùm verò Papam oppugnare cæpit, & cum Cardinale pedem contulit, illius tyrannidem orbi nudans, huius fallacias; Deus bone, quantus fremitus exortus eſt, quantus à Baſane taurorum mugitus, quantus vbique gentium tumultus? non temerè in Europa populum aut linguam reperias, vnde non aliquid reſponſum eſt, aut confutantium aut conuiciantium more, niſi Rex pro ſua ſingulari*

con-

conſtantia contempſiſſet dicteria, & potius in luſum riſumúe vertere, quam ad animum admittere ea talia ſtatuiſſet, exquiſitiſsimos illos regiæ mentis ſenſus non potuiſſent non percellere. Quid tum poſtea? Optabimuſne iam, Regem nunquam cum beſtijs Epheſi congreſſum fuiſſe, mugientis tauri os nunquam obturaſſe, Cardinali denique nunquam obuiam iuiſſe? Certè cùm indigniſſimas illas & incredibiles recogito iniurias, quas ab illis hominibus perpeſſus eſt, in eam inclino ſententiam. At cùm Maieſtatis ſuæ zelum, pro Dei gloria, pro Regum iure; cùm admirabilem eius in vtraque cauſa agenda peritiam, cùm fæliciſſimum actionis exitum à Deo Opt. Max conceſſum expendo; non poſſum non priorem meam ſententiam mutare. Vt mihi veſtra addam ſuffragia, referam ſine fraude, qua occaſione Rex hoc negotium ſuſceperit: tum vos arbitros faciam, annon ipſo Deo auctore eò fuerit impulſus. Saluatoris noſtri dictum eſt, nihil occultum eſſe quod non innoteſcet, nihil in tenebris dici, quod non audietur in luce. hoc pronunciatum in vnius libri editione Rex ſibi veriſſimum compertum ſcribit. Ego in plurium editione idem illi affirmem eueniſſe. Poſtquam enim Pontifex ſua breuia diuulgaſſet, & Cardinalis ſuas ad Archipresbyterum literas; ille iuramentum fidelitatis tanquam æternæ ſaluti contrarium populo diſſuadens, hic Archi-presbyterum, quòd iuraſſet, redarguens, vt ad fœdiſſimi lapſus pœnitentiam eum vocaret; Rex noſter Sereniſſimus, pro ſua ſingulari prudentia & religione, non putauit ſilentio talia ſibi probanda; ſed populum potius erudiendum arbitratus eſt, non periclitari videlicet animas iureiurando, quo tantum de ciuili ſubditorum obedientia caueretur; & intactis hominum conſcientijs Reſpubl. tantùm de ſuorum ciuium fide fieret ſecura. Huic negotio aptiſsimum iudi-

cauit

cauit Wintonienſem tum Epiſcopum, virum eruditione celebrem, & qui in ſimili argumento multam ante poſuerat operam. nec mora, poſtulato calamo & atramento, cùm vellet Rex Epiſcopo breuibus indicare, qua ratione negotium tractandum foret, neſcio quomodo amphora facta eſt, quæ vrceus cæpit inſtitui. Ea enim fuit ſtili Regij velocitas, vt ante ſex dies Apologiam ſuam appellatam abſoluerit. quam Archiepiſcopus Cantuarienſis & Elienſis Antiſtes ſedulò perlectam, & Papæ & Cardinali pro iuſto reſponſo ſufficere arbitrati ſunt: quanquam Regiæ Maieſtati nihil aliud propoſitum fuerit, quàm ſumma rerum capita quaſi digito monſtrare, quæ vberiùs & fuſiùs à Wintonienſi Epiſcopo cupiebat explicata. tandem impetratum eſt, ſuppreſſo tamen nomine, vt ederetur, ita Apologiam regiam præter Regis inſtitutum habemus.

Editâ Apologiâ viſum eſt Regiæ Maieſtati non ſemel profiteri, quid in animo haberet. ſi Papa & Cardinalis reſponſo non acquieſcerent, nec iuramentum fidelitatis pro ciuilis obedientiæ ſacramento admitterent; Tum verò ſe ſuo addito nomine vulgaturum Apologiam cum Præfatione monitoria ad omnes Chriſtianos Principes; in qua facta ſuæ fidei confeſſione, & nudato iniquitatis myſterio, Principibus ſuaderet, ſuam ſibi poteſtatem ita aſſererent, vt Papam illius controuerſiæ æternùm pæniteret & Bullæ eius aliquando tineis in eſcam cederent. Lite igitur à Cardinale aduerſus Apologiam intentatâ exequutus eſt Rex conſilium, & Monitoriam præfationem vna ſeptimana volente expediuit: nam qua fælicitate confecta ſit aliorum eſt iudicium (vt Hirtius de Cæſaris commentarijs) qua celeritate ego teſtis ſum. nec promiſſo defuit. Vtrumque enim ſcriptum ſuo addito nomine publicauit, & ad Imperatorem, omneſque Chriſtiani orbis Principes tranſmiſit.

Re,

Re, vt gesta est, breuiter relata, pretium est curæ quæ sequuta sunt, mecum expendere. Constat primò nullam inuentam Remp. cui Regis sententia de Regio iure displicuit. Venetos & scripto & opere asseruisse, Doctores Sorbonicos in Gallia idem censuisse.

Secundò, tam fæde errasse, qui contradixerunt, vt à suis etiam correcti emendatique fuerint: Becani librum à Cardinalibus Romæ castratum fuisse: Bellarmini Parisijs exustum: Suaresij responsum eodem ibi fato functum. Sanniones iudicio diuino relinquo, cuius vindicem manum plerique ex eo experti sunt.

Tertiò confessionem fidei regiæ sic passim fuisse receptam, vt aduersarum partium non pauci conuersi sint: & absque tractatu de Antichristo fuisset, ex multis audiui, longè plures totam præfationem fuisse approbaturos.

Quartò, Reges & Principes monitione regia oculatiores factos, vt tyrannidem Pontificis sæcularem clariùs videant, quàm priùs. Neque sanè antehac in orbe Christiano illa controuersia ad viuum vnquam resecta fuit.

Vltimò, quod ad Antichristum attinet, multi mihi fassi sunt plus sibi ex libro regio lucis obortum, plus veri ex sacri contextus consensu, & vi interpretationis affulsisse, quã vnquã priùs. Fateor controuersias magis Scholis quàm Regibus conuenire. at vbi eiusmodi vrget necessitas, & successus inceptum commendat, nullius arbitrium defugio, ni diuina manus sese operi immiserit. Cæterùm cùm ab hac parte de Antichristo initium fecerim, libet pauca dicere de paraphrasi regiâ in Apocalypsin, *vnde præcipua illius partis fundamenta desumpta sunt. Eximia quidem est Regis nostri in omni literarum genere peritia; at in illius libri intellectu illi præter cæteros mortales alluxit Deus suæ sapientiæ facem. hæc* paraphrasis *vt loco inter opera regia,*

ita

ita ætate prima eſt, ante vigeſimum ætatis annum conſcripta; cæteris eo ordine ſequentibus, quo ſingula nata ſunt. Prophetæ antiquitus Regum ſomnia viſioneſque interpretabantur, vt Joſepus in Aegypto, Pharaonis; Daniel Babylone, Nebuchadnezaris: at hoc ſæculo Prophetarum viſiones interpretantur Reges. Excitabantur Prophetæ à Deo, qui illa interpretantes populum liberarent de temporali Ægypti & Babylonis ſeruitute. Hoc ſæculo ſuſcitati ſunt Reges, qui hæc interpretantes ſpiritualis Aegypti & Babylonis iugo populum expediant. Obſeruatu digna res eſt, ſine celebri prophetia nihil vnquam magnum à Deo fuiſſe promiſſum. Tria ſunt quorum mentio paſſim in ſacris occurrit, inſignia promiſſa, Meſſiæ, terræ Cananææ, & regni cælorum. Meſſiam ſpoponderunt omnes Prophetæ à lapſu primi Adæ vſque aduentum ſecundi: terram Cananæam Jacobus, Joſephus, cæteríque à fœdere cum Abrahamo icto ad Joſuam, & Iſraelitarum in eam terram ingreſſum. vitam æternam à Chriſto promiſſam Apoſtoli præſertim Diuus Paulus & Sanctus Ioannes in Apocalypſi. Apprehendere hæc promiſſa eſt omnium: intelligere vaticinia paucorum. quemadmodum ad omnes quidem pios ſpectat illa in hoc libro vitæ æternæ promiſsio, ad pauciſsimos verò prophetiarum intellectio, queis ſtatus Eccleſiæ ab Hieroſolymorum excidio ad finem mundi exactiſsimè deſcribitur. Hoc auſim fidenter dicere, Regum plus intereſſe hunc librum, quàm cæterorum. fortè etiam rectiùs ab ijs explicantur vaticinia, quorum dextra ferè omnia peraguntur: cumque eorum præcipue opera & miniſterio Deus Antichriſti regno opibus, vrbi, ibi interitum minetur; videtur à diuina prudentia non abludere eorum præcipuè mentibus verum illius libri in-

tellectum inſpirare, quorum manibus pleraque omnia illius libri facienda ſunt : donec ipſe Dominus oris ſui ſpiritu Antichriſtum, & vrbem diſſlauerit ; & ſui aduentus ſplendore vtrumque abſumpſerit. Vix arbitror quenquam Regum, inde à ſcripto libro vſque ad hoc ſæculum, extitiſſe, qui tantum in eo aut laborauerit aut profecerit, ac noſter. quod ex ipſius paraphraſi, *ex* meditationibus *in caput libri vigeſimum, & ex* Monitoria præfatione *facile perſpicitur. Conſtitueram omnia Regis opera percurrere, ſingulorum argumenta, ſcribendique cauſas indicare ; niſi ex iis, quæ iam dixi, moleſtum me fore conijcerem. Sufficiat digna eſſe Rege, digna poſteris. Si potuit Ouidius diuinare nullo tempore abolendas* Metamorphoſes, *quæ mera erant figmenta ; quanto magis fas erit de huius libri æternitate ſperare, quem tanta commendat diuinæ veritatis lux? Quemadmodum autem in* paraphraſi, *primo ſuo opere, teſtatam fecit Maieſtas ſua pietatem ; ſic in oratione habita in* Camerâ ſtellatâ, *opere nouiſſimo, ſpecimen prudentiæ ciuilis exhibuit. Ea quæ ſunt regni Dei oſtendit ſibi eſſe familiaria in primo : neque ſe eſſe in ſuis regnis hoſpitem ſatis perſuadet in vltimo. ex illo conſtat, quanta illum maneat portio in cæleſti regno : ex hoc verò, quantam habeat poteſtatem & experientiam in terrenis. Quotquot igitur illum geſtiunt deprimere, quem Deus exaltauit ; aut eius ſanguinem fundere, cuius nomen ſcriptum eſt in libro vitæ ; ſcribant illi, quicquid antiqui Serpentis verſutia, aut Satanæ malignitas ſuggeſſerit ; eructent verba diriora aſpidum venenis : at nihil vnquam poterunt Regiæ ipſius Maieſtati detrahere, quo appareat minor. nunquam oſtendent ſuarum partium Regem ſic omni ex parte abſolutum.*

ſolutum. Fateor paucos noſtræ profeſſionis Reges in Britannia fuiſſe. at his qui fuerunt cæterorum nemo par inuentus eſt, ſeu dotes naturæ, ſeu literarum decus, ſeu dona gratiæ reſpicias.

Edouardi ſexti laudes decurtat vitæ breuitas, quam illi Deus conceſſit. Sed rarò vllius Regis initia tam ſplendida aut decora fuere.

Elizabethæ Reginæ longæuitas regnandique fælicitas ſuis gloriæ fuit, orbi admirationi, aduerſarijs quoque noſtris (vt Moſes loquitur) arbitris. Decurrunt præſentia tempora (laus ſit Deo) pari fælicitate; at ſecuritate maiore. Liceat nobis; vel vt Regem incitemus, eam viam porrò velit inſiſtere quam fæliciter inijt; liceat inquam recolere, quæ à Deo per illum habemus bona; vt vt aduerſarij perſuaſum nobis velint (ea enim quorundam fuit impudentia) homines nos eſſe miſerrimos. nec eſt quod cuiuſquam reprehenſionem verear, nil locuturus, niſi verum; accerſitoq; è ſcripturis exemplo, quibus bonorum Regum acta ad æternam auctorum laudem conſignantur.

Vt à religione ordiamur, cui meritò in cæleſtium donorum acie primus defertur locus; ea nobis permanſit eadem. Varia erant hominum ſtudia, Rege ad nos primitus veniente, dum hi pro Papiſtis, illi pro Puritanis ſtarent: prima illius cura erat Euangelij confirmatio. itaque ad pacem Eccleſiæ ſtabiliendam Colloquium Hamptonia in aula inſtitutum eſt, vbi Papiſtis præteritis, quibus ne minimum vnquam cedere illi animus fuit, ad eam temperiem & harmoniam Puritanos deduxit, quæ ex eo inter nos melior durauit.

Firmata religione, proxima erat cura Bibliorum tranſlatio, quibus religionis veritas innititur, vt populus ea Scripturæ ſynceritate frueretur, quam do-

diſſimorum virorum induſtria præſtare valeret.

Sic defunctus ſereniſſimus Rex ſpirituali Eccleſiæ curatione, ad temporalia eius damna conuerſus eſt : & cùm à maioribus ſuis expilatam aduertiſſet eius hæreditatem, conducentibus ſacra prædia in longius tempus, quàm aliis liceret (ea Regum erat prærogatiua) ipſe ſtatim in primis regni Comitijs ſe in ordinem redegit, antiquato illo ſceptri priuilegio; ne quid ſibi ſupra vulgus in ſacrum patrimonium indulgeret.

Ab Anglia deinde in Scotiam reſpexit, reformatoque ibi Eccleſiæ ſtatu, quantum tempora ea ferre videbantur; Epiſcopos vt claubus ſuis, ita patrimonijs antiquis reſtituit: idque cum inſigni to ſceptri, prouentuumq; regiorum damno.

Hinc prouidentiæ ſuæ oculos in Hiberniam tranſmiſit; ad id vſque tempus miſeram neglectámque prouinciam, ſeu ſpiritualia ſeu temporalia bona expendas. Reductis Epiſcopis non modò antiqua prædia reſtituit, ſed multa adiecit noua. & nunc ſanè cum ditiſſimis Angliæ plerique epiſcopatus Hibernici contendi queunt. nec in ſummis ſubſtitit regia cura: ad infima quoque Eccleſiæ deſcendit. Beneficiorum æſtimationes vetuit creſcere. calumnias ex iure ſuſtulit, quibus Clero creabatur negotium aut vexatio.

Ad Scholas quoque & Ptochodochia pertinuit regia benignitas. ceſſit Rex iure ſuo vt illi diteſcerent. itaque ſub ipſo ſumptuoſiora & ſplendidiora extitere opera, quàm vllo ſæculo priore.

Vnum obliuiſci nequeo. nunquam ille, ex quo regnum hoc inijt, in ſuos fiſcos inferri paſſus eſt eccleſiarum cenſus, vacante ſede, ſed velut fidus depoſitarius eos ſucceſſoribus intactos reliquit.

Non incommodus erit ab eius pietate ad pacem tranſitus,

quæ

Digitized by Google

quæ eo regnante tanta fuit in Christiano orbe, quanta à Saluatoris nostri sæculo audita non est : nec aliâ vllâ re sub sole magis ea hactenus constitit, quàm Sereniſſimi nostri Regis interuentu. Pax domi tam sancta (nam gentes exteras taceo) vt in tribus hisce regnis & indole & consuetudine satis superque procacibus, nulla sub eo extiterint ciuilia arma. Cum pace affluxit copia; quæ duo nisi mentes nos priuarint, nescio certè quid desit nobis. nec interea quisquam conqueritur iustitiam deficere. nec enim vnquam ius dictum est liberius, si Regem spectes; aut sanctius si Judices. triumphat nihilominus in continuâ iuris dispensatione clementia. Si hanc vocent miseriam, fateor nescire me, quid illis sit prosperitas. Deus Opt. Max. hæc nobis propria esse velit: illi interea quicquid lubeat felicitatem arbitrentur.

Verùm ego mihi scire videor, cur in Anglia omnia sint misera: quia nempe Pontificis Romani Catholicis non plus exhibetur misericordiæ. At ego vel hoc solo nomine Regem Jacobum palmam supra omnes Reges meritum contendo. cui cum in coniuratione sulphurea tanta vltionis occasio oblata foret, nullius sanguinem effundi voluit, qui non manum horrendo operi admouerat. cæteros misericordia à iustissima pœna absoluit. Ante hoc nefandum Papisticæ immanitatis scelus, nullus Romanensium Catholicorum aut damnum corporis sensit aut crumenæ. Ex eo tempore conquerantur illi sanè de sua miseria, at sanè sub onere eorum peruicaciæ Ecclesia & Respubl gemunt. Ego illis nihil opto deterius, quàm vt Regiâ patientiâ trahantur ad pœnitentiam. nam vt eos olim reliquimus, ne calamitates ipsorum participaremus, ita Deum oramus ad nos iam veniant, quò nostram participent beatitudinem.

Vt præfationis nostræ tandem finis sit. Deus nobis

Regem dedit, Salomonem, quem præter cæteros instruxit ſapientiâ: ſapientia ei pacem attulit, pax opes, opes gloriam. Sapientiam verbis & factis prodidit, pacem armis conſeruauit, opes patrimonio ſuo & claſſe parauit; gloriam hæc omnia peperere. Vt autem in his rebus Salomon à Deo ſupra omnes Reges euectus eſt, ita in cæteris eadem fere proportione deiectus eſt. vide horrendum eius lapſum, qualem vix in ſcripturis reperias. vide impuram vitam & immodicam Venerem, qualem nec vlla prodidit hiſtoria. vide progeniem inopem mentis, & prudentiæ ciuilis; qualem nec ſuggerat tota ſtirpis illius ſucceſsio. Ita voluit Deus, in hiſce quidem, illum proponere tanquam exemplar humanæ fragilitatis. in illis verò, typum gloriæ vnigeniti Meſſiæ. Typica eius dignitas eximia eſt, nec quenquam viuentium admittit in conſortium. at priuati hominis dignitate (Deo laus ſit) ſuperiores ſumus. Conſtantiam enim Sereniſſimi noſtri in ſancta profeſsione iam vidimus; ſine labe, ſine metu leuitatis; & diutius quidem, quàm de tota Salomonis vita aut imperio nobis conſtat. non timemus, ne peregrinæ mulieres animum eius à diuino cultu alienent. nec habemus Pharaonis regis idololatræ filiam: ſed Reginam vt regij, ſic religioſi ſtemmatis; & vt thori, ſic Euangelij conſortem, veræ modeſtiæ & benignitatis ſpeculum. cuius virtutes neſcias an populus miretur magis, an amet. matrem eiuſmodi prolis, cuius maſculæ non metuas ſtultitiam, nec fæmineæ leuitatem: quæ res (ſi Iudæis credimus) Salomonem impulit, vt in Prouerbijs *toties* ſtulti filij *meminerit, &* petulantium fæminarum; *vt qui pudicitiam filiarum ſuſpectam habuerit, & filij diſipientiam viderit. At Sereniſsimo noſtro filius à Deo relictus eſt vt corporis effigie ita animi ſimilitudine (vt verbo*

expe-

expediam) alter idem. filia verò ea pietate, virtute, modeſtiâ, quæ domi amorem, foris admirationem pariunt. Reſtant mihi exorandi regiorum operum lectores vt Deum Optimum Maximum orent, qui nos cæleſti veritatis theſauro beauit, terreſtriumq; bonorum affluentia in Rege ſacratiſſimo, Regina præſtantiſsima, prole eximia; idem per ſuam in Chriſto miſericordiam nos ſereno vultu reſpiciat; illis, eorumque poſteris regnantibus, donec illud regnum venerit, cuius nullus erit finis

AMEN.

Tuus in Domino,

Iacobus Epiſcopus Vintonienſis.

CHRISTIANAE ECCLESIÆ VBIVIS GENTIVM MILITANTI.

Araphraſis hæc noſtra *in Apocalypſin*, quibus potius inſcribi debet, *Chriſtiani Lectores*, quàm vobis, genuinis earum Eccleſiarum poſteris, ad quas erudiendas ſolandaſque ipſa Apocalypſis, Spiritu Sancto dictante, per Iohannem Apoſtolum eius amanuenſem, magnum illum Theologum & vnicè Domino noſtro dilectum, ſcripta fuit? Mirum haud dubiè multis videbitur, quenquam meæ ætatis, & ordinis, & ſcientiæ rem Theologicam tam obſcuram & ſublimem ſuſcipere. ſed excuſationis loco ſit votum hoc meum, vt veritatis manifeſtatione ipſe proficiam, alijs proſim. In mentem quoque venerat, quot noſtræ ætatis homines, præiudicatis mancipati opinionibus, huius libri interpretationem aggreſsi ſint, ideo tantùm, vt ad ſuos affectus illius ſenſum torquerent, quum mihi (teſtor fidem) hoc ſolum propoſitum ſit, meam omnem operam ad ſacram amuſsim exigere, & ad mentem cœleſtis auctoris meam mentem formare,

Digitized by Google

quę me cauſæ ad hoc opus impulerunt: non vt alios innumeros prę me contemnam, qui ad Dei gloriam & grande Eccleſię ſolamen magnam (fateor) huc lucem affuderunt: quin potiùs, vt ipſe crebra reuolutione, & ſeria meditatione (quẽadmodũ in hoc labore par erat) familiariorem mihi hunc librum facerem; quem ego, contra Papiſticum aduerſariorum noſtrorum vallum, arietem eximium & pręcipuum ſemper æſtimaui. Sciant hi, nihil hîc datum meis coniecturis, nihil alienæ auctoritati: ſed eiuſmodi expoſitionem allatam eſſe, quæ & ſecum non pugnet, & cum epiſtolæ methodo optimè conueniat; nempe, aut ex ipſa Apocalypſi, aut aliis Scripturæ partibus collectam: quod, me tacente, res ipſa ſatis teſtabitur. Vnicum igitur aduerſarios deprecor, ne quam meæ interpretationis partem priùs refutent, quàm probabiliorem ipſimet inuenerint; cum integro ſcilicet libri contextu, & ſerie temporum conuenientiorem: vbi autem veritatem audiuerint, conſcientiæ ſuæ teſtimonio ne refragentur, ſed Deo dent gloriam: quam ego vnicam mei laboris mercedem poſco. Hoc tamen vos volo præmonitos, *Chriſtiani lectores*, Iohannem à nobis vbique loquentem induci, vt breuior eſſet, & facilior hæc diſſertatio: non vt cæterorum commentarijs reiectis (abſit eiuſmodi faſtus ſuſpicio) omnem meæ paraphraſi fidem arrogem. quanquam enim, illius perſonam aſſumens, nonniſi vnum vnius loci ſenſum adferre queam; cæteros tamen non accuſo, quibus per me quidem integrum erit, eundem locum multis modis exponere; ſed ea conditione, vt cum methodo ſacri contextus, & temporum ſerie, & fidei analogia omnes congruant. etenim, his tribus obſeruatis, nonnunquam contingat diuerſos de iiſdem diuerſa ſentire, & tamen omnia veritati & menti S. Spiritus ad vnguem conſona: quod ex ipſo verborum

contextu

contextu ſatis liquet. nam cap. 17. Angelus exponens Ioanni ſeptem capita beſtiæ, egreſſæ de mari, *ſeptem* (inquit) *capita beſtiæ, quæ vidiſti, ſunt ſeptem montes, ſunt quoque ſeptem Reges.* vbi apparet rem vnam duobus modis, valdeque inter ſe diſparatis explicari; & ambobus verè. Sapientibus ſuus in eiuſmodi rebus guſtus eſt relinquendus, modo legibus à me iam poſitis ſe coerceri patiantur. verbi gratia, vocem hebraicam *Armageddon* 16. cap. & ſexta phiala, etſi ego interpreter *ruinam per fraudem*, nempe ex ערמגדון, *gnarma* & *geddon*, quod ab hiſtoria nihil abludit; quia eſt nomen loci, ait Iohannes, vbi dolo Satanæ, triumque eius ſpirituum, coeuntes impij, nempe cum fidelibus bellaturi, omnes diuina manu interierunt: & ſic *per fraudem* accerſita eſt illis ruina. alij tamen ea voce *ſtragem per aquas* denotari volunt; tanquam חר-מי & גדון *harma* & *geddon*; quod etiam cum hiſtoria ſatis congruit. nam *aquæ* non ſemel in hoc libro populorum & gentium inundationes ſignificant; vt apparet ex contextu cap. 17. Alij denique ad ſtragem inimicorum Dei, factam à Ioſua in monte *Mageddon*, alludi cenſent: quaſi ex *har* componeretur, quod montem ſignificat; & *Mageddon*: quod etiam ab hiſtoria nihil habet alienum. Simile quoque eſt de *Gog* & *Magog* iudicium cap. 20. alijſque id genus in hoc libro ambiguis.

Quod ſupereſt; quicquid in mea Paraphraſi erratum eſt, id ætatulæ & impolitiæ meæ adſcribi volo; quod laude dignum occurret, id Deo, cui laus omnis debetur & honos.

VALETE.

Digitized by Google

ARGVMENTVM TOTIVS EPISTOLAE.

Vlti veterum, & nominatim Eusebius, controuersiam huic libro vel epistolæ Apocalypseos mouerunt, vt cuius nec author, nec canonica constaret authoritas. Cui quæstioni nihil necesse est me immorari, quum Neotericorum plerique, & præter cæteros, Beza in huius libri proœmio, eam quantum satis est tractauerint. Vnicus modò scrupulus reliquus est, ita videri quibusdã obscurum hunc librũ & mysticum, vt exiguo aut nullo cum fructu doceri vel exponi posse autument: quibus quum breuiter respondero, de libri methodo dicere aggrediar. Sed vt rem paulò altiùs, & ab ouo repetamus; primò sciendum est, in quas partes scriptura diuidatur præcipuas; deinde, cui parti hic liber accenseri debeat. Vt primum creationis priuilegio omnibus numeris absolutus factus est Adamus, libertate arbitrij in bonum & malum, vitæque & mortis electione donatus, teterrimam fecit à Deo apostasiam; maluitq; turpiter mori, quam sanctè viuere: vnde duplicis peccati contagione infecti posteri, originalis & actualis. Deus tamen, amore humani generis, opificij nimirum sui excellentissimi, adque suam effigiati imaginem, ex illis sibi Ecclesiam secreuit; cuius Infantiam, incredulitate & debilitate nutantem, viua primùm voce ipsemet instituit; deinde virorum insignium, quos ijs præfecit, pædagogio. hos populi rectores tantis ornauit dotibus, vt non modò exemplo vitæ infirmis præirent; sed etiam miraculis eorum fidem sisterent, & firmarent. Verùm, ne aliquando creatoris sui obliuiscerentur homines, vt Deos facerent quos Deus suæ voluntatis ministros constituit, & ab eorum ore toti penderent, legem ipse viua voce dictauit populo, eamque in tabulas referri, perpetuaque memoriæ custodia

perennare

Digitized by Google

perennare voluit. quæ ne quando excideret animis, vel iaceret neglecta, pios inter eos rectores excitauit, tam Ecclesiasticos quàm politicos, qui sanctitate vitæ, & miraculorum efficaciâ, vitam vigoremque legis in eorum cordibus continuò renouarent. at cum nihilo minùs in profunda vitiorum præcipites ruerent (sic nititur in vetitum humani ingenij ingratitudo) Prophetas excitauit, prater cæteros, Ieremiam, & Danielem; qui flagitia populi redarguerent, & de futuris per visiones eum certiorem facerent: vt pij sese conuerterent, armarentq;: impij fierent inexcusabiles. & hæc de testamento veteri. Quum verò Deus, frustra omnibus tentatis, promiscuum impietatis contagium eorum moribus obrepsisse cerneret; vt vel ægrè vnus inueniretur, qui non flecteret genua Baali: tùm inscrutabili sua sapientia vnigenitum filium, & Verbum, Dominum Iesum carne induit, vt Patrum fidem morte sua & passione ratam faceret (eorum enim salus Messiæ venturi fide subnixa erat) & apertam planamque gratiæ viam toti deinceps orbi sterneret. tunc quasi in renouatum orbem, renouatamque Ecclesiam redintegrata est in hominem paterna Dei cura, vberiore quàm anteà gratiæ mensura, quod filij sui charissimi merita respiceret. Tum primùm Christus sua voce mortales erudijt, & miraculis doctrinam firmauit, & ad legem fidei promulgandam, vitaque & miraculis stabiliendam Apostolos excitauit: denique, obrepente licet apostasiâ, vnum ex illis, videlicet Iohannem, ad huius libri scriptionem suo animauit spiritu: vt (quod sub vetere lege Ieremias & Daniel fecere) mundum simul accusaret flagitij, & contra ventura tentationum discrimina muniret Ecclesiam. Res ipsa indicat, quàm vtilis sit huic sæculo liber iste, vltimam diuinæ voluntatis reuelationem continens, post quam nulla amplius prophetia mortalibus expectanda est. Cessabunt deinceps vaticinia: cessabunt miracula: legeque iam data & prophetis acquiescendum erit: vt nos docet Christus in parabola Diuitis & Lazari. Quòd ad methodum sacræ epistolæ; scripta est septem Ecclesijs Asiæ minoris, quas tribus primis capitib. figillatim compellat, & alloquitur; subque earum nominibus veros earum successores, totamque Ecclesiam vbiuis terrarum militantem. Scriptionis autem huiusce sex partes commodè possunt statui: laus nempe & vituperium septem Ecclesiarum, iuxta earum merita bona malaue, tum quibus modis sua vitia debeant corrigere, & hæc tribus primis capitibus. &, vt inexcusabiles fiant si quando relabantur, ob oculos ponit totius ecclesiæ eo tempore militantis conditionem, qualisque illa ad sæculi consummationem, & in æternitatis triumpho post hanc vitam futura sit. Tres hæ partes vltimæ visionibus quibusdam in reliquâ declarantur epistola; nempe, præsens Ecclesiæ conditio, qualisque ad sæculi consummationem futura sit; primò quidem breuiter in sex primis figillis sexto & septimo cap. dein fusius in 8°. 9°. 10°. 11°. in septem tubis è septimo prodeuntib⁹ figillo. &, quia inter primum secundumq; Christi aduentum nulla accidet grauior tentatio tyrannide & superstitione Papali, copiosiùs & manifesti⁹ eam depingit in visione fœminæ in deserto, & bestiarum è mari & terra emergentium 12°. 13°. 14°. cap. Sed

vt

vt desperabundos erigat, quos metus erat tentationi tam ingenti succumbere; in sequente phialarum visione, quæ Papam eiusque assecias pœnæ maneant subindicat: pòst, multò quàm antè clariùs, Papam depingit, clademq; illius cum terræ moerore, cælique coniunctam lætitia. quæ omnia vt hominum memoriæ altius imprimat, & infigat, in noua visione eorum summam proponit, videlicet de præsenti & futuro militantis Ecclesiæ statu, vbi dies indicij breuiter describitur. Denique perseueraturis in veritate, & prædicta tentationum incommoda superaturis, mercedē, quæ in sacra illa æternaq; Hierusalem & in triumphante Ecclesia habenda est, in visione proponit: breui & neruoso subiuncto epilogo.

SYNOP-

Digitized by Google

SYNOPSIS REGIORVM OPERVM

IVXTA TEMPORVM, QVIBVS singula ſcripta erant, ſeriem, & huius libri ordinem.

PARAPHRASIS *Apocalypſeos.* *Pag.* 1.

Binæ Meditationes,
- *Prior in* 7. 8. 9. & 10. *verſ. cap.* 20. *Apocalyps.* *pag.* 56
- *Poſterior in* 25. 26. 27. 28. & 29. *cap.* 15. *Chronic.* *pag.* 75

Dæmonologiæ *Libri tres* *pag.* 85
Baſilicon Doron *pag.* 127
Ius liberæ Monarchiæ *pag.* 177
Miſocapnus, *de abuſu Tobacci* *pag.* 200
Coniuratio *Sulphurea* *pag.* 209

¶ Nota hos tres tractatus ſuppreſſo Regis nomine ab initio fuiſſe publicatos.

Apologia pro iuramento Fidelitatis; *quæ primo quidem* ΑΝΩΝΥΜΩΣ *& ſola edebatur, deinde verò expreſſo Authoris nomine, & adiecta monitoria præfatione.* *pag.* 237

Monitoria Præfatio *Anglicè & Latinè ab ipſo Rege conſcripta.* *pag.* 283

Proteſtatio

Protestatio Antiuorstia *Gallicè ab Authore edita* pag. 251
Pro iure Regio *aduersus Cardinalem Perronium. Rex edidit Gallicè.* pag. 409

Sex Orationes.
- Prima, *habita in conuentu Ordinum regni Angliæ.* ANNO 1603. *pa.* 483
- Secunda, *ibidem.* An. 1605. *pag* 487
- Tertia, *in Albaula.* An. 1607. *pag.* 507
- Quarta, *ibidem.* An. 1609. *pag.* 523
- Quinta, *in Camera Stellata.* An. 1616. *pag.* 544
- Sexta, *in Conuentu Ordinum regni Scotiæ,* An. 1617. *pag.* 563

Meditatio *in Orationem Dominicam.* pag. 575.

PARA-

Digitized by Google

PARAPHRASIS APOCALYPSEOS S. IOANNIS APOSTOLI

CHAP. I.

Libri auctor & ſcriptor. eius vſus. ejus inſcriptio ſeptem Eccleſijs ſub myſterio ſeptem candelabrorum, & totidem ſtellarum.

DEVS pater filio ſuo & verbo, Ieſu Chriſto, in mandatis dedit Angelum aut miniſtrum ad me Ioannem, ſeruum ſuum, mittere; et per eum mihi patefacere, quæ breui ventura ſunt, vt mea opera maturè præmoneantur electi: 2 Qui teſtatus ſum verum eſſe Dei verbum: & Ieſum Chriſtum eſſe, & fuiſſe teſtem omni exceptione maiorem: & quæ vidi omnia fideliter retuli. 3 Beati qui legunt, & intelligunt prophetiam hanc, & ad eam ſe maturè attemperant: breui enim implebitur. 4 Mihi injunctum eſt, vobis præcipuè eam explicare, ſeptem Eccleſijs Aſiæ, cum quibus ſit gratia, & pax ab æterno Patre, & Spiritu ſancto, 5 Et ab Ieſu Chriſto, teſte illo fido, primogenito mortuorum, magno orbis terrarum Rege, & ſuæ Eccleſiæ capite: qui pro eo, quo nos amore complexus eſt, ſanguinis ſui lauacro innocentes reddidit, in opere redemptionis. 6 Ei igitur, qui nos, ſpirituales Reges & Sacerdotes, honore & ſanctitate amictos voluit, & ad ſui patris gloriam inſtituit, ſit gloria & robur in ſæcula ſæculorum: amen. 7 Perſuadete vobis de cœlis rediturum illum, honore & maieſtate omnibus conſpicuum. ipſi quoque impij, quanquam inuiti, eum agnoſcent, quem omni odio antè perſecuti fuerant: & totus orbis ſuam coram illo ingratitudinem recognoſcet: amen. 8 Ego ſum ille æternus, ait Dominus, cuj omnia præterita & futura ſunt præſentia: Ego ſum vnus rerum opifex, ſine mutatione idem qui fui; & certò certiùs, vt promiſi, reuertar. nec minus om-

Chriſtus crucifixus.

1. Cor. 2.

nipotens sum, quàm æternus; & ante orbem omnia dispósuj. 9 Ego Ioannes frater vester in carne; & socius vester tam in Christi seruitio, quàm crucis patientiâ; propter Dei verbum, & Christi testimonium ita exosus, vt vitæ tuendæ causâ solus in solam Insulam hanc Pathmon, fugere coactus sim. 10 Die Dominico, Seruatoris nostri gloriæ dicato, spiritu raptus sum: tum audiuj post me, qui diceret: Conuertere, & ad Domini, tanquam tubæ, vocem animum aduerte: nam de militantis Ecclesię prælio dicturus erat, his verbis; 11 Ego sum *Alpha* & *Omega*, primus & nouissimus. Scribe in libro, quę vides: & mitte ad septem Ecclesias Asiæ, quarum nomina sunt *Ephesus*, *Smyrna*, *Pergamus*, *Thyatira*, *Sardis*, *Philadelphia*, & *Laodicæa*. 12 Conuersus autem, vt vocem viderem, septem adspexi candelabra, quibus Ecclesiæ totidem notabantur. 13 In medio candelabrorum stabat, qui filium hominis repræsentabat; veste talari indutus, ad grauitatem; & pręcinctus mammillas zonâ aureâ, ad gloriam. 14 Caput & capilli candore lanam æquabant, & niuem; qui innocentiæ color erat: oculi eius ardebant, adinstar ignis; vt facilè omnituentem eius sapientiam agnosceres. 15 Pedes æneos habebat, lucentesque, vt in fornace; vnde æternitatem eius dijudicares. vocem habebat, vt sonum multarum aquarum: vnde eius in iubendo maiestas intelligebatur. 16 In dextrâ autem, vbi electis datur consistere, septem stellas habebat: quibus septem Angeli, aut ecclesiarum pastores notabantur. Ex ore autem eius prodibat gladius anceps: verbi erat ille gladius, qui non est nisi ab illo: at facies eius instar habebat Solis, splendidissimè lucentis. inde enim est lux omnis, qua humani intellectus cæcitas illuminatur. 17 Cùm autem eum adspexissem, decidi ad pedes eius, tanquam mortuus. sed ille salutari dextra me erexit, & comiter affatus: noli, inquit, timere; nam ego sum primus, & nouissimus. 18 Quique olim tam verè mortuus fui, quàm nunc viuo, cuius rei testem appello: at nunc æternùm viuo; morte & inferno per mortem meam deuictis. mihi soli datum est claues seruare, quibus ad vtrumque aperitur via. 19 Neque aliam ob causam nunc venj, nisi vt tibi iniungam, quæ vidisti, omnia conscribas: nam breui euenient.

Exilium Ioannis in Pathmo, & apocalypsis ibi scripta.

Ver. 10.

Psal. 53. Esai. 4. Matth. 3. Ierem. 1. 15. Esai. 17.

Heb. 1. 10. Ephes. 6. Esai. 60. Mat. 7.

Psal. 63. Psal. 139.

Christus resurrexit a morte. Tim. 1. Heb. 2.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

Monitio, hortatióque ad eccleſias Epheſi, Smyrnæ, Pergami, & Thyatiræ.

ANgelo igitur, qui eſt eccleſiæ Epheſinæ paſtor, hoc ſcribe: Qui ſeptem ſtellas, vel ſeptem paſtores amicâ dextræ ſuæ vi & ope ſuſtentat; & inter ſeptem illa aurea candelabra ambulat, ſeptem eccleſijs excubans, hæc dicit tibi: 2 Noui opera tua, & laborem tuum, & tolerantiam tuam: & quod improbos tecum conuerſari non paſſus fueris: ſed explorâris eos, qui ſe dicunt in eccleſia Epheſina apoſtolos, cum non ſint: & mendaces eſſe deprehenderis. 3 Tu quoque magno grauaris onere: & patienter id tuliſti; & mei nominis amore multùm laboraſti; nec tamen defatigatus es. 4 Sed eò tecum expoſtulem neceſſe eſt, quòd charitas tua refrixerit. 5 Recognoſce ergo vnde excideris: &, pœnitentiâ actâ, tete ad priora opera conuerte. aliàs, ego iram meam citò in te vertam: & de loco, in quo eſt, mouebo candelabrum; ipſum Euangelij lumen de eccleſia tua, ni maturè reſipueris. 6 Veruntamen bene facis, quòd facta Nicolaitarum oderis, quæ & ego odi. 7 Quiſquis habet aures, nec iuuitus me ſequitur, is audiat; & ſibi ex ijs exemplum ſumat, quę Dei Spiritus dicit ſeptem eccleſijs; vel earum nomine ſeptem paſtoribus. In hoc aduerſus Satanam bello dabo victori edere de arbore vitæ, quæ eſt in medio Paradiſj Dei; eum perennis in cœlis vitæ compotem facturus. 8 Angelo verò vel paſtori eccleſiæ Smyrnæę ſcribe: Hæc dicit primus & vltimus, qui erat mortuus, ſed nunc viuit: 9 Noui opera tua, afflictionem tuam & paupertatem. ſed diues es; ſcilicet, gratiæ. noui etiam quibus blaſphemijs in te vſi fuerint, qui ſibi Iudæorum nomen falſò arrogant, quum ad Satanæ ſynagogam prorſus pertineant. 10 Quoties a Diabolo inquietatus fueris, noli expaueſcere: ille nonnullos veſtrum carnę affliget, & perſequetur, vt exploratior fiat conſtantia veſtra: & rebus prememini aduerſis ad decem dies, nempe ad aliquod temporis ſpatium. Sed veſtra fides in mortem duret: & perſeuerantiæ præmium dabo vobis, coronam perennis vitæ. 12 Qui habet aures audiat, quid Spiritus dicat eccleſijs. Qui vicerit non lædetur à morte ſecunda, quæ eſt infernus. 13 Angelo verò aut paſtori eccleſiæ Pergamenſis ſcribe; Hæc dicit, qui habet gladium ancipitem; noui opera tua; & vbi habitas, nempe vbi thronus eſt Satanæ; in impiorum colluuie: non tamen fidem in me tuam abnegaſti, ne quidem ijs temporum anguſtijs, quibus Antipas, martyr ille meus fidelis, occiſus eſt apud vos; vbi manet Satanas; nempe improborum hominum ſentina. 14 Sunt tamen nonnulla quæ vobiſcum expoſtulem. quòd patiamini inter vos hærere, qui doctrinæ Balaam etiamnum adhærent:

Cap. 1. ver. 10 Pſal. 63. Cap. 1.

Pſeudapoſtoli in Epheſina Eccleſia.

Eius excidium niſi pœnitentiam egerit.

Cap. 1. Ioh. 12. 35.

Nicolaitæ, Prou. 15. Matth. 23.

Epheſ. 1. 3.

Eccleſia Smyrnæa afflicta, ſed non oppreſſa. Pſal. 91.

Pergamus prima Attalicæ vrbs.

Antipas martyr.

qui perſuadent hominibus, vt de ijs comedant, quæ idolis immolantur; ſcortationeſque & impuras carnis libidines conſectentur: eadem nanque Balaaco conſulebat Balaamus, vt Iſraelitis ſcandalum obijceret
1.Cor.10.14. 15 Peccas quoque, dum pateris inter vos viuere, qui doctrinam Nicolaitarum tenent, quam ego odi. 16 Reſipiſce igitur tempeſtiuè: ſin minùs, veniam aduerſus te cito; eos, qui inter vos ſunt, proſtraturus gladio oris mei; videlicet, verbi mei virtute. 17 Qui habet aures ad audiendum, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſijs. Victori dabo edere de occulto illo & abſcondito manna; me ipſo, inquam, ſpirituali fidelium alimento: cuius erat typus manna illud in arca repoſitum. Calculum quoque illi dabo candidum; electionis, ſeu imputatæ iuſtitiæ teſſeram; & inibi nouum inſcriptum nomen. Putà, nomen eius conſignabitur in libro vitæ: quod nemo nouit, niſi qui accipit: nam electionis certitudo ſoli electo perſpecta eſt. 18 Angelo vero aut paſtori eccleſiæ Thyatyrenſis ſcribe: Hæc dicit filius Dei, cui oculi ſunt inſtar flammarum ignis, pedes vero inſtar æris ſplendentis. 19 Noui opera tua, & charitatem, & eleemoſynam, & ſedulam infirmorum procurationem, fidem tuam, patientiam, & in ſumma, quæcunque facis: ſed inprimis mihi grata eſt conſtantia, & perſeuerantia tua, eouſque tenax propoſiti, vt vltima tua opera meliora ſint primis. 20 Sed habeo aduerſus te pauca; nempe, quòd mulierem quandam, impietate & idolatriâ alteram Iezabelem, patiaris ſe pro prophetiſſa gerere; docentẽ, ſeducentemque ſeruos meos, vt ſcortationibus & impuris corporis libidinibus ſe polluant; & de ijs edant, quæ idolis immolata ſunt. 21 Nihilominus illi tempus indulſi, quo impuritatis ſuæ pœnitentiam ageret, & noluit. 22 Ecce igitur, ego illam in lectum abijciam; in peccatorum ſuorum volutabro eam oppreſſurus: & grauiſſimis eos affligam malis, qui cum ea mœchantur, niſi tempeſtiuè reſipuerint. 23 Liberos autem eius occidam, & delebo; nempe vniuerſos impiæ doctrinæ ſequaces; vt omnes eccleſiæ & fideles intelligant, mihi omnium cordium peruia eſſe arcana: & à me, iuſtiſſimo brabeuta, præmia ſingulis ſecundum opera ſua eſſe expectanda. 24 At vobis dico, quotquot Thyatyræ eſtis mendacis illius doctrinæ exortes, nec abyſſum illum, & Satanicæ iniquitatis, cui ſe affines eſſe alij falsò negarunt, myſterium nouiſtis: non aliud vobis onus imponam, quàm quod conſtanter etiam nunc fertis: 25 Scilicet, vt, quod habetis, vſque in meum aduentum viriliter retineatis. 26 Nam qui vicerit, & onus à me impoſitum vſque ad finem tulerit, dabo illi poteſtatem in gentes: vt de mundo debellato triumphet. 27 Ille gentes reget ferrea virga: & conterentur vt vaſa fictilia, quemadmodum ego poteſtatem a Patre meo nactus ſum. 28 Ego illi Phoſphorum dabo: nam vt cæteris aſtris lucidior eſt Phoſphorus, ſic præfulgida erit illius inter æquales gloria. 29 Qui habet aures ad audiendum audiat, quid Spiritus dicat Eccleſijs.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

Admonitio hortatioque ad Eccleſias Sardium, Philadelphiæ, & Laodiceæ.

ANgelo autem vel Paſtori Eccleſiæ Sardienſis ſcribe: Hæc dicit, qui ſeptem Dei ſpiritus habet; nempe, cui Spiritus ſanctus indiuiduo nexu coniunctus eſt; penes quem eſt diſpenſare electis Spiritus Dei dona; quique ſeptem ſtellas habet: nempe, cui vos ſeptem paſtores, vt capiti, ſubeſtis. Noui opera tua: nam dicitis vos viuere, & mortuj eſtis: fides enim veſtra ſterilis facta eſt. 2 Eſtote igitur vigilantes: & expergiſcimini è deſidiæ veſtræ & ſecuritatis ſomno: ſtabilite de integro, quod in vobis emortuum eſt; reſtaurantes zelum ardoremque pietatis, quæ in vobis refrixit, & pęnè iam extincta eſt. Nam certè opera tua non ita ſancta & pura deprehendi, vt coram Deo periculum examinis ſuſtineant. 3 Memento igitur, quæ ſemel acceperis & audieris, vt ea obſerues & reſipiſcas. Quod niſi, vt prędmonui, vigilaueris; veniam furis more: vos enim nec opinantes opprimet dies ille probationis, ni omni loco & tempore in procinctu ſitis. 4 Habetis tamen nonnulla capita Sardibus; ſpectabiles nimirum homines, qui non inquinauerunt veſtimenta ſua; nec, cæterorum exemplo, mores ſuos deturparunt. Ideoque mecum incedent candidatj; nempe meę innocentiæ merito veſtitj: digni enim ſunt. 5 Qui vicerit, amictu candido imputatæ ſanctitatis amicietur. Nec nomen eius e libro vitæ expungam, ſed coram Patre meo eiuſque Angelis eum inter meos agnoſcam. 6 Qui habet aures ad audiendum, audiat quid Spiritus dicat Eccleſijs. 7 Sed Angelo vel Paſtori eccleſiæ Philadelphienſis ſcribe: Hæc dicit ille, penes quem vnum eſt ſanctitas, & veritas, & claues Dauidis; qui aperit & nemo claudit; clauditque & nemo aperit; vt ait Eſaias. Nam vt Dauid regiâ & propheticâ dignitate typus mej fuerat; ſic ego veritas & conſummatio illius typi, ſolus poſſideo ſpirituales illas claues, abſoluendj, damnandique in æternum. 8 Noui opera tua: ecce propoſui in tuo conſpectu oſtium apertum, quod nemo poſſit claudere: quia ſecretum illud electionis & reprobationis arbitrium mihi ſoli ſeruauj. Vobis verò hoc ideo gratificarj voluj, quòd virtutis & honeſti nonnihil retinueritis; verbum enim meum obſeruaſtis; & non negaſtis nomen meum. 9 Ecce igitur, ego illos, qui ſunt de Satanæ ſynagoga, tuo ſubdam arbitrio: illos intelligo, qui ſe Iudæos mentiuntur, quum nihil minùs ſint. Faciam, inquam, vt veniant, & adorent ante pedes tuos; & nolentes volenteſque ſciant te mihi cordi fuiſſe. 10 Et hæc tibi ſtatui benefacere: quia laborum meorum & tolerantiæ nuncium conſtanter ſeruaſti. Idcirco ego te è periculo vindicabo, vt incolas terræ iudices. 11 Ecce venio citò, propterea vſque in finem

Sardeis

Philadelphia.

Cap. 22.

conſerua bonum quod habes ; ne quis alius tuâ coronâ & mercede potiatur. 12 Qui vicerit, faciam, vt is ſit columna in templo Dei mej : nempe inſtrumentum architectonicum, & ſtabile in Eccleſia ; vnde nunquam exterminabitur ; nunquam enim reijcitur, qui ſemel eligitur. Et nomen Dei inſcribam illi : nempe, ſigillum & characterem electionis circunferet ; et vocabulum ciuitatis Dei, quæ eſt noua illa Hieruſalem ; videlicet ſacer ille & beatus Angelorum & Sanctorum cœtus, cœlitùs veniens à Deo meo, cuius certus erit & citus deſcenſus ad generalis iudicij comitia. Illum quoque meo nomine inſigniam : nam vniuerſalem illam humani generis redemptionem illi nominatim applicabo ; & ſic nouo meo nomine inſigniam ; nimirum, *Redemptoris* & *Saluatoris* : cuius ego nominis honorem patiendo, moriendo, reſurgendo mihi non ita pridem acquiſiui. 13 Qui habet aures ad audiendum, audiat quid Spiritus dicat Eccleſijs. 14 At Angelo vel Paſtorj Eccleſię Laodicæę ſcribe ; Hæc dicit, *Amen*, ille ex aſſe ſanctus, & vbique tenax promiſſi ; teſtis ille fidelis & principium opificij Dei : tum quia ipſe eſt verbum illud omnicreans, & ſic cunctarum rerum principium, quæ ab eo initium ſui & eſſe acceperunt : tum quia in illo, vnio fuit humanæ diuinæque naturæ hypoſtatica, omni ex parte abſolutiſſima : atque ita principium erat ; id eſt, diuinorum operum præcipuum, & maxime illuſtre. 15 Noui (ait ille) tua opera : nempe, te nec frigidum eſſe, nec feruidum. Vtinam frigidus eſſes, aut feruidus : & vel veritatis ardore candeſceres, vel planè frigidus & ignarus fieres : vt inſcitiam teporemque confeſſus diſciplinæ remedium admitteres. 16 Sed tepidus es : & nec frigidus nec calidus : ideoque inexcuſabilis. Et quoniam à natura comparatum eſt, vt tepida vomitum cieant : ego te quoque ex ore meo euomam. 17 Dicis enim, & putas diuitem te eſſe, & opulentum ; cui ſcilicet nihil deſit : ſed non noſti, quàm ſis ſpiritu miſer, & ærumnoſus, & pauper, & cæcus, & Dei gratia fauoreque nudus. 18 Conſulerem tibi, vt à me aurum emas, igne purgatum ; vt verè inde diteſcas ; hoc volo, vt Dei verbum, veritatemque ſincera pœnitentia & ſeria prece exores (quod verbum cum labis & maculæ exors ſit, & examinis patiens, Dauid in Pſalmis auro in ignibus ſpectato aſſimilat) inde erit tibi affluentia donorum *S*piritus. Conſulerem etiam veſtimenta candida induaris, videlicet, innocentiæ & ſanctitatis ; ne nuditatis tuæ & impuritatis conſpicua ſit fœditas ; & collyrio oculos inungas, vt perſpicias vnde excideris. 19 Noli tamen admonitionis meæ acrimoniâ ſpem abijcere. Nam quos amo, paterna charitate arguo, & caſtigo. Prior igitur zelus te reuocet in orbitam ſalutis : & non fictam anteactæ vitæ pœnitentiam agas. 20 Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, me enim repræſento vobis in legatis meis, & verbum meum in eorum ore. Quiſquis vocem meam audierit, & oſtium aperuerit ; nempe, qui auſcultauerit, & iuſſa fecerit, ad illum ingrediar ego ; nempe, animæ illius tectum Spiritus meus ſubibit ; & cæna.

Laodicea.

Sententia in Laodiceam pronunciata.

Digitized by Google

& cænabo cum eo familiariter, & ille mecum: mistâque amore reuerentiâ complectetur me. 21 Qui vicerit, faciam, vt mecum sedeat in throno meo; nempe, gloriam meam illi impertiam: quemadmodum ipse sedeo cum Patre meo, in throno eius; humanâ mea natura, in qua vici, euectus ad glorioſum dextrę eius adſeſſum, potentia, æternitate, & gloria illi æquatus. 22 Qui habet aures ad audiendum, audiat, quid Spiritus dicat eccleſijs.

CAP. IV.

Ecſtaſis ſcriptoris. Maieſtatis diuinæ in cœlis deſcriptio, Angelis & ſanctis ſtipatæ ſub ſanctorum & ſeniorum figurâ.

HIS verbis Ieſu finitis, ſuſpexj; & ecce oſtium vidi in cælis apertum, per quod typicam illam venturarum rerum figuram oculis, & auribus haurirem. Prima vox, quæ & antè mecum ſermocinata erat, canora vt tubæ, Ieſu Chriſti fuit, dicentis mihi; aſcende huc: nam tibi oſtenſurus ſum ea, quæ poſt fierj oportet. 2 Statim igitur fui correptus ſpiritu. Nam terrea hæc, & craſſa oculorum acies penetrare haud potuiſſet in cœleſtia illa, & ſpiritualia arcana. Et ecce thronum intuitus ſum, in cœlis poſitum; & quendam in eo ſedentem: nempe Deum patrem, gloriâ & maieſtate verendum. 3 Is autem, qui ſedebat, Iaſpij lapillj, & Sardij colorem referebat; vt iaſpidis virore indefeſſa eius & æterna iuuentus; igneo verò Sardij rubore ſplendor eius eximius indicaretur, & vis ignea, qua explorat electos, eoſque à reprobis diſcernit. Eum verò circumquaque ambibat iris, ſmaragdino colore perfuſa: vt, quemadmodum, ſtatim à diluuio, ſacramentum eſſe voluit iridem promiſſionum factarum Noacho; ita nunc eadem throno eius circumducta pro ſacramento foret, nunquam interituros electos: quos circum omni diligentia & labore excubiturus ſit, ne quid olim capiant detrimentj: viridis hæc iris erat, inſtar ſmaragdi; vt perpetua illius præſidij, & curæ aſſiduitas ſignificaretur: &, quemadmodum aſpectum reficit ſmaragdus, ſic ab hoc ſacramento manaret electis ineffabile, in rebus aduerſis, ſolatium. 4 Et circum thronum eius viginti quatuor ſellę locabantur, queis inſidentes vidi viginti quatuor Seniores, aut rectores eccleſiæ, amictos veſtibus albis, & habentes impoſitas capitibus ſuis coronas aureas. Hi ſunt duodecim Patriarchæ, & totidem Apoſtoli: qui quòd in vetere & noua lege præcipuj doctores viam munierint ad Iudæorum & Gentium ſalutem, donantur honore ſellæ circum thronum; & amictu ſplendoris & innocentiæ veſtiuntur; nimirum candido, & coronantur coronis aureis in ſignum victoriæ: Satana, ſcilicet, & carne profligatis, glorioſâ hac ornatj mercede. 5 Prodibant autem à throno tonitrua, fulgura, & voces terribiles; vt grauitatem terroremque pœnarum nobis ponat ob

Ezech. 1.

nat ob oculos, quas denunciauit in vetere lege,& inſixit improbis. Et erant ſeptem lampades ignis ardentis ante thronum : qui eſt efficax ille, infinitus, & flammeus diuinj ſpiritùs fulgor, referens amorem & lucem nouæ legis, vel Euangelij Chriſti. 6 Erat etiam ante thronum mare vitreum, ſimile cryſtallo : propterea quòd Deo, tanquam per vitrum, omnia quæcunque actuum noſtrorum aut cogitationum arcana pelluceant, vbiuis tandem in orbe ; qui hoc loco ſub *maris* nomine illj ante faciem ſiſtitur. Nam nihil eſt illius aut præſentiæ, aut præſcientiæ occultum. Et quanquam, ſpecie tenus, viuis aquarum fontibus hic mundus ſimilis videatur (quod electorum eſt proprium, affluentium nimirum bonis operibus ex fœcundis fidej venis) ſine motu tamen & humore, inſtar vitrj, iacet, quandocunque Dominus Iehoua ſua in eum detonat iudicia. Et in medio thronj,& circum eundem quatuor erant animalia : in medio erant eorum poſteriora : ſuſtinebant thronum humeris : capitibus & alis circundabant : antè & retrò plena oculis erant hæc animalia. Hic ſupremus eſt Angelorum ordo,ſacri Cherubini : quorum quaternarius numerus tum quatuor qualitatibus reſpondet, queis diuinam voluntatem exequuntur ; de quibus poſt dicetur : tum quatuor mundi plagis, ad quas diuino iuſſu commeare ſolent : ſunt enim velutj quatuor cardinales ventj, diuinam miſericordiam & iuſtitiam,quoquò illi viſum fuerit, ſpirantes : thronum, quem ambiunt ; ſuſtinent : vt ſciamus primas inter omnes tenere, & (quod per *anthropopatheian* intelligendum eſt) fulcra eſſe, & ſcabella gloriæ ipſius. Antè & retrò inſitj oculj præteritorum & futurorum, quæ quidem ipſorum fidej commiſſa ſunt,certam arguunt notitiam ; & aſſiduam eorum vigilantiam in faciendis Dei iuſſis. 7 Animal autem primum erat ſimile leoni : ſecundum erat ſimile vitulo : tertium habebat faciem hominis : & quartum erat ſimile aquilæ volantj ; vt dotes, queis pollent eximijs, dum diuina iuſſa exequuntur, nobis innoteſcant ; nimirum inſignis vis, & fortitudo, cum patientiâ, & pertinacia laboris, quantuſcunque & quotieſcunque illis imperabitur : tum prudentia inſignis, & mirabilis omnia exequendj pernicitas 8 Et quatuor animalium ſingula ſex alas in circuitu habebant (de quibus olim Eſaias) binæ erant lacertis affixæ, queis eorum in iuſſis Dei capeſſendis indicatur celeritas ; binæ obtendebantur vultui : quia tam ſplendida eſt Dei gloria, tam coruſca maieſtas, vt nec Angelj ipſi, creaturarum digniſſimj, oculos contra queant attollere. Binæ denique pedibus adhærebant ; abſtergendo, ſcilicet, terrenæ impuritatis contagio, quoties nobiſcum hîc in terris verſantur. Nam quanquam ſæpe creatoris iuſſu in terras commeent, neſciunt tamen omnino inficj humanæ corruptionis & peccati labe : & vt hinc diſcamus adeo ab eorum gloriâ ſuperarj mortales, adhuc repentes humj, vt ſicut Angelis non datur ſine velo illius *Ter maximi* maieſtatem intuerj,ita nobis ne minimam quidem Angelicę gloriæ particulam liceat videre. Intus quoque refertiſſimj

Ezech.10.11.

Eſai.6.8.

Digitized by Google

ſſimj erant oculis, quibus aſſidua fruebantur Dej viſione, quæ ab intimo & inæſtimabilj illius amore naſcebatur. Hunc amorem perenni hymno teſtabantur in hæc verba: *Sanctus, ſanctus, ſanctus eſt trinus ille Dominus Deus, omnipotens, qui ſemper erat, nunc eſt, & reueniet; auctus plenitudine gloriæ & poteſtatis.* 9 Et cum tribuebant illa animalia gloriam & honorem & gratiarum actionem ei, qui throno inſidebat, viuenti in ſæcula ſæculorum, 10 Vigintj quatuor ſeniores, his proximj, procidebant in faciem, coram eo, qui throno inſidebat: & adorabant illum viuentem in ſæcula ſæculorum: eique ad pedes abijciebant coronas ſuas aureas; quas, nempe, illi ſolj acceptas ferebant, dicentes; *Dignus es, Domine, qui accipias gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu condidiſtj omnia, & per voluntatem tuam ſubſiſtunt, & creata fuerunt.* Hic fulgor gloriæ mihi in cœlis conſpectus eſt, quo tempore mandata accepi, quæ viſionibus meis continentur, de rebus præſentibus, & futuris, in tota militante eccleſia.

CAP. V.

Deſcriptio libri, in quo continebantur myſteria reuelata Apoſtolo: Eorum reſignatio facta à Chriſto, ſub figura Leonis & Agnj. Decantantur idcirco eius laudes à Sanctis & Angelis; qui abſque interceſſore ſinguli gratias agunt, & laudes canunt Mediatorj.

IVM primùm ad dextram eius, qui inſidebat throno, librum vidj: illum nempe, qui myſteria continebat: totum exaratum & intus & a tergo: a tergo ſcribebantur viſiones mihi conſpectæ, & mox vobis reuelandæ: intus verò familiaris interpretatio omnium pertexebatur; cum proprijs rerum nominibus, quas viſio exhibuerat: vt ſciatis nondum mihi permiſſum à Domino hæc orbi vulgare: nec dum enim tempus eſt. obſignabatur liber ſeptem ſigillis: partim, vt nemo hominum admitteretur ad ſecretum: partim, vt liquidiùs conſtaret, certo certiùs hæc eſſe euentura, quæ prædicta ſunt. 2 Et vidj Angelum validum prædicantem voce magna: Quis eſt dignus, qui aperiat librum, & ſoluat ſigilla? 3 Sed nemo dignus inuentus eſt, neque in cœlo, neque in terra, neque infra terram, qui vel librum inſpiceret, nedum aperiret: quis enim Dæmonum, vel Angelorum profunda illa Dei arcana vel aufit attingere, vel poſſit aſſequi? quis futura, niſi quatenus illi libitum eſt ijs reuelare vel concredere? 4 Flebam igitur ego multùm, quòd nemo dignus inuentus eſſet, qui aperiret & legeret librum; imo nec inſpiceret eum. 5 Tum vnus è ſenioribus illis dixit mihi: ne fleto; ecce vicit Leo ille de tribu Iudæ, mirifica pollens carnis ſuæ potentia, ex ea tribu propagatæ; qua peccatum, Dæmonem, & infernum deuicit, & idem ille eſt è Dauidis ſtirpe (cum Dauid è maioribus eius fuerit ſecun-

Dan. 12. 4. Eſai. 24. 11. Ezech. 2. 10.

rit ſecundum carnem, & typus etiam venturj) vnus hic dignus inuentus eſt, qui librum aperiret, & eius ſigilla reſignaret. 6 Igitur animaduertj, & ecce inter thronum, & quatuor animalia, & Seniores, vidj ſecundam Trinitatis perſonam, cum Deo ſedentem, inſtar hominis, & fratris noſtri; agnum, inquam, velut immolatum; vt innueret ſe olim, quamuis occiſum, reſurrexiſſe tamen: ſeptem cornua habebat, & ſeptem oculos; vnde infinitus ille potens ſanctuſque Dei Spiritus innuitur, quem, vt omnia prouidè dirigeret, ſapienter inſtrueret, fortiter adminiſtraret, in orbem terrarum emiſit. 7 Is agnus igitur venit, & accepit librum è dextra illius, qui throno inſidebat. 8 Et vt librum manu apprehendit, quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores ante agnum in facies ſuas prociderunt, adorantes illum: habebantque ſinguli in manibus ſuis cytharas, & phialas aureas plenas ſuffituum: hæ preces erant Sanctorum, à quatuor animalibus nomine totius ordinis Angelici; & à viginti quatuor Senioribus, eccleſię tam militantis quàm triumphantis nomine effuſæ, cùm iam Chriſtum detecturum cernerent, quibus terra & eccleſia tentationibus ante nouiſſimum diem quatiendæ eſſent. ex triumphantis eccleſiæ parte gratiæ agebantur agno, quòd libro aperiendo militantem contra omnia tentationum inſcriptarum diſcrimina præmuniret. ex parte militantis votum erat, vt maturaret agnus finem & diſſolutionem rerum; quod omnes creaturæ gemendo ſuſpirandoque à Creatore ſuo expoſcunt. Animantia & Seniores preces ſuas ſinguli offerunt inſidenti throno; vt liquidò conſtet eum, quemadmodum mediator eſt, cui ſoli noſtræ preces debentur, ita abſque vllo interceſſore nobis eſſe adeundum. Debemus vnuſquiſque, animalium & ſeniorum exemplo, illum ipſum precantes compellare. Includebantur cytharis hæ preces; vt ſciamus, quàm dulce melos adferant diuinis auribus vota fidelium. includebantur aureis phialis; vt diſcamus preces, Deo gratas, ex corde intaminato, vt purgatiſſimo auro, depromj. Porrò *ſuffitus* appellantur; quia nihil adoratius hoc precum ſuffitu diuinis naribus poteſt accidere. hoc ipſum veteris legis ſuffimenta adumbrabant, de quibus multa in Pſalmis Dauidis. 9 Illi verò viginti quatuor ſeniores hymnum nouum cecinerunt: eius enim materia (myſterij ſcilicet redemptionis noſtræ conſummatio) noua eſt; illiusque in gratis hominum animis vſque & vſque virere & renouari debet memoria. hymnus ita habebat: *Dignus es Domine, qui accipias librum, & aperias eius ſigilla; quoniam innoxius mactatus es; & per ſanguinem tuum pretioſum nos Deo Patri redemiſti; noſque ex omni populo, lingua, tribu, natione ſelegiſti, tam Iudæos quam Gentiles.* 10 Et feciſti nos Deo noſtro Reges, & Sacerdotes ſpirituales: nempe, in ſupremo illo, vniuerſoque iudicio dominabimur terræ, & participabimus, inſtar Regum, gloriam ſanctæ ciuitatis, nouæ Ieruſalem. 11 Tunc aſpexi; & audiui in circuitu thronj, animalium, ſeniorum, multorumque Angelorum voces: eorum multa erant millenorum millia, & omnino

Exod. 30. 7. Pſal. 141. 2.

Pſal. 144.

legiones

legiones innumeræ. 12 Dicebant alta voce: ***Dignus eſt agnus ille mactatus, qui accipiat poteſtatem, & diuitias, & ſapientiam, & vires, & honorem & gloriam, & benedictionem in æternum.*** 13 Sed & creaturas cælj, & terræ, & infra terram, & in marj, omnes ſua voce dicentes audiui: ***Ei, qui throno inſidet, & agno, benedictio ſit, & gloria, & honor, & potentia in ſæcula ſæculorum;*** & quatuor animalia dicebant ***Amen***: & viginti quatuor Seniores procidebant in facies ſuas; & adorabant eum, qui viuit in ſæcula ſæculorum. Dan.7.10.

CAP. VI.

Aperiuntur prima ſex ſigilla. Euangelij propagatio per album equum ſignificatur in primo ſigillo. perſecutio innuitur per rufum equum in ſecundo. colluuies hæreſeon per nigrum in tertio. papatus eiuſque tyrannis per pallidum in quarto. querelæ Sanctorum, & liberatio promiſſa: eorumque interea felicitas, in quinto. diei nouiſſimæ terror in ſexto.

OBſeruabam deinde, quando agnus primum ſigillum aperiret: & ecce audiui vnum è quatuor animantibus (nam mihi in ecſtaſin rapto datæ erant præſidio perfectiſſimę hæ Dei creaturæ) & vox eius erat inſtar tonitruj, cum terrore me expergefaciens; vt magnis tremendiſque vaticinijs, quę iamiam Deus explicaturus erat, animum aduerterem: & dixit; ***veni & vide.*** 2 Tum aſpexi; & vidi album equum. &, qui inſidebat ej, arcum tenebat manu: & data eſt ej corona: & prodijt victor, & vt vinceret. hoc equite adumbratur aduentus, & incarnatio Saluatoris noſtri, ſuâ innocentiâ lucentis. armatur arcu; nam inde ab initio aduentus ſuj, & poſt hæc tempora aliquandiu volitabit ſagitta illa diuina; nempe Spiritus ſanctus prædicatione verbi ſub iugum mittet orbem terrarum; eumque ditione ſua tenebit; & pœnas exiget ab hoſtibus. coronatus eſt victor à patre, ſecunda iam morte profligata; vt Princeps Catholicæ eccleſiæ fideles coronet. atque ita proſilit magnificus Satanæ domitor, ſuperaturus quicquid obſtat, magnâ mundj parte ad veram numinis notitiam confertim conuersâ. verùm inchoatum eſt modò, non perfectum hoc myſterium. 3 Quumque aperuiſſet ſecundum ſigillum, 4 Ecce prodijt equus rufus; & ſedenti in eo datum eſt, vt tollat pacem è terra, & homines mutuò in ſe armet: cuj rej vaſtus illi gladius conceſſus eſt. nam Euangelij & veritatis in populorum animis propagatio comitem habebit ſanguinariam Tyrannorum ſæuitiam, & gladij ciuilis diritatem. hic ille eſt rufo inſidens equo. ſerpet nihilominus Euangelium, & florebit; imò (quę Dei potentia eſt humanæ ſuperbię reſiſtens) ſub ipſa cruce maximè vernabit puritas verj. 5 Et quùm aperuiſſet tertium ſigillum, tertium Animal mihi dixit: Veni, & vide: & ecce, vidi equum nigrum; & qui inſidebat ej, ſtateram manu ſua habebat.

Zach.1.8. Zach.6.2.3.

Conuerſio gentium.

Perſecutio gladij in ſecundo ſigillo.

Continuatio Paſſorum poſt Martyres.

habebat. 6 Et audiui vocem à quatuor animalibus dicentem : *Chœnix triticj denario, & tres chœnices hordei denario. ſed vinum & oleum ne læſeris.* nam, primo myſterio conſummato, vindicabitur verbi contemptus charitate annonæ & fame. præterea Deus indulgebit Satanæ peſtiferâ multarum hæreſeon nube affligere & tentare eccleſiam. hic ille eſt atro inſidens equo: furua enim hæc errorum facies atra nocte inuoluet Euangelij lumen. at Deus, qui perſuaſum vult nobis nunquam ſe eſſe ſuorum immemorem, nos de throno ſuo verbis amicis ſolatur; licet bonorum virorum (qui per optimum triticum & hordeum meſſis ſuę ſignificantur) magna futura ſit penuria, quòd ſtateris & menſuris innuitur; quoſdam tamen repertum irj, qui ne in futuris temporum anguſtijs genua flexuri ſint Baalj. Prorſus autem confidere nos iubet, nunquam abolitum irj verbum ſuum, & veritatem eius; æternum illud oleum & ſalutare vinum: quin frendente Satana, & eius ſatellitibus purum putumque manſurum. 7 Et, quarto ſigillo aperto, quartum animal dixit mihi: *veni & vide.* 8 Tunc aſpexi, & ecce, pallidum equum vidj, & eius, qui inſidebat ei, nomen erat *Mors.* hæc omnium maxima & triſtiſſima eſt peſtis. nam perſecutionum ſæuitia ceſſante, & exterminatis hæreſibus, ſanitas Eccleſiæ frigore & debilitate tentabitur: & diuinâ iracundiâ geminabuntur priora ſupplicia. indulgebitur enim Satanæ ex ambabus antegreſſis miſerijs com poſitam erigere tyrannidem, quæ hæreſi ſcateat vt ſecunda, & ſæculari crudelitate infamis ſit, vt prima. Eques hic, quoniam non minus animam, quàm corpus iugulat, omneque interitus genus ſecum trahit, iure ſuo *Mors* dicitur. ſiquidem fons eſt & ſcaturigo omnis æthi. equi autem pallor ſeſſoris ingenio per omnia reſpondet. nam vt Mors illi nomen eſt, ſic colore hoc graphicè exhibetur. & vt eius indoles nihil eſt, niſi quædam hæreſeos & tyrannidis mixtura; ſic pallor è rufo & nigro eſt mixtus color. hunc equitem Infernus ſequebatur, non ſine ſua ſociorumque pernicie. & data eſt ej in quadrantem terræ poteſtas, in eos nempe, qui trium antecedentium equitum non ſenſerant imperium. nam qui neque ſignati ſunt ab albo, nec corpore occiſi à rufo, neque anima à nigro; hj anima & corpore mactantur à pallido. Cuj vti lethifera hæc poteſtas in quadrantem terræ data eſt, ita quadruplicj plagâ vim ſuam exercet, enſe, fame, morte, & terræ animantibus. quæ plagis à Moſe in cantico commemoratis non ſunt diſſimilia. huiùs tyrannidis infantia perſecutionem inuehet: ſanctorum perſecutio famem & egeſtatem verj cultus diuinj: fames hæc ſecundam & æternam illam mortem. ſenectus eius dira, ſanguiſuga, terribilis, crudiore perſecutione expirabit, quàm vnquam antè vſurpauerat: tam barbara & agreſtis ea futura eſt, vt lanienæ corporum, quæ feris obijciuntur, in hac viſione aſſimiletur; neglecto ordinum, ætatum, ſexuum, ferino prorſus more, diſcrimine. 9 Quùm verò aperuiſſet quintum ſigillum, vidi ſub altari animas eorum, qui mactati fuerant propter verbum Dei, & propter teſtimo-

Hæreſes in tertio ſigillo.

Papa ſignificatur per equum pallidum in quarto ſigillo.

Raritas Paſtorum & diuini cultus.

Sæuitia Papæ.

Digitized by Google

ter teſtimonium, quod tuebantur. 10 Clamabant autem magna voce, dicentes: *Quamdiu cunctaberis, Domine, quum ſanctus ſis & verax, iudicare, & vindicare ſanguinem noſtrum in eos, qui habitant in terra?* tantâ enim vehementiâ detonuit hæc extrema in orbe perſecutio, torque martyres exanimauit, vt eorum animæ quieſcentes ſub altarj, id eſt, Ieſu Chriſti tutela; patrem gemitu inuocarint. Solus enim ille altare eſt, ſuper quo & per quod nobis fas eſt illam cordium noſtrorum & labiorum victimam, deuotas inquam preces, Deo Patrj offerre. Clamor ſanguinis ijt in cælos, iuſtam tormentorum vltionem in improbos depoſcens; & accelerationem vniuerſi finis rerum, vt fratres adhuc ſuperſtites liberentur. 11 Tum datæ ſunt ſingulis ſtolæ albæ: & dictum eſt ijs, vt requieſcerent adhuc pauliſper, donec complerentur Deo numerus conſeruorum, fratrumque, crucis ſociorum, quj occidendi erant ſicut ipſi. quo nullum maius aut diuinius obtigit militanti Eccleſiæ ſolatium. hoc enim ſigillo certa nobis fides facta eſt animas martyrum, ſtatim vt corpora occiſa ſunt, perpetuâ & coruſcâ in cælis ipſis (nuſquàm aliò conuerſo itinere) donari gloriâ, quæ candidis ſtolis ſignificatur. tum vero continuò, vt earum plenus eſt numerus (quod breui fiet) Deum cum perſecutoribus ſeueriſſimam inire rationem: quo tempore illj lucidiſſimis animæ, corporiſque dotibus ornabuntur in æternum; hj animæ & corporis interminatas patientur miſerias: vt in illis perdendis diuina iuſtitia, his beandis miſericordia fulgeat. 12 Deinde adſpexi, quùm aperuiſſet ſigillum ſextum; & ecce terræ motus magnus factus eſt; & ſol factus eſt niger, vt ſaccus cilicinus; & luna tota facta eſt ſanguinea. 13 Et ſtellæ cælj ceciderunt in terram, ſicut ficus abijcit groſſos ſuos, cum vento magno concutitur. 14 Et cælum abſceſſit, ſicut liber quj conuoluitur: & montes & inſulæ è ſuis locis emotæ ſunt. 15 Et Reges terræ, & Optimates, & diuites, & tribunj, & potentes, omneſque, tum ſeruj tum ingenuj, occultarunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium. 16 Et dixerunt montibus, & petris: *cadite in nos: occultate nos a conſpectu eius, qui inſidet throno, & ab ira agnj.* 17 Nam veniet dies ille magnus iræ illius, & quis poteſt ſtare? hæc illius diſſolutionis, quæ in quarto ſigillo petita & promiſſa fuit, conſummatio eſt. terribilia hæc, in quinto ſigillo memorata, mutationes ſunt, & ſigna nouiſſimi temporis; eadem illa, quæ a Chriſto Domino, dum in terris ageret, prædicta fuere.

Hoſ. 14.3. Heb. 13.15.

Matth. 24.29.

Luke 23.30.

CAP. VII.

Digressio solaminis plena de diuina erga electos cura, quo tempore grauissimis periclitantur tentationibus: quod visione quatuor Angelorum, & felicj electorum conditione innuitur.

VErùm; ne forte ego vel quis alius de electorum præsidio & salute hic dubitaret, quasi probi cum improbis promiscua in his calamitatibus inuoluerentur ruina; quatuor Angelj meo sistebantur aspectuj, insistentes quatuor angulis terræ; retinentes quatuor ventos, ne in terram, aut mare, aut vllam arborem spirarent. 2 Et vnum vidj Angelum, ascendentem ab ortu solis, habentem sigillum Dej viuj, qui acclamauit magna voce quatuor illis Angelis, quibus datum est lædere terram & mare. 3 Dicens: *ne lædite terram, neque mare, neque arbores, quousque obsignauerimus seruos Dei nostri in frontibus.* Hi Angeli numero quidem quatuor; quia quatuor terræ angulis insistunt, parati in omnes terræ partes diuina exequi iudicia, quanquam iam ventos à flando id est, progressum Euangelij impedijssent in terra, qui est mundus, in marj, quod est populorum series, in arboribus, quæ sunt magistrâtus ciuiles & Ecclesiastici: vnus tamen Angelus ab ortu Solis venit, legatus nempe à Christo, vera electorum Aurora, dieque oriente, & sole illo iustitiæ, in sacris literis memorato, electis suis omnibus iubar spargente. hic Angelus vetat, ne quid amplius detrimenti inferant cæteri; quoad electi sigillo, quod eò secum ferebat, in frontibus notentur: quibus tam conspicuo nimirum insignitis charactere in vniuerso illo rerum excidio parcerent. Vnde certò nobis constet tantæ curæ esse Deo electos, vt & ante pericula illis prospiciat: vt Noacho olim fauit, & Lotho, eorumque familijs, in diluuio & excidio Sodomæ. 4 Et audiuj numerum signatorum in Israel fuisse centum quadraginta-quatuor millia. nam ex singulis tribubus duodecim millia signabantur, ex quibus iunctis ille numerus conflatur. è singulis tribubus ideo numerus quidam seligebatur, vt constaret è singulis quosdam saluari. 9 Et vt certus essem non minus ad gentes, quàm Iudæos regnum cælorum attinere; mihi innumerabilis hominum monstrata est turba, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis conflata: stabantque ante thronum, & in conspectu agnj, amictj stolis albis: & palmas manibus tenebant, ex longo & difficilj bello victoriæ tesseram. 10 Et clamabant omnes vna voce dicentes: *salus nostra à Deo est, qui throno insidet; & ab eius agno*: nempe eorum salus à Deo Patre per mediatorem filium profecta est. 11 Tunc omnes Angeli, qui thronum & Seniores & quatuor animalia circumstabant, prociderunt in facies, & adorarunt Deum; gratias agentes de clementiâ in electos,

1. Pet. 1. Luc. 1. 7. Malach. 4.

siue

ſiue Iudæos ſiue Gentiles, & de iuſtitia in cæteros. 12 Dicentes, Amen. nempe approbantes, quæ facta erant: plenoque ore fatentes benedictionem, gloriam, ſapientiam, gratiarum actionem, honorem, virtutem, & potentiam ſoli Deo ſuo iure competere in ſęcula ſæculorum. 13 Tunc me compellauit vnus ex Senioribus, dicens: iſti, qui amicti ſunt ſtolis albis, quinam ſunt & vnde venerunt? 14 Ego reſpondi & dixi: Domine, tu noſti. tunc dixit mihi: hj ſunt, qui ſoſpites facti ſunt, & ex ingentibus ærumnis huc euaſerunt: & veſtimenta ſua lauarunt: eaque in ſanguine agni dealbarunt. nam vi mortis eius, cuius ſanguis vnica eſt delictorum noſtrorum purgatio, per imputationem iuſtificati ſunt. 15 Ideo ſunt ante thronum Dei: & colunt Deum die & nocte, in templo eius: nempe illius gloriam ſine intermiſſione contemplantur, & aſſidua gratiarum actione illj ſeruiunt, laudantque nomen eius in cælis: quod æternum eſt templum magnificentiæ eius. & qui throno inſidet nunquam non cum illis verſabitur, nec conſpectui ſuo olim patietur illos ſubduci. 16 Non eſurient amplius, neque ſitient. nec ijs ſol aut æſtus moleſtus erit. 17 Quoniam agnus, qui in medio thronj eſt; nempe pari cum patre ſuo poteſtate; paſcet eos; & ducet eos ad viuos aquarum fontes: vbi panem illum ſpiritualem & viuificum edent: potum ſpiritualem & viuificum bibent; nempe ſeipſum. quam aquam fœminę Samaritidi pollicebatur ad fontem: & abſtergebit Deus lachrymas ab oculis eorum. Iob. 4.14.
nam & præſentis lætitię magnitudo delebit ex animis pręteritorum dolorum, ærumnarumque memoriam: & beabit eos æternis gaudijs, nullo læſis moleſtiæ aut metus confinio. ita nec eos Solis ardor torrere poterit, neque vllus alius æſtus, queis rebus calamitates & mærores notantur.

CAP. VIII.

Septimum ſigillum aperitur. inde ſeptem tubæ erumpunt. per ignis in altari viſionem vis piarum precum indicatur. In prima tuba, per grandinem ſanguine & igne permixtam, perſecutiones nonnullæ & hæreſes notantur. In ſecunda, per montem ignis immanis perſecutio. In tertia, per aſtra in aquarum fontes cadentia hæreſeon colluuies. In quarta, per Solis & Lunæ & ſtellarum eclipſes generalis eccleſiæ in quibuſdam rebus infirmitas.

ET cùm aperuiſſet ſeptimum ſigillum, factum eſt ſilentium in cælo, ferme per ſemihoram; tam vt intelligerem omnia, quæcunque erant ventura, mihj breuiter antè fuiſſe indicata; quàm vt per ſilentium occaſio meditandi de rebus priùs viſis mihi fieret, quò articulatior earum repetitio, quam in ſeptimo ſigillo ſub alijs quidem figuris nunc aggrediebatur, commodiùs à me perciperetur. 2 Et vidi ſeptem An-

gelos, ſtantes in conſpectu Dei, vt eius iuſſa facerent. illius arbitrio ſeptem eis tubę conceſſæ ſunt, vt eas pœnas, quas diuino iuſſu orbi erant inflicturj, vnâ omnes maieſtate denunciarent. 3 Tunc alius Angelus venit, & ſtetit apud aram, habens in manu thuribulum aureum. & dati ſunt ej ſuffitus multj, vt offerret preces Sanctorum ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum. 4 Aſcendit autem fumus ſuffituum, qui ſunt preces Sanctorum, è manu Angelj in conſpectum Dei. 5 Deinde Angelus accepit thuribulum, recens vacuefactum; & repleuit illud igne altaris, abiecitque in terram: & facta ſunt tonitrua, & voces, & terræ motus. Procliue eſt nobis ex hoc Angelo, & ex ijs, quę facit, intelligere, Chriſtum ſemper excubiturum ſuis: quorum precibus tùm maximè auſcultabit, cùm maxima premuntur neceſſitate; & Spiritus ſui gratia nouam aliquam Euangelij ijs affundet lucem. Ad cuius rei certitudinem iamiam huius Angeli viſio mihi monſtrata fuit. quaſi quæ ſeptem ſigillis modò patefecerat, totidem nunc tubis penſiculatiùs exhibiturus ſit. Angelus hic Chriſtus erat: altare pariter (vt ante monuj) idem ille eſt. quòd ante altare ſteterit, ſignum eſt, ex officio mediatoris facturum fuiſſe illum, quæ ſequuntur. thuribulj, quod manu tenet, perpetuus eſt cuſtos. in hoc ſunt ſuffitus ad eum miſſi à Sanctis; preces nempe, quas ipſe mediator Deo Patrj repræſentet. eſt porrò ara haud vnquam è conſpectu Dei emota; ad quam ſemper litatur. inde ad Deum halat ſuffitûs huiuſce fumus, ne dubitemus eum exorarj, quoties hoc ritu oratur. Hùius rej fructus ex eo manifeſtus eſt, quòd Angeli thuribulum ex igne altaris repleuerint, & in terram abiecerint, vnde illi, de quibus audiuiſtis, fragores ſequuti ſunt nam precibus noſtris adductus mediator ex aurea pyxide, id eſt, potentiæ ſuę theſauro ignem ab ara demittet; nempe, Spiritum ſanctum, qui iugiter cum ipſo eſt; vt tonitrua, & fulgura, & terræ motus cieat. nempe, vt virtutem Euangelij in cordibus fidelium renouans legem de integro promulget. nam ad antiquæ legis promulgationem, cuius prænuncij erant iſti ſonorum terrores, hîc alluditur. hęc illa eſt indefeſſa Dominj de n. bis ſollicitudo. ſic ille in rebus dubijs noſtram ſuffulcit infirmitatem. 6 Et ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem tubas, præparauerunt ſe vt clangerent. nam licet antè acceperint mandata; exequi tamen illa adhuc ijs non licuit; ſicut nec quatuor illis Angelis licebat, qui quatuor ventos compreſſerant; donec Chriſtus firmaſſet & muniiſſet ſuorum animos, vt ibi dictum eſt. ſcilicet, ne dubitaremus, quin Saluator noſter etiam ante tentationum inſultus, noſtros humeros pares facturus ſit oneribus, quæcunque imponet. 7 Primus igitur Angelus clanxit: & facta eſt grando, & ignis ſanguine mixtus: & hæc procella in terram præcipitata eſt: vnde tertia pars arborum exaruit, & exuſta eſt: gramen quoque viride exaruit & exuſtum eſt. nam prima hæc tempeſtas, quæ jam cœpit ſæuire, miſcebitur grandine, quæ

1. Cor. 10, 13.

hæreſis

hæreſis eſt. quemadmodum enim calamitas illa, quæ ſegeti venit ex grandine, caritatem annonæ ſecum ferre ſolet; ita meſſem Domini valde depauperat hæreſis. hæc grando ſiue hæreſis, quæ animæ quædam perſecutio eſt, comitem habet gladium & perſecutionem carnis, igne & ſanguine hic notatam. flammiuoro hoc & ancipite examine areſcet arborum quidem, id eſt, illuſtrium vitorum triens. pars enim maior ex ijs ſoſpes euadet. at graminis quicquid eſt vbique; ſcilicet omnes illi, queis malè fundata eſt poſſeſſio veritatis (quod genus hominum expreſſit Chriſtus in parabola ſeminis in arenoſis locis & dumetis ſati) ingraueſcente tempeſtate excident veritate; & ſic exucci fient & inutiles. Mar. 4. ver. 5. 6. 7. 8 Deinde ſecundus Angelus clanxit: & quaſi mons magnus igne ardens cecidit, & proiectus eſt in mare, factaque eſt tertia pars maris ſanguis. 9 Et occiſa eſt tertia pars animantium in marj, & tertia pars nauium interijt. nam poſtquam, primæ calamitate ceſſante, mortales à peccandi licentia haud quaquam abſtinuerint; excipiet ſecunda plaga, nempe corporum perſecutio, per rufum equum in ſecundo ſigillo ſignificata, & hic fuſiùs explicata. aceruus hic igneæ perſecutionis, inſtar montis ardentis ſanguine, inundabit tertiam, id eſt, aliquam partem populorum & gentium; qui per mare & aquas notantur. nam (vt de illis in ſecundo ſigillo dictum eſt) mùtuis ſe ſædibus abſument: ipſos inter improbos, inquam, multa erunt bella; multa ſanguinis effuſio; intereunte animantium omnium tertia parte, numero ſanè non exiguo. nimirum in tanto malo nullum genus hominum reperietur expers diſcriminis. ſed præter cæteros vexabuntur fideles, quorum tamen pars maior incolumitate donabitur. hj nauibus denotantur. nam vt naues exundante ſalo portum petunt, ſic pij inter impios huius mundi, vltròcitroque, & omnibus iactatj fluctibus, licet obnitente ventorum ffemitu, portum tamen ſuum quærunt; vbj fixis anchoris ab huius mundj procellis tuti feriabuntur in ęterno illo ſerenitatis domicilio. 10 Tum tertius Angelus clanxit: & cecidit de cælo ſtella magna; ardens veluti lampas: ceciditque in tertiam partem fluminum, & in fontęs aquarum. Nomen autem ſtellæ erat Abſynthium: verſa eſt igitur tertia pars aquarum, & fontium in Abſynthium: & multj homines mortuj ſunt ex aquis, quod amaræ factæ eſſent. hęc illa plaga eſt in nigro equo, & eius ſeſſore prius notata. eſt hæc ſtella, ardens inſtar lampadis, apoſtaſiæ & hæreſeos nubes. multum à ſe lumen diffundet, ſed quale ſolet eſſe lampadis. nam primò, quemadmodum lampadis aut candelę lumen, dum non talęs exhibet rerum colores quales in ſe ſunt, oculos in errorem inducit; deinde verò accedentibus ſolis radijs penitus fuſcatur: ita hoc lumen hæreſeos ad tempus quidem velum obducit impietati, vt tantiſper veri ſpeciem mentiatur, donec, orientibus diuinæ veritatis radijs, penitus cæcutiat & euaneſcat. harum neruoſior erit, quàm priorum hæreſeon fallacia. nam

paſtores quoque ipſi, ſpirituales eccleſiæ Rectores, ſeducentur à via: quod per aſtra innuitur in tertiam partem fontium aquarum cadentia. nam tales homines in hac vita velutj fontes quidam ſunt, vnde cæteri fideles aurium ſuarum ſitulis cæleſtis aquæ ſcaturiginem hauriant. 11 Hæc ſtella dicitur Abſynthium, quæ herba admodum amara eſt: & quid tándem animæ humanæ amarius poterit accidere, quàm horrenda eiuſmodj defectione diuinæ iræ acerbitatem promererj? & quemadmodum maligna illius herbæ qualitate multi Paſtores ſeducti amaruerúnt; ita Paſtores illi ſua amaritudine permultis hominibus, diſcipulis nempe ſuis & ſequacibus, ſecundam mortem attulerunt. 12 Deinde quartus Angelus clanxit: & percuſſa eſt tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars Stellarum: ita vt tertia pars, nempe lucis eorum, obſcuraretur: & tertia pars diej caligine obduceretur: & tertia pars noctis. nam poſt tetram illam Paſtorum eccleſiæ apoſtaſiam, non deficiet quidem penitus tota viſibilis Eccleſia; veruntamen quibuſdam erroribus cæcutiet. quod innuitur deliquio illo in Solis, Lunę, & Stellarum triente; nullâ ſcilicet ſpiritualj magiſtratuũ ſpecie huius defectus exorte. ſic, præ iſtorum in quibuſdam rebus imbecillitate, ſynceritas interpretationis Euangeliæ obnubilabitur falſis. quod lumine diej & noctis innuitur, nam vt interdiu nubes, noctu vero ignis columna populum Iſraeliticum per deſerta in promiſſam terram ducebat; ita perdia hæc & pernox animarum noſtrarum lux, per huius mũndj eremum, in cæleſtem promiſſionis terram nos directura eſt; vbi cũm Deo noſtro glorioſè regnemus in ſæcula ſæculorum. quartus quoque hic clangor eſt tertij ſigilli pars. 13 Et vidi & audiuj alterum Angelum, volantem per medium cæli, dicentem voce magna: væ, væ, væ, incolis terræ propter damna, quæ illis accident ex tribus nouiſſimis tubarum clangoribus. nam creſcent in immenſum tres nouiſſimæ plagæ. quod vt maiore animj attentione obſeruarem, excitauit me Deus, vt Angelum aſpicerem, ingentj alarum celeritate medios cælos ſecantem, qui beatos Angelos & Sanctos de tribus illis vt nouiſſimis plagis, ſic omnium peſſimis præmoneret: tum pernicj illo alarum remigio doceret breuj illas, & ex improuiſo, inflictum irj. Numerus quoque dirarum, quas Angelus denunciabat, plagarum numero, quæ ſequuntur, ęqualis eſt.

CAP.

Digitized by Google

CAP. IX.

Cæcitas & inſcitia ex hæreſibus, vnde ordines Papiſtarum Eccleſiaſticj; quj in quinta tuba per locuſtas è fumo naſcentes ſignificantur. eorum potentia & indoles. rex eorum Papa, eiuſque titulus. in ſequente tuba initium Pontificiæ ruinæ, quæ innuitur per ſolutionem quatuor Angelorum ad Euphratem. Papa, vt medeatur malis, Ieſuitas extrudit, quj in viſione per equum notantur. eorum ingenia ex thoracibus apparent. Papæ & Imperatoris Turcicj copiæ ad ruinam Eccleſiæ collectæ, & per equeſtrem exercitum ſignificatæ. Pontifex eſt primæ tabulæ violatæ calamitas, Turca ſecundæ.

TVm quintus Angelus clanxit: & vidj ſtellam, quæ è cœlo in terram decidit (obſeruatione enim digna res eſt, nihil eſſe iſtarum miſeriarum in terra, quod non defluxerit è cœlo; vt perſuaſum nobis ſit nullum eſſe in ciuitate malum, quod non faciat Dominus: iuſtitiâ illius ſingula permittente, vel dirigente, vel cohibente) hęc ſtella, me intuente, clauem abyſſj, quæ illj porrigebatur, accepit. nam illa hæreſeon nubes, mihj in tertia tuba & tertio ſigillo commemorata, ſucceſſu temporis ſpuriam hanc tyrannidem peperit; de qua in quarto ſigillo: atque ita abyſſj fores, quarum claues cuſtodiebat, aperuit: vel, quod idem eſt, Satanæ ope & conſilio, ex inferno ipſo ſequuturas calamitates extulit. 2 Primò igitur, reſerato puteo, erupit tanquam fornacis magnæ fumus, qui tantas inſcitiæ tenebras in hominũ animos inuexit, vt ſol & aer caligine obtectj fuerint; nempe ipſa lux veritatis, quæ per Solis aſtrum innuitur. ſic puro putoque veritatis aeri, in quo & per quem agenda eſt vita, ſucceſſit ſpuria & fæculenta errorum aura, in qua ſpiritus trahendus fuit. 3 Ex fumo autem exierunt locuſtæ in terram. etenim ex hac cæcitate naſcetur Eccleſiaſticorum ordinum colluuies, Monachorum, Fratrum, aliorumque, quj vnius ſuperſtitionis vinculo cohærent. hj; quoniam è tetro illo errorum fumo oriuntur, velutj locuſtæ ex aeris putredine; ſuo merito *locuſtæ* nominantur. ore nihil ſpirant, niſi falſa dogmata: quæ tam certam adferunt animabus perniciem, quàm locuſtarum ora virenti graminj & herbis. & vt nonnunquam vix integra regio capiat immenſos illos, quj aduolant, locuſtarum globos; ſic horum numerus innumerus terris oneroſus futurus eſt. eſtque illis poteſtas data, qualem habent terreſtres ſcorpiones. nam vt primo quoque tempore non ſentitur aculej ſcorpionis acerbitas, ſed ſenſim operatur; nec ſanatur malum, niſi ſcorpionum extinctorum oleo: eodem modo, hoc animę virus non percipitur ſtatim â morſu; ſed pedetentim inualeſcit (nec enim omnes ſuas merces ſimul exponunt hj agyrtę, ſed paulatim orbem inficiunt erroribus) nunquam

Amos 3.6. Eſai. 45.7.

autem

autem liberantur mortales hęreſibus, donec impoſtores ipſi, earum artifices, ad interitum compulſi fuerint. 4 Et ipſis dictum eſt, ne lędederent gramen terræ, neque viride quicquam, neque vllam arborem, ſed tantum homines, qui non haberent ſignum Dei in frontibus ſuis. nam quanquam locuſtarum examina & gramen viride, & arbores tum afflare ſoleant, tum perdere; harum tamen ſpiritualium locuſtarum furori ſic moderabitur Dominus, ne vllum omnino ex electis, cuiuſcunque demum ordinis aut conditionis fuerit, peruertant: tales enim graminj & arboribus aſſimilamus. ij demum eorum impotentiæ obnoxij futurj ſunt, quj Dej charactere frontes conſignatas non habent. retorrida enim huiusmodi, & inutilia ligna, paratiſſima ſunt incendij fomenta. 5 At non habebunt poteſtatem illos occidendj. nempe blaſphemiarum ſuarum craſſiſſimas ab initio ſtatim non detegent, ſed torquebunt homines ſpatio quinque menſium. & erit eorum tormentum, ſicut dolor ictj a ſcorpione. tarda ſcilicet eſt (vt dixi) huius ſpiritualis venenj peruaſio. nec eius moleſtiam ſentient homines, donec ſecunda mors torporem excuſſerit. hoc tormentum durabit menſibus quinque: tempore nempe à Deo definito. quæ alluſio eſt ad quinque menſes æſtatis, quibus graſſantur locuſtæ; allegoriam indicante hac loquendj formula. 6 Itaque per eos dies homines quærent mortem, & non inuenient eam; & cupient morj, ſed fugiet mors ab illis. tunc enim nouiſſimi temporis ærumnæ inchoabunt, quas à Domino noſtro, dum in terris adhuc eſſet, his, quibus iam vſus ſum, verbis audiuj deplorari. 7 Et figura harum locuſtarum fuit equo ſimilis, ad bellum parato: & hoc quidem, vt ſignificet nobis, adeò omnibus mundanæ ſapientiæ neruis firmatam eſſe eorum politiam, vt cuncta illis ſuppetant ad ea, quæ excogitarunt, perficienda: omnino vt equus bellicus operoſè ornatus, munituſque, & iam in procinctu ad certamen. habebantque coronas impoſitas capitibus, ſimiles aureis. nam præ ſe ferent illam ipſam ſanctitatem Seniorum, quibus in mercedem datæ ſunt coronæ ex puro auro: atque ita ſimulata puritate hipocritæ iſtj in ſpeciem micabunt. Et facies earum erant, vt facies hominum. vt homo ipſe eſt ratione prædituſ, ita humana facies rationem denotat: ſignificat autem hæc humanj vultus imitatio, eos, vndique quæſitis rationum argutijs, errores ſuos velare. verumtamen reipſa comperientur prorſus rationem mentirj, vt eorum coronæ verum aurum mentiuntur. 8 Et habebant capillos, vt capillos mulierum. nam vt præcipua fæminæ formæ illecebra eſt coma; ita horum tam inſidioſæ ſunt hæreſes, quibus nempe tam expeditam & facilem ſternunt in cælos viam, etiam hominibus omnj probro coopertis, modo eorum operâ vti velint: vt non ægrè illos in ſpiritualis ſtuprj conſuetudinem pelliciant. Et habent dentes leonum. nam vt ore valentior, & cæteris animantibus dente quoque damnoſior eſt leo; ita hi quibuſqunque equi bellicj ſpecioſo apparatu

imponere

Digitized by Google

imponere nequeunt, nec coronarum aurearum mendacio, nec humanj vultus ſimulatione, nec illice capillo; hos ore inquietabunt, nempe, minarum dirarumque tonitru. 9 Habebant etiam loricas, vt loricas ferreas. nam auctoritatis ſuæ patronos & hyperaſpiſtas etiam Principes inuenient, quorum tutela mundo quidem valida & ferrata videbitur. & ſonitus alarum ipſarum erat, vt ſonitus curruum; equis multis currentibus ad bellum. nam vt locuſtarum alæ ſolſtitij ſidere, & meridie ingentem edunt ſtrepitum; ſic tantus hos comitabitur terror, loricis quaſi ferreis munitos, vt, quicquid ad meridianam poteſtatis ſuæ lineam iam prouecti decreuerint, mira quadam maieſtate & reuerentia accipi oporteat. haud aliter ac terribilis eſt fremitus equorum, & curruum proſilientium in aciem. 10. Sed habebant caudas ſimiles ſcorpionum, erantque aculej in caudis earum. nam primò quidem congreſſu nihil videtur incommodj, ſi illis auſcultes, & fidem habeas. verum hic eſt totius negotiationis exitus, anima veneno occiſa. & caudæ earum erant ſimiles caudis ſcorpionum, quibus ſuus ineſt aculeus. & poteſtatem habebant nocendi hominibus menſes quinque. nam vt antea oſtendi hanc hominum vexationem quinque menſibus, id eſt, definito ſpatio duraturam eſſe: ita nunc vobis aliquid perſuaſum volo, quod veſtro vertet ſolatio. quemadmodum quinque duntaxat menſibus æſtiuis viuunt locuſtæ; ita in hac re, vt cæteris, homines iſti locuſtas imitabuntur. nam poſtquam certo & præſcripto temporis interuallo viguerint, Chriſti ſpiritu tandem diſſlabuntur. 11. habent Regem quoque, ſed cuj in eos tantùm poteſtas conceſſa eſt. hic eſt Angelus abyſſi; cui nomen eſt hebraicè *Abaddon* & græcè *Apollyon*. tandem enim aliquando, permittente Deo, adnitente Satana, Monarcha his obtinget pro capite, ipſiſmet non abſimilis futurus, Angelus atque emiſſarius Satanæ; & in illius ludo ad hanc legationem edoctus, vt tantâ ſedulitate ſuppoſititiam illam eccleſiam abducat in errores, quantâ à Deo miſſi paſtores veram eccleſiam erudiunt ad pietatem. illj nomen eſt *Abaddon*, vel *Appollyon*, quia pro vtroque, quo pollet imperio, eccleſiaſtico & politico, corpus ſimul & animam trucidat: quemadmodum vobis in quarto ſigillo dictum eſt: vbi eam ipſam ob cauſam, *Mors* appellabatur, ob quam hic *Apollyon*. 12. Vnum væ abijt, & ecce veniunt adhuc duo væ poſtea nam quæ quintæ tubæ ſono iam denunciata eſt, prima eſt è tribus vltimis plagis, quibus ego voluj vos mentem aduertere. nunc duo, quæ ſuperſunt, claſſica pari attentione excipite. 13. Tum ſextus Angelus clanxit; & audiui vocem quandam ex quatuor cornibus altaris aurej, quod ſemper eſt in conſpectu Dej, 14. dicentem ſexto Angelo, qui habebat tubam: *ſolue quatuor illos Angelos, vinctos ad magnum fluuium, Euphratem.* Cum iam Angelus ſexto claſſico ſextam illam, & horribilem calamitatem denunciaſſet, perfertur ad eum Chriſti mandatum (Chriſti enim vox erat) vt id faceret, quod audiuiſtis

diuisis. quanquam enim iam tuba cecinerat, suspenditur tamen decretum, donec Christo visum est permittere, & mandare. Nam quatuor Angeli, hic memorati, ijdem sunt cum ijs, qui prius in quatuor terræ angulis stabant, exitio orbis intenti, nisi à Christo tamdiu fuissent cohibiti, quoad signo suos notasset. his signatis, & penultima in mortales plaga iam decreta (vltima enim supereſt in consummatione vniuersi) Christus eos vinculis expedire iubet. ante enim tanquam compedibus coercebantur, ne id facerent, cui erant intenti. quandiu autem illis mora nectitur, ad magnum flumen Euphratis constricti dicuntur; allusione quadam videlicet ad historiam Baltazaris in Daniele. nam vt Babylonem à Persis & Assyrijs diuidit Euphrates, quem amnem illi traiecerunt vt Baltazarem tollerent è medio: ita hæc remora, Christi iussu, Angelis ad Euphratē iniecta est. in vlteriore eius ripa vincti erant: neque eius traijciendi, vel orbis vastandi eis copia facta est, priusquam electis character impressus esset: tum verò licentia solutis permissa est; quod hic Christi mandato factum est. 15. Soluti sunt igitur quatuor illi Angeli, parati ad horam, diem, mensem, & annum, vt occidant tertiam partem hominum: nempe, eo ipso momento, quo Deus præscripserat, stabant accincti ad eorum perniciem, qui signati non erant. nam in signatos nihil iuris habuerunt: sicut nec in illos, quos vltima absorptura erat plaga; nempe illa nouissimæ diei. huic igitur excidio tertia hominum pars solùm destinata fuit. nunc sextæ tubæ adest calamitas. 16. Et primum vidi exercitum equestrem, cuius numerus erat bis millies centenorum millium. nam audiui numerum eorum. hoc gemino numero, eóque tam vasto, duplex proditur futurâ monarchia, & gemina geminæ tyrannidis sedes: vna in Oriente, altera in Occidente; vnde grauissimę nascentur in ecclesia persecutiones. 17. itemque vidi equos hac visione; & qui ipsis insidebant habebant thoraces igneos, & hyacinthinos, & sulfureos. erant autem capita equorum, vt capita leonum. & ex ore eorum prodibat ignis, & fumus, & sulfur: quia nempe igneâ rabie, fumea ambitione, flagitiosis consilijs, vanisque prętextibus, hi duo monarchæ, alter politicus, alter ecclesiasticus, inuolabunt orbis terræ maiorem partem; & eam tenebunt ditione. quorum vnius, cuius hic descriptio prolixior instituitur, (& est ille quintæ tubæ euersor, cuius nomen erat *Abaddon*) Vnius, inquam, copiarum quod robur est, in equitatu est. hi equi vnà cum sessoribus suis vltimam sacerrimi examinis sectam, atque ordinem constituunt. quorum thoraces (mundana nempe eorum munimenta) ex igne conflantur: quo corporum persecutio indicatur. etenim apud Principes gratiosiores hi futuri sunt omnibus locustis; de quibus in quinta tuba. quorum Principum vires in sui trahent prędidium. Ex hyacintho quoque sunt eorum thoraces: quoniam vt hęc herba est specie obscurâ, colore fumeo, odore amaro, ita isti homines obscuris, dolosis, & amaritudi-

nem

nem redolentibus hęresibus (quæ in tertia tuba *absynthij* nomine iure veniunt) suam alent & firmabunt audaciam. Sulfur denique (quo peccati fœditas & graucolentia, tum tartarei ignis flamma & vis indicatur) ad hanc mixtionem pertinet. nempe Satanas; ille auctor peccati, & pœnarum administer; omni fraude hos tutabitur: fidissimos suos satellites, & nouissima omnium insecta, ex abyssi fumo genita. neque tantùm copia illis erit triplici hac ratione sese muniendi; verum etiam fideles vltrò inuadere & affligere audebunt. quod per *equorum leonina & voracia capita* significatur. & quibus artibus sè tuebuntur, ijsdem etiam hos absument. nam innoxiorum corpora vanis minis, & astutia hęretica vexabunt, Principum potentia subnixi. tum verò Satanæ fraudibus, & machinamentis, alias atque alias animabus inflammandis insidias struent. prius genus *fumo*, posterius *sulfure* notatur. 18. Per has tres plagas occisa est tertia pars hominum: nempe, per ignem, fumum, & sulfur, quæ prodibant ex ore ipsorum. nimirum eò crescet ipsorum violentia, & improbitas, vt nullum non lapidem moturi sint, quò tertiam partem hominum ad interitum perducant. veruntamen non his tantùm modis grassabuntur ad perdendos mortales: 19. nam eorum potestas non modo in ore eorum est (vt iam audiuistis) sed etiam in caudis. nam eorum caudæ similes sunt serpentibus; aculeatæ nimirum, vt lædant. hac in parte locustis absimiles non erunt. 20. Nihilominus ita animi impiorum obdurabuntur, vt qui huius tubæ plagis occisi non sunt, ab impietate tamen sua non sint cessaturi. ab idololatria nempe, & adoratione dęmoniorum, & imaginum aurearum, argentearum, ęnearum, lapidearum, lignearum; quę neque cernere possunt, neque audire, neque ambulare. ideoque hunc hęreticum Monarcham habent pro flagello, & pœna. 21. neque à violandis secundæ tabulæ legibus abstinebunt, homicidijs suis, & veneficijs, & stupris, & furtis: quorum alter ille Monarcha, qui corpus solum affligit, vindicta, flagellum, & pœna est.

CAP. X.

Ioannes audit explicationem mysteriorum, quæ in tergo libri scripta erant. sed reuelare nefas est. de futurorũ notitiâ, quæ libri deuoratione notatur, pro tempore quidem lætitia perfunditur: sed postea voluptas vertit in amarorem.

VIdi alium Angelum validum, descendentem de cœlo: amiciebatur nube: supra caput eius erat iris. facies autem eius erat vt sol: & pedes eius vt columnæ igneæ. validus hic Angelus, amictus nube, est Christus: qui tectus *nube* in cœlos ascendit, & *in nubibus* nouissimo reuenturus est die. *nubes* populum Israeliticum in deserto iter facientem ducebat interdiu: è qua rorem gratiæ suæ affatim destillat Christus in corda

corda fidelium. caput iride cingebatur; vt fœderis cum electis olim icti memoria renouaretur. de facie, quæ *ſoli*; & pedibus, qui *columnis igneis* aſſimilantur, iſi epiſtolæ meæ limine audiuiſtis. 2. habebátque in manu ſua libellum apertum. hic Euangelij, lętiſſimi illius nuncij, liber erat. dextrum pedem ſeu validiorem impoſuit mari: vt elementum illud ſuapte natura inſtabile ſtabiliret. ſiniſtrum autem terræ; quę faciliori negotio firmari poterat. quod ideo ab eo factum eſt, vt ſuæ in hęc elementa potentię daret ſpecimen; quibus netas eſt metas ab eo prę-ſcriptas tranſcendere. ideoque Dauid in Pſalmis terram vocat *ſcabellum pedum eius*. 3. Clamauítque voce magna, ſicut leo rugiens: terribilia enim erant, & magna, quę denunciaturus erat. 4. & poſtquam clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas. hi erant ſeptem Dei ſpiritus, qui eius iuſſu loquebantur. & ego ſcripturus eram, quęcúnque loquerentur: ſed audiui vocem de cœlo dicentem mihi: *obſigna quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, ſed ea ſcribere noli*. per illa enim Spiritus ſanctus mihi ſex tubarum arcanum, planiſſima interpretatione, nudauit; quod nunc diuina voce prohibeor orbi cum cęteris vulgare. obſignandum nempe eſt: & dum temporis aderit maturitas, fido ſilentij ſacrario tegendum. 5. Et Angelus ille, nempe Chriſtus dominus; quem vidi ſtantem ſuper mare & ſuper terram; ſuſtulit manum ſuam ad cœlum. 6. Et iurauit per eum, qui cœlos terram, mare, & quęcunque in ijs ſunt, creauit; tempus non fore amplius: ſed diebus vocis ſeptimi Angeli, quum clangere incipiet, conſummatum iri myſterium Dei: ſicut prędixerat ſeruis ſuis, Prophetis. hoc iuramento mihi fidem facere volebat, peractis omnibus, quę ſex tubę repræſentauerant, ſtatim rebus omnibus finem adfore; quę autem in ipſa rerum conſummatione expectanda ſunt, ea ſeptimę tubæ ſono indicatum iri, omnia vti olim Prophetis ſuis reuelauerat. 8. tum vox ea, quam ante audieram, de cœlo me compellauit. nempe Dei patris vox de integro auribus meis appulit. & dixit: *abi, & accipe librum illum apertum, qui eſt in manu Angeli, ſtantis ſuper mare, & ſuper terram*. 9 abij igitur ad Angelum, & oraui, vt mihi librum daret. & dixit: *accipe & deuora eum: & amaritudinem adferet ventri tuo, ſed in ore tuo dulcis erit, vt mel*. 10. Accepi igitur libellum è manu Angeli. & comperi veriſſimum, quod dixerat. perfundebar enim voluptate, dum, librum deglutiens, particeps fiebam diuinorum myſteriorum: ſic in ore dulcis fuit. at peracta concoctione, cùm ex officio mihi incumberet illum orbi annunciare; eamque ob cauſam improborum hominum odijs agitarer, ſpernerer, affligerer; exiguum autem meorum laborum fructum referrem: ilicet in ventre amaruit quod olim & Ionæ contigit: & omnibus veris huius libri prędonibus in poſterũ continget. 11. Tum dixit mihi: *oportet te iterum prophetare coram populis, & gentibus, & linguis, & Regibus multis*. etenim mei filij in Chriſto, hęredes doctrinæ meæ, quorum vita

in

in has calamitates incidet, habebunt quoque in mandatis, eiusdem Euangelij prædicationem ad salutem credentium instaurare. his ea indulgebitur fiducia, vt mandata intrepidè exponant, non tantum coram populo, verumetiam coram Regibus multis ; nec ad eorum facies quicquam obstupescant.

CAP. XI.

Babylon, Papæ imperium, externa est Templi pars. Vera ecclesia est in Sancto Sanctorum : sed ad tempus duntaxat : nempe sub horum hypocritarum persecutionibus. iugiter mittuntur pastores fideles, in testimonium veritatis. vexantur illi & iugulantur ab Antichristo. tandem fortiores excitat Deus pastores, qui suis coloribus Papatum depingent : eiusq; ruinam prædicent. in septima tuba dies iudicij describitur.

ET Vnc datus est mihj longus calamus, instar virgæ. astitit què mihj Angelus, qui librum dederat, dicens: surge, & calamo tibi dato metire templum Dej, & altare, & eos qui adorant in eo. 2 Sed atrium, quod extra templum est, exclude : & ne metiaris illud. nam datum est gentibus, quæ vrbem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus. ne forte, scilicet, crederem nihil suo sæculo profuturos successorum meorum labores (quando iam ex sexta tuba nimis certum est, duabus illis monarchijs orbem terrarum nexu & mancipio datum iri) Christus Dominus, tum vt mihj persuadeat nonnullos vtique intaminatos & puros manere ; tum vt fideles prę monеat pestiferum hunc Monarcham, cuj nomen est *Apollyon*, corporea successione sessurum esse in ecclesia & templo Dej ; eam ob rem, calamo metiri iubet Ecclesiam. nam, quotquot ad veram Ecclesiam spectant, sospitabit ; illos inquam, qui de adyto sunt. cæteri propter hypocrisin gentibus accensebuntur. hæc erit successorum meorum, de quibus etiam nunc loquor, partitio. nam decempedâ & examine verbi (quod calamo significatur) *Sanctum Sanctorum* ab atrio separabunt ; scilicet, à simulata illa & Antichristiana ecclesia, quæ quadraginta duobus mensibus, vel tribus annis & semi (nam idem est numerus) veram ecclesiam affliget humi, & conculcabit. hoc interuallo, à Christo præfinito, alluditur ad Danielis de duobus temporibus, & tempore & dimidio temporis, vaticinium. nam vt propheticæ hebdomadis dimidium eo loci intellexit Daniel, ita hoc loco significat Christus persecutionem Abaddonicam dimidium nouissimj temporis esse duraturam. vt nempe circa medium vltimæ huius hebdomadis eius imperium statuatur. cuius hebdomadis initium ducitur ab incarnatione, & primo Christi aduentu ; finis in secundo aduentu hærebit. quæ quia vltima est periodus, hoc in loco *hebdomadi* non immeritò assimilatur. 3 Sed dabo sanctam ciuitatem duobus testibus meis, qui prophetabunt diebus mille du-

Digitized by Google

centis ſexaginta, amicti ſaccis. nam hos mihi ſucceſſores, in teſtimonium veritatis, & quidem idoneo numero excitabit. ex ore enim duorum, aut trium teſtium, ſtabit omnis vox. Conteſtabuntur hi falſam eſſe illorum doctrinam, qui ſibi commiſſam perſequuntur odio eccleſiam. & fient patronj Eccleſiæ, vt eam veri verbi poteſtate protegant, & ſuſtentent. & nothæ Eccleſiæ pœnitentiam annunciabunt; qua de cauſa ſaccis amicti ſunt. atque vt plena ſolaminis nobis oboriatur fiducia, etiam in denſiſſima noctis caligine vnum ſubinde, vel alterum è teſtibus legabit Deus, qui iſtius *Apollyontis* hypocriſin deſpuat; veram autem Eccleſiam muniat ſolatio. numerus dierum, quibus prophetabunt, examuſſim reſpondet menſium præfatorum numero. nimirum tamdiu veritati teſtimonium perhibebunt, quandiu Antichriſti regnum durabit. 4 Hi teſtes ſunt duæ oleæ virentes, quæ ſacro illo oleo electos inungunt: & duo candelabra, quæ orbem terræ (vt Chriſtus dixit) ſuo ſplendore illuſtrant; humi poſita, vt officium ſuum exequantur in conſpectu eius, qui dominus eſt, & rector terræ. 5 Quod ſi quis velit eos lædere, ignis prodibit ex ore ipſorum, & deuorabit inimicos. ita enim oportet occidi, quiſquis eos læſerit. nempe Spiritus ſanctus, ignis ille in ore ipſorum, acculabit, & ſecundâ morte perimet, quotquot eos perſecuti fuerint, vel non audierint, vel eorum doctrinæ morem non geſſerint. 6 Hi teſtes habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum: & poteſtatem habent ſuper aquas, vt eas in ſanguinem conuertant: & percutiendi terram omni plaga, quoties voluerint. nam & ipſorum & legationis fidem tam certis ſignis aſtruet Deus, quàm fuit gratiâ Eliæ cælorum obſeratio, & defectus pluuię per id tempus, quod prædixerat; aut causâ Moſis conuerſa in ſanguinem aqua; & percuſſa varijs plagarum generibus Aegyptus. 7 Atque hi non minùs morte ſua teſtimonium dicent, quàm vita. nam ſinguli, decurſo in terris tempore à Deo præfinito, dira patientur, & vincentur, & occidentur à beſtia, Angelo abyſſi; Rege locuſtarum. in magna illa vrbe, imperij ſede, tanquam facinoroſi publicâ afficientur morte. 8 Et in plateis vrbis iacebunt eorum cadauera. & hæc vrbs ſpiritualiter vocatur *Sodoma*; ob ſpirituale adulterium, id eſt, idolomaniam, quam exercet & fouet. vocatur *ſpiritualis Ægyptus*, quia intolerabilj ſuperſtitionis pondere animas electorum grauabit, vt quondam Ægyptus corpora ſacri populi ſibi mancipata iniquis oneribus afflixit. In ea quoque ciuitate crucifixus eſt Dominus noſter. nam vbi Chriſti membra propter Dominum iugulantur (quo genere delicti & vrbs hæc & Reges illius infames erunt) ibi reapſe Chriſtus ipſe crucifixus eſt: eiuſque paſſio tam ijs imputabitur, quàm Iudæ, qui eum prodidit. 9 Et homines ex omnibus tribubus, populis, linguis,

& natio-

& nationibus eorum cadauera videbunt, per tres dies & ſemi ; nec permittent ea ſepeliri. 10 Et incolæ terræ gaudebunt : & hilares erunt de eorum cædibus : &munera mittent alij alijs in teſtimonium lætitię ; propterea quòd à duobus Prophetis, qui orbem terrarum inquietabant, iam liberati ſint. nam totus mundus, quj extra *Sanctum Sanctorum* eſt, non permittet modò, ſed probabit quoque horum teſtium cædem ; & quæcunque in eos crudeliter & ignominioſè decreta ſunt : tanquam communi ſepulcri honore forent indigni. Eorum morte tota terra lætabitur. nam vt olim Achabus Eliam criminabatur, tanquam vexatorem Iſraelis : ita moleſtos ſibi eſſe hos teſtes opinabitur mundus ; nimirum, ob nudata eius probra, & pœnitentiam iniunctam. 11 Atque ita tres dies & ſemi ; nimirum, tres annos & ſemi iacebunt neglecti. vnde colligitur, durante Antichriſti regno, malè eos multandos. ſed poſt tres dies & ſemi ſpiritus vitæ à Deo profectus ingredietur in illos ; ſtabuntque erecti in pedes ſuos : & magnus metus in eos cadet, qui antea ipſos ſpectarunt. 12 Et magnam audierunt de cælo vocem dicentem ipſis : *adſcendite huc.* & aſcenderunt in cælum : & hoc ab ipſis fieri inimici ipſorum viderunt. nam quanquam, hypocritico illo & hæretico vigente imperio, præcones veritatis, ſtatim vt conſpecti fuerint, rapientur ad mortem ; labaſcet tamen hæc Monarchia tribus annis ſuis, aut diebus totidem exactis. Tum ſpiritus vitę à Deo profectus ; nempe Sanctus Spiritus à Deo miſſus, in vltimi temporis Paſtores validiùs influet. nam in ijs reuiuiſcent denati Martyres : & radices aget in cordibus multorum doctrina pietatis : tantaque erit rationum, quibus illi vtentur efficacia ; vt non magis de illorum victoria ambigere queat Antichriſtiana ſecta, & vnanimis illi orbis ; quàm ſi à Deo in cælum inuitatos audirent, ad capiendum victoriæ præmium. Inuidioſa quoque illa vitæ & necis poteſtas ceſſabit. protegentur enim à multis, quorum animos ad pietatem inclinabit Deus ; adeò magnificè, & ſecure, tanquam euolarent in cœlos nube tecti, nec quiſquam potis eſſet cohibere. 13 Tunc quoque terræ motus magnus erit ; nempe tumultibus & ſeditionibus ciebuntur gentes : & decima pars vrbis cadet. Vrbs hęc in decem partes diuiditur ; vt intelligamus eandem eſſe cum Monarchia, decem cornibus minace ; quæ inferius deſcribitur. decimæ partis caſus nihil aliud eſt, quàm multarum gentium defectio, graue dominationis iugum detrectantium. Et cæſa ſunt in eo terræ motu ſeptem millia hominum : nimirum ingens hominum numerus per illos ſeditionum motus peribit. Reliqui autem territj ſunt : & dederunt gloriam Deo cœli. multi enim per horum tumultuum, & diuinorum iudiciorum terrores reuocabuntur ad notitiam veri. 14 Væ ſecundum abijt. nam hæ ſunt ſextæ tubæ plagæ. & ecce tertium væ venit cito.

ſequitur enim eorum dierum enarratio, in quibus finis ſtatuitur, primò quidem imperio Antichriſtj; deinde verò orbi terrarum. itaque aures hîc arrigite. nam plagarum nouiſſima eſt. 15 Septimus igitur Angelus clanxit: & factæ ſunt voces magnæ in cœlo dicentes; *facta ſunt regna mundi Domini noſtri, & Chriſti eius, qui regnabit in ſæcula ſæculorum.* ideo profectò in cœlis audita fuit huius clamoris lætitia, quia nouiſſimi iudicij tempus aderat: & poteſtate exutis regibus terræ, Sanctorum hoſtibus, vnus Chriſtus rex, & imperator rerum omnium, moderaturus erat habenas. 16 Tunc viginti quatuor Seniores, qui in conſpectu Dei ſellis ſuis inſident, præ gaudio, quòd iam non longè abeſſet fratrum ſuorum ſalus, prociderunt in facies, & adorarunt Deum, dicentes: 17 *Gratias agimus tibi Domine, Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es; quia nunc poteſtatis tuæ amplitudinem notam facturus es, & glorioſum tuum regnum initurus.* 18 Et iratę ſunt gentes. nam tandem impij intelligunt nullum amplius vi, vel dolo locum eſſe relictum. iam ira tua irrefragabilis, & præſtitutum tempus mortuorum venit. nam mortui iam ad iudicium vocandi ſunt: tuque ſeruos tuos, & Prophetas, & Sanctos, & quotquot nomen tuum verentur, paruos, magnos, remuneraturus es; & perditurus eos, qui terram perdunt; nempe perſecutione Sanctorum, & omnijugo vitiorum contagio. 19 Tunc apertum eſt templum Dei in cælo, vt conſpiceretur arca fęderis in eo: quæ ideo monſtrabatur à Deo, vt certos faceret Sanctos ſe promiſſi fore memorem, & ſeruato eius tenore Chriſtum é veſtigio demiſſurum ad iudicandum terram: quod tunc ingenti cum terrore perfectum eſt. hoc enim ſibi volunt, quæ tunc acciderunt, fulgura, voces, tonitrua, & terrę motus. at grandine magna, quæ ea tempeſtate cecidit, terrę interitus ſignificatur. nam grandinis nimbus omnium aliorum damnoſiſſimus eſt ſatis, & maximè letifer.

CAP. XII.

Noua viſio. malicia Diaboli aduerſus Chriſtum & Eccleſiam. diuinæ prouidentiæ beneficio Eccleſia euadit illius furorem. occulta ea eſt, & ad tempus abſcondita. ad eam euertendam hæreſes & perſecutiones à Dæmone excitantur. in quibus omnibus parum eſt auxilij. ideoque capitalem hoſtem aduerſus eam ſuſcitat, Romanum Papam.

QVemadmodum ſeptimum ſigillum ſeptem claſſica complectens (quorum intellectus patet ex dictis) nihil aliud erat, niſi amplior quædam ſeptem priorum expanſio (ſicut ante oſtendi) ita hęc viſio, iam mihi patefacienda, nihil aliud eſt, niſi cum præcautione coniuncta manifeſtior expoſitio eorum temporum, in quibus Eccleſię

metuendum

metuendum eſt periculum ; & inprimis trium nouiſſimarum plagarum. 1 Viſum eſt autem ſignum in cælo magnum & mirabile : nempe mulier amicta ſole : ſub cuius pedibus erat luna, & in capite corona ſtellarum duodecim. 2 Et ferebat vterum ; iam quoque ſic proxima partui, vt clamaret : grauiter enim torquebatur partûs doloribus. 3 Et viſum eſt aliud ſignum in cœlo, dignum admiratione. Draco rufus & ingens, habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus ſuis diademata ſeptem. 4 Eius cauda ſecum trahebat tertiam partem ſtellarum cæli ; quas abiecit in terram. ſtetit autem is Draco ante mulierem, vt cùm peperiſſet, filium eius deuoraret. 5 Peperit autem filium maſculum, recturum omnes gentes ferrea virga. & raptus eſt filius eius ad Deum, & thronum eius. 6 Mulier verò fugit in ſolitudinem : vbi habet locum paratum à Deo, vt illic aleretur diebus mille, ducentis, & ſexaginta. 7 Factum eſt autem in cœlo prælium magnum : Michael enim & Angeli eius præliati ſunt cum Dracone, & Angelis eius. 8 Draco autem & eius Angeli prœualere non potuerunt : ſed è contra locus eorum in cœlo inuentus non eſt. 9 Atque ita Draco ille magnus, ſerpens ille antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas. qui ſeducit totum terrarum orbem proiectus eſt in terram ; & omnes eius Angeli cum ipſo proiecti ſunt. 10 Et audiui vocem in cœlo dicentem : *nunc facta eſt ſalus, & potentia, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius ; quia deiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat eos in conſpectu Dei noſtri, die ac nocte.* 11 Nam qui cum eo pugnarunt vicerunt eum, propter amorem quo complectuntur agnum, & eius ſanguinem, & verbum teſtimonij eius : & eam ipſam ob cauſam ſuę vitæ prodigi fuerunt vſque ad mortem. 12 Propterea hilares eſtote cœli, & qui habitatis in eis. Væ autem incolis terræ, & maris : nam Diabolus deſcendit ad vos, & excandeſcentiæ magnæ plenus eſt, vt qui ſciat regnandi tempus exiguum ſupereſſe ſibi. 13 Cum igitur vidiſſet ſe Draco in terram proiectum, perſecutus eſt mulierem, quæ pepererat maſculum. 14 Sed datæ ſunt mulieri binæ alæ ingentes, aquilinæ, vt è conſpectu ſerpentis auolaret in deſertum, in locum ſuum, vbi aleretur per tempus, & tempora, & dimidium temporis. 15 Eiecit autem ex ore ſuo ſerpens poſt mulierem aquam, tanquam flumen, vt vi eam abriperet. 16 Sed ſuccurrit terra mulieri : aperuit enim os ſuum : & abſorpſit flumen, quod eiecerat Draco ex ore ſuo. Ex prima huius viſionis parte mihi datum eſt ſcire, vt primùm Eccleſia, quæ per mulierem ſignificatur (ſponſa enim eſt Chriſti, amore & reuerentia illi, vt capiti, & marito, & gloriæ ſuæ morem gerens ; debilis tamen & infirma vt mulier) ſplendore ſuo & innocentia illuſtris, vtpote ſole amicta ; tum pedibus calcans & faſtidiens mundum, omniaque

niaque illius inania; vtpote lunam calcibus premens, planetam non ſuo, ſed mutuato lumine ſplendicantem; formis verò omnijugis mutabilem, inſtar mundi; coronata denique glorioſo illo duodecim Patriarcharum, & Prophetarum, & duodecim Apoſtolorum lumine, quibus ſuccedit in vnitate doctrinæ, vt merito illis tanquam aſtris hic dicatur coronata: vt primùm, inquam, Eccleſia ſic ornata Chriſtum peperit in carne, qui maſculus ille eſt, regens gentes ferrea virga (vt Dauid in Pſalmis canit) ſtatim rufus ille, & antiquus Draco, vt qui in primis noſtris parentibus ſuam exercuerit malitiam; Rector innumeræ hominum multitudinis, per ſeptem eius capita & totidem diademata notatæ; Diabolus ipſe, infinitis inſtructus machinis, & inſtrumentis ſuæ improbitatis per, decem cornua, quadam ad Danielis vaticinium alluſione, notatis; ille robuſtus inſidiator, non modo reprobos alliciens in conſortium impietatis, ſed & paſtorum nonnullos, & viſibilem Eccleſiam in certiſſimam ducens perniciem; vt qui caudę illecebris incautam ſecum trahat tertiam partem ſtellarum cœli, & in terram proijciat: hic Draco, vitę infantis inſidiatus, & quidem priuſquam naſceretur, diducto & hiante rictu; cùm iam de victoria diffideret, imò verò contrà cerneret Chriſtum iam reſurrexiſſe à mortuis, & aſcendiſſe in cœlos (hic ille eſt puer raptus ad Deum & thronum eius) Eccleſiam verò etiam in aſpera perſecutionis hyeme florere, quæ fuga eſt mulieris in locum eremi deſtinatum à Deo, vbi per dies iam numeratos lateat (nempe ignota iacebit & neglecta Eccleſia, nec quibus modis alenda & tegenda ſit, quiſquam hominum reſciet: Deus eam paſcet toto Antichriſtiani regni tempore, qui eſt dierum numerus, quem vobis iam ſubduximus) quum cerneret Draco non modo euaſiſſe Chriſtum, & Eccleſiam ex vnguibus ſuis: ſed etiam non licere ſibi (vt ſub veteri lege ſolebat) Dei Sanctos amplius accuſare, iam Saluatoris virtute renouatos, regenitos, iuſtificatos, quod prælio illo in cœlis facto notatur; vbi Deus innuere volens nemini ſibi eſſe ſimilem, auctor Chriſto fuit, vel quod idem eſt, Michaeli (quo nomine Deo ſimilis ſignificatur) & Angelis ſuis, vt cum Diabolo & eius Angelis confligeret, eoſque debellaret, & in terras præcipitaret: quum cerneret, inquam, ſe ab accuſandis Sanctis æternùm deiectum, nec vlli fore vlteriùs virulentiæ ſuæ locum: quemadmodum ea res Angelis volupe fuit, & Sanctis omnibus, propter fratrum ſuorum ſalutem (vt teſtatur hymnus in cœlis decantatus, à voce Deum laudante, & Michaelis eiuſque Angelorum virtutem efferente; qui tanto ſtudio pro Sanctis in terra decertarunt, vt ſi ipſi mortales fuiſſent, non dubitaſſent in eorum cauſa animas effundere, quos Chriſtus ſuo ſanguine redemerat; quorùmque electionis defunctus erat apud patrem ſuum teſtimonio) ita contra Draconem

ea res

ea res magis efferauit: & dirioribus tentationum machinis superstites mortales aggressus est; tum quia redemptionis mysterio, quod hoc in cœlis prælio innuitur, potestate Sanctos accusandi priuatus est; tum quia secundo Christi aduentu præsagiebat breui se è terris in tartarum præcipitatum iri; vbi cathenatus æterno carceris squalori manciparetur, haud secus ac primo Christi aduentu è cœlo in terras deturbatus est, quod vltima hymni parte indicatur; vt nihil illi nunc restet, præterquam vt hæresibus & sæculari violentia inquietet Ecclesiam; quæ ambo torrente illo aquarum vomitu notantur, quo abripere satagebat mulierem: postquam iam aquilinis alis donata est, vt in eremum eò se reciperet, vbi prętato dierum numero maneret; nempe postquam Deus ea pernicitate donasset Ecclesiam, quæ satis esset ad Satanæ furorem declinandũ, & ad latibula tempore Antichristiani regni mutanda: quum cerneret se frustra hic esse, tanquam illam vomitus inundationem terra subitò exiccasset, aut absorpsisset. 17. Tum verò Diabolus, Draco ille, aduersus mulierem, nempe Ecclesiam magis exanduit, quàm prius: atq; alia via bellũ instaurauit aduersus reliquos, ex semine fœminæ, qui præcepta Dei obseruabant, & testimonio suæ vocationis & electionis commendabantur patri à filio Iesu Christo. nam hæc sola est genuina Ecclesiæ posteritas; nempe legitimi eius hęredes in gratia, fide, & veritate. 18. Steti autem super arenam maris: aut vilus sum mihi (hoc enim volo) ad *arenam maris* stare, quo elemento populi & gentes repręsentantur: vt obseruarẽ, quas inde Satanas copias eductus esset aduersus Ecclesiam. nam eius rei patefaciendę gratia visio hęc mihi monstrata fuit: ad quã duo illa postrema miracula μεγίστων loco erant; vt ex rebus præteritis, tanquã radice, ramos inde pullulaturos rectiùs intelligerem.

CAP. XIII.

Ortus Papæ è ruinis quartæ Monarchiæ, quæ Romana est. eius descriptio. origo Papisticæ ecclesiæ. eius descriptio, & cum suo Monarcha, nimirum Papâ, conformitas. reuerentia, qua multæ gentes prosequuntur non Papam tantùm, verumetiam eius legatos. apostasia vniuersalis, vt nulla futura sit visibilis Ecclesia, præter Papisticam. de Pontifice, qui primus blasphemos & superbos titulos omnes vsurpauit.

1. ET vidi *bestiam* ascendentem è mari; erectam nempe à Diabolo e gentibus, & populis monarchiam. & habebat septem capita, & cornua decem, & impositis cornibus suis decem diademata. quorum capitum & cornuum interpretatio ab Angelo mihi facta est (vt commodo demceps dicetur loco) & impositum erat capitibus eius nomen *blasphemiæ*. Cap. 17. 2. Hæc bestia Rex est: eiúsque monarchia est quarta illa Danielis, quæ hac ipsa tempestate potitur rerum: in Daniel 7. qua

qua rediuiuæ factæ ſunt trium præcedentium vires. eſt enim longè illis valentior. ideoque vt illa. *leopardi*, ab acquirendi celeritate, nomen ſortita eſt; & illa *leonis*, à potentia & ſęuitia; & illa *vrſi* à robore & diuturnitate; ita hęc dicitur ſimilis leopardo: nimirum ſpecie, vnde naſcitur eius agilitas. capite verò repręſentat *leonem*. nam leonis vis in capite eſt, vt ante audiuiſtis. pedibus denique *vrſum*; nam in vrſi pedibus robur eſt, & pertinacia. eiuſmodi compages docet hanc monarchiam longe eſſe cæteris neruoſiorem; & earum in ſe vires (vt modo dixi) habere rediuiuas. Et animaduerti vnum e capitibus beſtiæ lethaliter vulneratum: ſed iam ſanatum erat. & tota terra beſtiam ingenti cum admiratione ſequebatur. Scilicet, vt hinc mihi innoteſceret, non illam eſſe hanc beſtiam, cuius vos ante certiores facere iubebar. nam quod eius peſſimum eſt, iam fere narratum eſt; & breui hęc monarchia euertetur. atque ideo duntaxat mihi oſtenſa eſt; quia ex illius ruderibus, & in auguſta imperij ſede exurget *hæretica* illa *monarchia*, cuius vos pręmonitos volo: quod indicatur letali capitis vulnere, quod perſanabatur. nam vt *phœnix* (quemadmodum profanæ meminerunt hiſtoriæ) ex ſuis reuiuiſcit cineribus; ita ex huius imperij ruina aliud conſurget, ad cuius potentiam, terrarum orbis, quantus ille quidem eſt extra *Sanctum ſanctorum*, ſtabit attonitus; eam reuerebitur, eam ſequetur; eius iuſſa capeſſet, vt modo audiuiſtis enarratum. 4. Et adorarunt Draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ. manciparunt ſe etenim operibus tenebrarum, vt cultum & obſequium præſtent Diabolo, qui hanc beſtiam ad
Cap.12. pugnam cum ſemine mulieris ſuſcitauit: vt & antè à nobis dictum eſt. Diabolum quoque in ſuo ſatellite adorarunt; nempe, in beſtia ab eo ſuſcitata; in monarchia ab eo erecta: cui ſe magna reuerentia obſtrinxerunt dicentes: *quis eſt ſimilis beſtiæ? quis poterit cum ea pugnare?* nam ingentibus humanæ potentiæ opibus nitetur hæc Monarchia: quibus orbis iudicio adeò cęteras vicit, vt ipſa vinci nequeat. præſertim verò incredibile videtur euerti poſſe eam *à paruoſillo Lapide*, abſque manuum
Daniel.2. opera è monte exciſo, à Daniele memorato: cuius vi nihilominus conteretur in fruſta. 5. Datumque eſt ei os loquens magna, & blaſ-
Daniel.7.12. phemias: os, vt Daniel ait, grandiloquũ & Domino oggãniens. nempe hæc monarchia, ſeu Rex eius, longè ſe efferet ſupra cæteras creaturas: & inauditâ omnibus ſęculis titulorum arrogantiâ ſe venditabit; quibus ille, vt & hęreticâ doctrinâ ſuâ, multum diuino honori derogabit: imò verò omnem Deo debitam poteſtatem tam fidenter inuolabit; vt meritò dici poſſint verba aduerſus Deum, & blaſphemiæ nominis eius. & data eſt ei poteſtas agendi; nempe, permittet Deus gliſcere immanitatem huiuſce tyrannidis; vt ſpatio duorum & quadraginta menſium affligantur Sancti. cuius interualli ideo apud me facta eſt mentio, vt certò intelligerem hanc Monarchiam, quæ ex alterius ruinis excitata eſt,
Cap.11. primò eandem eſſe cum *ciuitate ſextæ tubæ*, quæ duos teſtes perſequebatur

tur (æqualis enim vtrique attribuitur duratio) deinde verò (quod hinc ſequitur) *cum Angelo abyſſi* quoque coincidere, ſeu cum *illo quintæ tubæ Apollyonte*: præterea cum *ſeſſore illo equi pallidi*, cuius nomen eſt *Mors*, in ſigillo quarto: denique, licet obſcuriùs, cum *ſemiſſe equeſtris exercitus*: cuius ſemiſſis armatus ille equus, mihi in viſione conſpectus, pars virium erat; & caput eius, vel Monarcha erat illa idololatriæ plaga. qui Monarcha ſimul cum alio illo, cuius mentio paulò obſcurior eo loci facta eſt, qui eſt plaga peccatorum, quæ contra ſecundam tabulam admittuntur; hæc inquam beſtia hîc memorata, & alius ille Monarcha, qui ſe capitalem apertúmque Chriſtianæ Eccleſiæ hoſtem profitetur, copias ſuas ambo conſcribent, vt magno illo die Domini cum Eccleſia confligant: de qua re ſuo loco. 6. Tum verò hæc beſtia, pro poteſtate ipſi conceſsâ, aperuit os ad blaſphemias aduerſus Deum; vt conuicijs afficeret nomen eius, & tabernaculum eius; nimirum *factum Sanctorum*, quæ eſt Eccleſia militans, & eos qui in cœlo habitant. eò enim deueniet ferociæ tyrannus, vt non modò Dei nomen eâ, qua diximus, diritate blaſphematurus ſit, & Chriſti membra, quæcunque in terris reperiet, omni perſecutionis laniena exanimaturus; ſed & ſanctas defunctorum animas omnibus calumnijs & conuicijs proſcindet. 7. & eam ob rem permiſſum eſt illi bellum gerere cum Sanctis; adeóque & illos corporaliter vincere; & dominari omnibus tribubus, linguis, & nationibus. in tantum, ſcilicet, ſe extollet monarchiæ huius potentia. 8. Itaque adorabunt eum omnes incolæ terræ. magna, nimirum, pars hominum eum reuerebitur; quotcunque nomina ſua non habent ſcripta in libro vitæ agni illius mactati: qui liber ante iacta mundi fundamenta ſcriptus fuit. nunquam enim poterant induci, vt genua Baali flecterent, qui à Chriſto ad ſalutem ab æterno prædeſtinati fuerunt. 9. Si quis habet aurem audiat: & decreto ſequenti animum intendat. 10. Si quis in captiuitatem duxerit, ducetur & ipſe captiuus. & ſi quis gladio occiderit, gladio quoque is occidetur. Quandoquidem igitur certò vobis conſtat, Deum ſuo tempore remenſurum eſſe eorum tyrannidi eandem, quam illi Eccleſiæ menſuram menſurarunt; nolite committere, vt deficiant animi veſtri in rebus aduerſis, præ deſperatione diuinę vindictę; quia ipſe longanimus eſt: ne deficiant, inquam, a confidenti conſtantiqúe veritatis profeſſione. nam in hoc patientia & conſtans Sanctorum, electorumque fides explorabuntur. 11 Deinde vidi aliam *beſtiam* adſcendentem è terra. & habebat duo cornua inſtar agni: ſed loquebatur vt Draco. nam, quo melius intelligerem non in ſola corpora dominari hanc mŏnarchiam, ſed è contra in animas præcipuè & conſcientias hominum; alia hæc mihi monſtrata eſt beſtia, quæ hæreticum locuſtarum imperium refert: quarum Rex quintę tubæ ſono *Apollyon* renunciatus eſt. hæc beſtia mentitur auctoritatem Chriſti, obtenditque duos gladios, & duas claues, quas

Cap. 9. Cap. 6. Cap. 9. Cap. 16. Cap. 9.

à Chriſto

à Christo scilicet acceperit; quod per eius duo cornua agninis similia indicatur. Verùm illius in sacra authoritate simulandâ consilium est, falsæ doctrinæ reuerentiam, & obsequia hominum conciliare: cuius rei signum est quod loquebatur, vt draco, vel Diabolus. 12 Est igitur adulterina hæc, & simulata Ecclesia, quæ omnem superioris bestiæ potestatem exercet: vt quæ Reges suos in augusta Monarchiæ sede instruat, & erudiat, quibus modis populi & gentes pellici debeant in obsequium. & hæc ipsa Ecclesia terram & ipsius incolas; omnes nationes, quæ eius errores hausere; ad alteram bestiam, cuius letale vulnus sanatum est, colendam & adorandam inducet. persuadebit enim illis huic monarchiæ ab omnibus hominibus, etiam propter conscientiam, obtemperandum esse, quæcunque demum mandarit; vt quæ errare omnino non possit. 13 Quod vt ab hominibus facilius impetrare possit, magna edit signa, magna miracula; adeo vt etiam ignem faciat è cœlo descendere in terram, in conspectu hominum. vnde quum illi à veritatis amore desciscent, vt credant mendacia; Deus per hanc notham ecclesiam, vt suæ iracundiæ organum, iusto suo iudicio illis illudet, & fucum faciet; per efficacissi-
1. Thess. 2. 2. Reg. 2. ma nimirum miracula & prodigia, quæ cum illo Eliæ ignem è cœlis deuocantis certare queant: quod hîc repetitur. 14. Et hæc omnia miracula in conspectu bestiæ patrauit: nempe vt per illa terræ incolas in cultum & adorationem *bestiæ* pelliciat. quibus etiam persuadet, vt faciant bestiæ imaginem, quæ gladio vulnerata fuit, & reuixit. nam non modo per se gentium multarum frena moderabitur hic hæreticus Monarcha; verum etiam, suadente hac falsa Ecclesia, gentes vnanimi consensu Vicarijs eius, & Legatis, obsecundabunt: qui non contenti legibus loci, in quo sunt, soluti viuere & exempti; pari quoque cum Regibus honore & priuilegijs, vbi vbi sunt, fruentur. & hic voluntarius gentium consensus, adulterinæ illius Ecclesiæ sutelis expressus, hoc loco significatur per imaginem bestiæ, factam Ecclesiæ consilio. 15. Et potestas illi, nempe adulterinæ Ecclesiæ, data est imaginem bestiæ animandi; vocemque ex ea eliciendi; eorúmque corpora occidendi, quotquot eam non adorarent. quemadmodum enim hæc *bestiæ* potestas populorum suffragijs confirmanda est, qui proinde imperij eius auctores sunt: ita operâ huius falsæ Ecclesiæ dabitur bestiæ hęc potestas, hoc enim est animam illi & vocem dare: cuius Ecclesiæ tanta erit rabies, vt neminem dimissura sit impunem, qui non censeat omnia huius Monarchę mandata esse sacra, eiúsque Legatis citra vllum tenuisum esse obtemperandum. 16. atque hęc falsa Ecclesia facit, vt omnes parui & magni, diuites & pauperes, liberi & serui, & in summa, vt omnes, cuiuscunque demum ordinis aut gradus fuerint, accipiant characterem, aut sigillum huius Monarchię in manu suâ dextrâ, aut in frontibus: nimirum vt publicè profiteantur obsequium, eiúsque commoda tueantur,

& ad-

Digitized by Google

& aduerſantes euertant. 17. & nequis poſſit emere aut vendere qui non habeat characterem, aut nomen beſtię, aut numerum nominis eius. etenim tam vniuerſalis futura eſt hęc apoſtaſia, omnique hominum generi tam grata; vt nemini per illam adulterinam Eccleſiam licere poſſit in ciuili ſocietate viuere (quę per emptionem & venditionem hic proponitur) niſi priùs liquidò conſtiterit, non eſſe illum à religionis ſocietate alienum. quod ex *beſtiæ charactere*, eiúſque nomine, & numero intelligitur. Quum itaque iam perſpectum vobis ſit, ad vniuerſos hanc apoſtaſiam pertinere, cauetę ab ijs, in quorum ore inſidioſa illa verba futura ſunt, *Domine Domine*. triumphabunt enim ad tempus (vt hinc videre eſt) Pſeudoprophetæ: & penes ſe eſſe veram Eccleſiam iactitabunt; quia alia viſibilis tum temporis nuſquam erit. quanquam nullo tempore defuturi ſint, qui genua non flectent Baali. Enimuerò 1. Reg. 19.
non deuorabitur mulier à dracone, ſed procul è conſpectu hominum Cap. 12.
in eremo, vbi latebit, fouebitur: quemadmodum ante explicatum eſt. Retinete hęc verba memori mente, nam tempus veniet, cùm hæc doctrina multis erit inſtar ſpinarum in oculis. 18 Quod verò attinet ad *numerum beſtiæ*, hîc ſapientia opus eſt. qui intelligentiam habet, eius numerum ſubducat. nam *numerus beſtiæ*, vel Monarchiæ, eſt numerus hominis: nempe primi illius ſedis Monarchæ; qui primus omnibus blaſphemiæ titulis inſoleſcet; & ſub quarta monarchia ſpiritualem inſtaurabit dominationem, & tyrannidem: eiuſque numerus, nempe numerus annorum à data hac noſtræ Apocalypſeos epiſtolâ eſt ſexcentorum ſexaginta ſex. tum enim ille regnare incipiet. Benedictus a. Platina.

CAP. XIIII.

Beata piorum conditio ſub Papæ tyrannide. eius ruina. ſoli fideles ſeruantur.

QVemadmodum antehac, denunciato calamitatum terrore, mihi ad triſtitiæ ſolatium propoſita fuit Chriſti & Eccleſiæ beatiſſima conditio: ita nunc in proxima viſione vtriuſque beſtiæ detecta tyrannide; nimirum ſpuriæ Eccleſiæ, eiuſque Principis, omnibuſque ſpiritualis illius dominationis expoſitis mallis; Chriſti & eorum omnium, qui ſe illi dediderunt, ſtatus indicatur: vt ex proximè ſequentibus dabitur cognoſcere. Tunc aſpexi: & ecce, agnum ſtantem vidi in monte Sionis, & cum eo centum & quadraginta quatuor millia, habentia nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. nam graſſante huius tyrannidis impotentiâ, in *Sione* ſtabat agnus; nempe in loco ſuo ſancto, vnde ſalutem ſpondet fidelibus, vt canit Dauid. ingenti ille piorum acie ſtipatur, nimirum ex vnaquaque Iſraelis tribu duodecim millibus hominum ſelectis, vt ante notum vobis feci. qui numerus, etſi è Iudæis ſolis conflatus videatur,

tur, comprehendit nihilominus vtriusque generis fideles, cum Iudæos, tum gentiles: quod ad metaphoram continuandam factum est. nam vt antè per *Sanctum Sanctorum* (quæ pars erat materialis templi conditi Hierosolymis) omnes pij denotantur, quemadmodum audiuistis: ita Iudæeorum numerum hoc loco expressum pro tota piorum collectione poni certum est: qui frontis notâ, partis nimirum maximè conspicuæ, publicè Christum intelliguntur profiteri: quemadmodum impij homines sui Regis, Angeli nempe abyssi, characterem in fronte impressum habent. Qui Christo dederunt nomina, ideo eius signum circunferunt, vt eius ope tententur euasisse se impotentem huius tyrannidis sæuitiam. 2 Et audiui vocem è cœlo, tanquam vocem multarum aquarum, si magnitudinem respicias; & tanquam fragorem tonitruj, si terrorem. & audiui cytharedorum multorum vocem pulsantium cytharas suas, 3 Et canentium quasi canticum nouum, ante thronum, & in conspectu quatuor animalium, & viginti quatuor seniorum. nec quisquam poterat discere canticũ illud, præter illa centum, & quadraginta quatuor millia: ij videlicet, qui empti sunt è terra. nam qui pretioso Christi sanguine empti, & exempti sunt è mundo, neque amplius sunt de promiscua multitudine, soli poterant ea verba discere, & intelligere. nam eorum solummodo ea res intererat. Vbi primò minatur Deus certam & celerem isti tyrannidi ruinam: quæ vox Dei hoc loco, vt & apud Dauidem, multarum aquarum sono comparatur, tum verò etiam tonitrui fragori. Secundò autem Angeli & Sancti hoc beneficium gratiarum actione agnoscunt, & diuinas laudes hymno decantant; tanta animi alacritate, tanto studio, quàm si hymnus nouus & antè inauditus foret; cuius suauissima harmonia vt notior euadat, ad temperatas cytharæ chordas, & organa in consonantiam erecta, in conspectu Dei, sedentis in solio suæ maiestatis, decantatur, circumfusis in corona quatuor animalibus, & viginti quatuor senioribus, quorum mentio antè facta est. 4 Hi agni comites ij sunt, qui cum mulieribus non sunt inquinati; nullius, videlicet, spiritualis adulterij rei, & omnino virgines, quo nomine in parabola lampadum insigniuntur. hi comitantur agnum, quocunque ierit. nusquam enim ab eius vestigijs aberrant; neque versus dextram, neque versus sinistram. hi empti sunt ex hominibus: primitiæ mortalium Deo, & agno sacræ. 5 Et in eorum ore non est inuentus dolus. sunt enim inculpati ante thronum Dei, quorum debita ab agno soluta sunt. 6 Deinde vidi alium Angelum, volantem per medium cœli, tenentem manu Euangelium æternum, quod anunciaret incolis terræ, omnibus nationibus, tribubus, linguis & populis. Nam vt antè in sextæ tubæ clangore duos illos testes audiuistis reuixisse, qui huius tyrannicæ & hæreticę monarchiæ scelere sublati erant è vitâ: ita huius Angeli operâ idem

mihi nunc innotuit. hic in ipſo crudeliſſimæ dominationis vigore per cælorum medium volat, quò nimirum palàm ab omnibus conſpici & audiri queat, dum ſalutis nuncium orbi terrarum longè lateque prædicandum circumfert. Deus ipſe, videlicet, ſub finem huius tyrannidis, dum adhuc viget & triumphat eius ſequitia, Angelos ſuos & nuncios excitabit: & cum poteſtate legabit in terras, vt veritatis doctrinam palàm profiteantur; & huius tyrannidis errores, Sole & Luna teſtibus, refutent; quò nonnulli è ſingulis gentibus ſeligantur ad ſalutem, cæteri verò, qui pœnitendi occaſionem neglexerunt, inexcuſabiles facti, geminatâ damnatione luant peruicaciam. 7 Ea autem monendi formula vtentur, quam audiui ab Angelo magna voce proclamari: *Timete Deum, & ei omnem gloriam tribuite; propè enim eſt hora iudicij eius. adorate eum igitur, qui cælum condidit, & terras, & maria, & fontes aquarum*: nempe, qui omnia bona & mala fecit; & corruptelis ſæculi, in quo viuent, hanc vniuerſalem doctrinam applicabunt teſtes; & eo quidem modo, qui a duobus ſequentibus Angelis expreſſus eſt. quorum prior aiebat: 8 *Cecidit, cecidit Babylon, illa magna vrbs; quia vinum excandeſcentiæ præbuit omnibus gentibus potandum; vinum fornicationis ſuæ*, & ſpiritualis adulterij. Nempe vaſta illa monarchia, *Babylon*, ideo ſic nuncupata, quia abducit & detinet captiuas hominum animas, haud aliter, ac à vetere Babylone corpora Iſraelitarum rapiebantur in ſeruitutem: illa, inquam, monarchia citò redigetur in cineres. Cum enim apud Deum, cui omnia ſunt præſentia, temporum diſcrimina nulla ſint; ideo contingit vt ab ipſo, & Angelis eius, ſæpe dicatur factum, quod citra controuerſiam & breui futurum eſt. quod eo diligentius notare debemus, quò frequentior in ſequentibus occurret ea loquendi forma. Ea monarchia & citò, & ſuo merito ruet; quia pleroſque omnes terræ incolas, ſuis blanditijs quaſi inebriatos, ſtupefecit: eorumque obſequio ad hoc abuſa eſt, vt erroribus ſuis, idololatriâ, & ſpirituali ſtupro eos pollueret. Nam vt viri, meretricijs illecti illecebris, coniugalem amorem permutant ſtupri conſuetudine: ita horum hominum ſutelis gentes terræ Chriſtum deſtituent, & hominum fidei ſalutem ſuam permittent. quinetiam fœmineum genus huic Eccleſiæ tribuitur, propter pathicam ſpiritualis ſtupri ignominiam: & diſertim poſtea *magna meretrix* vocatur. Ratio autem, quare hoc genere monitionis Angeli vtantur, hiſce verbis continetur, quæ ex tertij illius Angeli clamantis ore accepi. 9 Nam quicunque beſtiam, aut imaginem eius ampliùs adorauerit, aut acceperit charactarem eius in fronte aut manu ſua (vt ante auditum vobis eſt) 10 hic, in meritam flagitij pœnam, ex vino diuinæ excandeſcentiæ bibet. imò ex puro illo eius mero & non diluto, quod in poculum excandeſcentiæ ipſius infunditur. & torquebitur ig- Cap. 17.

ne & ſulphure; nempe in tartarum præcipitabitur, cuius tormenta igne & ſulfure figurantur: & id quidem in conſpectu Sanctorum Angelorum. nam coram agno teſtimonium dicent contra illum: agnus autem eum iudicabit & damnabit. 11. Et fumus tormentorum adſcendet in omnia ventura ſæcula. videlicet, finem neſcient tormenta eius. nam quotquot beſtiam aut eius imaginem adorant, aut charactere nominis eius notati ſunt; neque interdiu neque noctu ſentient quietem. perpetuæ erunt videlicet horum miſeriæ, ſine intermiſſione, ſine remiſſione. 12. Interea verò, dum funguntur teſtes pio hoc monendi officio, ſanctorum vel fidelium conſtantia his in rebus explorabitur. quin & hoc examine, qui obſeruant præcepta Dei, & retinent fidem Ieſu Seruatoris noſtri, innoteſcent & ſecernentur à cæteris. 13. Tunc audiui vocem è cœlo, dicentem mihi: ſcribe; *beati mortui; quotquot Domini cauſa deinc morientur.* ita dicit Spiritus; quia requieſcent à laboribus ſuis; & opera eorum ſequentur eos. hac voce, quam cælitùs audiui, certior factus ſum teſtes hoſce, propter ſanctam illam monitionem, qua funguntur inter mortales, acerba multa paſſuros a ſpirituali Babylone: nihilominus, qui vitam ſuam cauſæ tam bonæ impenderint, fore cæteris feliciores. cui rei confirmandæ ſanctus Spiritus ait, *ita eſt.* necnon rationem ſubiungit: quia, nempe, à perpetuis laboribus & ærumnis, quibus inter mortales obnoxij erant, iam feriabuntur: & opera eorum, tanquam merces, comitabuntur eos. nam vt ſola fides hominum in cælos ductrix eſt, ideoque & prodroma; ita ſi fideliter obeant ſua in terris munia, quo digniora & maiora illâ fuerint, tanto maiore quoque in cœlis remunerabuntur gloriæ menſurâ. & ſic eos comitantur ſua opera, vt eam ibi conſequantur portionem, cuius per ſolam in Chriſtum fidem antea erant certiſſimi. vt enim ſol & luna, & cætera aſtra, quanquam lampades ardentes & lucidæ, non tamen eodem omnes micant ſplendore, ſed ſuus cuique eſt lucis gradus, quo à reliquis diſtinguntur: ita certiſſimum eſſe debet omnia vaſa miſericordiæ, quanquam inæquali gloriæ menſurâ donata, habitura tamen quantum poſſunt capere. inde autem orietur menſuræ inæqualitas, quia non omnes capere poterunt æqualem. idem de gradibus pœnarum, quibus reprobi torquentur apud inferos, intelligendũ venit. 14. Tunc adſpexi: & ecce vidi candidam nubem: & inſidebat nubi quidam, ſimilis homini, habens impoſitam capiti coronam auream, & in manu ſua falcem acutam. 15. Et alius Angelus prodijt è templo, clamans ad eum, magna voce, qui inſidebat nubi: *Mitte falcem tuam & mete; quia venit tempus metendi. nam meſſis terræ præ maturitate exaruit.* qui candidè nubi inſidebat, ſimilis filio hominis, Chriſtus erat, in coruſca gloriæ ſuæ nube, coronatus corona victoriæ. de quo eum duntaxat in finem hæc dicuntur, vt mihi innoteſceret nouiſſimos illos dies, in quos incidet

incidet ſecundus eius aduentus, ſequuturos proximè id tempus, quo reſuſcitatione teſtium detegetur Babylon: vt ex ſextę tubę fine vobis notum eſt. 16. quo tempore Chriſtus in vnum colliget meſſem ſuam, vt ex ipſo audiui, adhuc nobiſcum in terris verſante. 17. Tunc alius Angelus prodijt è templo, quod eſt in cœlo, & aliam quoque falcem acutam manu tenebat. 18. Et alius Angelus prodijt ab altari, habens poteſtatem in ignem; & clamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens; mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineę: nam maturę ſunt vuę. 19. miſit igitur Angelus falcem ſuam acutam in terram, & vendemiauit vineam terræ, & miſit in magnum illum lacum excandeſcentiæ diuinæ. nam, meſſe Chriſti in horreum collectâ, ſtatim reprobi ſunt mandandi exitio: vt patet ex Angeli iuſſu, qui ab altari veniebat; vtpote à Chriſto miſſus. hic Angelus poteſtatem habebat in ignem; nempe mandatum exitij: quod ille diuinarum plagarum adminiſtro, acuta falce armato, ſtatim iniunxit. is autem eius imperio deſectas vites in lacum excandeſcentiæ diuinæ immiſit. nempe improbos diuinæ iracundiæ inundatione abſorpſit. 20. Et calcatus eſt lacus extra ciuitatem. exiuitque ſanguis è lacu vſque ad frenos equorum, per ſtadia mille ſexcenta. Hoc certè omnibus electis inſigni eſt ſolatio, quòd cùm cęteri, qui non ſunt de Chriſti meſſe in ſanctam ciuitatem collecta, tanto numero intereant, vt equorum frena tingantur occiſorum ſanguine, & inundetur tota terra Cananæa, cuius longitudinem complet deſcriptus ſtadiorum numerus; quum, inquam, totus orbis inundetur, qui per terram Cananæam intelligitur, futurus ſit tamen ſanguis ille extra ſanctam ciuitatem, quæ in medio terrę ſita eſt. quanquam enim vera eccleſia in medio orbis poſita eſt, vt Hieroſolyma in medio Cananææ terræ; tanta tamen ruina ne pilum quidem de eorum capitibus excutiet; ſed extrà eos cadet; exoltes videlicet periculi, vt quondam terra Goſchen plagarum Ægypti.

CAP. XV.

Fideles Papæ exitio & ſua incolumitate laudant Deum. Plagæ, quibus ille eiuſque ſequaces percutientur, per ſeptem phialarum effuſionem ſignificantur.

DEinde vidi aliud ſignum in cœlo, magnum & admirabile: nempe, Angelos illos ſeptem, qui habebant ſeptem vltimas illas plagas: quoniam per illas erit excandeſcentia Dei conſummata. explicata enim ruina vniuerſi, quæ extra ſanctæ ciuitatis pomeria cõtinget, nunc Dei Spiritus, ad incrementum ſolaminis, mihi ſpeciatim manifeſtas fecit eas plagas, quæ imminent ſpirituali Babyloni: quibus, tanquam iuſtiſſima mercede, compenſantur tum illius flagitia; tum

ęrumnæ, quibus orbem terrarum afflictura est. Et hæ sunt septem illæ nouissimæ plagæ, in septem Angelorum manibus; quorum hoc loco mentio facta est. 2. Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igni; & eos, qui victoriam reportabant ex bestia illa, & imagine eius, & charactere eius, & numero nominis eius. nempe, ex quo tempore nouissima bestia ex alterius cineribus orta est, hos victores stantes vidi super hoc mare vitreum: & habebant Dei citharas. nam postquam, vna ex parte, mihi indicasset, quantum miseriarum perpessura sit Babylon ab infligendis plagis: ita, ex altera, in victoribus illis, qui mari vitreo igne permisto insistebant, absolutissimam electorum fœlicitatem exhibuit: etiam eo ipso tempore, quo agitur tragœdia Babylonis. Nam hi victores Antichristum redarguent, & rubore confundent. reliquum verò orbem *vitreo mari* notatum adspicient illi, manus suas Dei citharis instructi, vel ora sua Dei laudibus, propterea quòd vitreum illud mare igne miscuerit: vel, quod idem est, iustissimâ pœnarum seueritate impios concusserit & oppresserit: quod sequentis hymni tenor exhibet 3. Et cantarunt canticum Mosis, Dei serui & canticum agni. *canticum Mosis* dicebatur, tùm quia diuinæ iustitiæ in mari vitreo puniendo, & sanguine Electorum vindicando, laudes continebat; quod in vltimis quoque Mosaici cantici verbis continetur: tùm quia Moses de populo liberato à corporali Ægyptiorum seruitute Deo gratias agebat. Canticum agni dicebatur, propter similem laudis materiam; quia sub Euangelio è spiritualis Ægypti seruitute Ecclesiam liberauit. Huiusmodi autem erat eorum canticum: *magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: iustus es in supplicijs, & verax in promissis, ô Rex: & defensor Sanctorum tuorum, eorum omnium, qui tibi adhærent.* 4. *quis non timebit te, Domine, & glorificabit nomen tuum, siquidem solus omni ex parte sanctus es? nam in nouissimo die omnes gentes venient, & adorabunt coram te: quia iudicia tua tam manifesta facta sunt: illáque iam terræ incubuerunt.* 5. Et posthæc vidi plagas eas omnes, & singulas, quarum nomine diuinas laudes tanta contentione personabant. aspexi enim, & vidi templum tabernaculi testimonij apertum in cœlo. Huic prorsus simile est, quod in septimæ tubæ initio factum audiuistis. id pari de causa hîc iteratur, nempe vt arca fœderis tabernaculo inclusa conspicienda præberetur: inde enim testatum reliquit Deus se memorem esse promissi sui, septem Angelos missurum se, & totidem plagas incussurum. 6. Et ex hoc templo prodierunt septem Angeli (nam ab arcæ, & fœderis memoria factum est, vt a Deo cum mandatis mitterentur) induti lino mundo, & splendido, ad testimonium puritatis & innocentiæ; & præcincti pectora zonis aureis, ad testimonium dignitatis & gloriæ. 7. Et vnum è quatuor animalibus dedit hisce Angelis septem phialas aureas, plenas excandescentiæ Dei viuentis in sæcula. Tali fulgent amictu hi Angeli:

& do-

Digitized by Google

& donantur illis aureis & pretioſis phialis ab vno è quatuor animalibus, præcellentiſſimis Dei creaturis, vt certò nobis conſtet plagas, quemadmodum Babyloni & eius ſequacibus amariſſimæ ſunt, ita è contrà ſuauiſſimas accidere electis; nempe eorum è miſerijs vindices. nam reproborum exitio ſunt deſtinatæ; at de ſancta ciuitate nemini prorſus nocent. 8. Et impletum eſt templum fumo, prodeunte à maieſtate Dei, & à virtute eius. nec quiſquam poterat templum ingredi, donec conſummatæ eſſent ſeptem plagæ ſeptem Angelorum; vt intelligamus neminem mortalium, quantumuis integer ſit & purus ſceleris, Deo ſe ſiſtere audere iracundiæ ſuæ nube tetrico, & iuſtitiæ ſeueritate amicto; ſed tum demum, quum fronte ſerenus, lenitate amabilis, dextram vltro miſeris porrigit.

CAP. XVI.

Prima phiala Papam, eiuſque aſſeclas nouis & incognitis affligit morbis. 2. ærumnis omnigenis, ferro, fame, peſtilentia torquet populos illi adhærentes. tertia æmulum Paparum ambitum ciuili bello caſtigat. hac vindicta iure rependitur ſanguis Sanctorum ab ijs fuſus. quarta eleuat illius in animis hominum reuerentiam. quinta eius corruptelas profert in lucem. ſexta copias eius & opes minuit, qua iactura animaduerſa Ieſuitas extrudit ad laceras reliquias colligendas, & euertendos fideles, quos Deus cum certa eius pernicie propugnat. ſeptima Papatum diſſoluit, & diem Iudicij aduehit.

1 AVdiui vocem è templo, dicentem hiſce ſeptem Angelis: *Ite, effundite ſeptem phialas excandeſcentiæ Dei in terram.* iam iam etenim monſtrandæ & deſcribendę mihi erant. 2 Aggreſſus eſt opus primus Angelus, & ſuam phialam in terram effudit. & incubuit vlcus malum, & nioxium, in omnes eos, qui habebant characterem beſtiæ, aut adorabant imaginem eius. Hæ plagæ mihi monſtratæ deſtinabantur duntaxat in Babylonem, quemadmodum antehac dicebam. ideoque eandem illi remetientur menſuram, quam illa alijs menſurabit. nempe qualibus illa alios calamitatibus premet, talibus omnino ſiue, numerum ſpectes, ſiue pondus, ipſa cum ſuis aſſeclis torquebitur. In quibus alluditur ad Ægypti plagas; quia ipſa (vt in ſexta tuba audiuiſtis) ſpiritualis Ægypti nomine venit. Igitur per primam hanc plagam innuitur afflictos fuiſſe ab illa pios, & morte affectos, vt ex ſextæ tubæ ſono patebat. & quemadmodum Moſes ſolius Pharaonis cauſâ ſcabiem in omnes Ægyptios inuexit: ita pernicioſum & peſtilens malum omnibus Beſtiæ ſequacibus incumbet; nempe horrendis & inauditis morborum generibus laborabunt. 3 Deinde ſecundus Angelus effudit

fudit phialam ſuam in mare; factumque eſt illud, quaſi cruor cadaueris; & quodcunque animal viuebat in mari, mortuum eſt. nam ſicut beſtia eorum perſecutione, qui illius cultui reluctantur, turbabit mare; id eſt, gentes & populos inquietabit; ſuiſque corruptelis bona opera extinguet, & fidei fructus ſiderabit; quod declaratur viſione beſtiæ orientis è mari: & ſicut Moſes rubrum mare conuertit in ſaniem (qui hîc cruor cadaueris appellatur) vnde omnes piſces potionati vitâ excedebant: ita gentes omnes & populi, Babylonicæ huius impietatis ſocij, intùs & extrà, bellis infeſtabuntur; nec non cæteris ęrumnis famis, & peſtilentiæ, & id genus alijs. 4 Tunc tertius effudit phialam ſuam in flumina, & fontes aquarum; & factæ ſunt ſanguis. nam corporeâ quidem ſucceſſione fontes aquarum; id eſt, veros illos verbi cæleſtis præcones (quemadmodum ex tertia tuba conſtare poteſt) hæc notha Eccleſia proximè inſecuta eſt: & Regi ſuo, *Apollyonti*, contra eoſdem aquarum fontes opem tulit: auxiliareſque manus præbuit ad impiam illam paſtorum lanienam, qui adhuc publicæ labis erant immunes: quod in ſexta tuba audiuiſtis. & vt Moſes omnes fluuios, fontes, & aquas Ægypti mutauit in ſanguinem: eodem modo doctores, & capita huius nothæ Eccleſiæ ciuilibus armis diſtrahentur. quin tribus aut quatuor in locis totidem homines reperientur, quorum ſinguli *regnum locuſtarum* pari ambitu affectabunt, quæ partium controuerſia non niſi crudo ferro & ſanguine dirimetur. Quocirca vt rectius intelligerem, quàm iuſtè dirus hic Sanctorum lanius, in multas iam perſonas diuiſus, ſui ipſius carnifex factus ſit, 5 Audiui Angelum aquarum, nimirum, tertium illum, qui plagas has in aquas effudit; dicentem, *Iuſtus es ô Domine, qui es, & qui eras, & qui eris; nec non ſanctus, propterea quòd hæc indicâris.* 6 Quoniam, vt iſti cænoſi, & fædi, & ſuppoſitij fontes aquarum Sanctorum & Prophetarum ſanguine ſe ſcelerarunt; ita tu iam ijs ſanguinem dediſti, quem potent. eiuſmodi enim merentur mercedem. 7 Deinde vocem cuiuſdam è ſanctuario audiui, hæc ipſa confirmantem, his verbis: *Certè Domine vera ſunt, & iuſta tua iudicia. nam memor fuiſti promiſſi tui, & iuſto eos præmio affeciſti.* 8 Tum quartus Angelus phialam ſuam in ſolem effudit, & datum eſt ei homines igne affligere. nam, vt in quarta tuba, Sol ſui luminis patiebatur deliquium; nempe à ſynceritate veritatis deſciſcebant præcipui doctores; non ab ipſo *Apollyonte*, vt qui necdum eſſet, ſed ab eius qualitatibus, vnde conflatus eſt, ad apoſtaſiam pellecti: cuius hoc loco pœnam luit *Apollyon*: & vt Moſes Euri flatu inuexit in Ægyptum locuſtarum examina: eodem modo igneus ille Dei Spiritus, in ore teſtium, cruciabit Babylonem; Sol ille veritatis eam radijs ſuis torrebit; vt intus æſtuet Babylon cum ſuis, & ardeat; nec quò ſe vertat ſciat. 9 Sed illi blaſphemarunt nomen Dei, habentis auctorita-

auctoritatem in has plagas: neque reſipuerunt, vt tribuerent illi gloriam. nam ea eſt impiorum peruicacia, ea obduratio, vt quæcunque ærumnæ pios ad Deum conuertunt, & odor vitæ ſunt eis ad æternam ſalutem, eędem reddant hos deteriores, & ſint odor mortis ad æternum interitum. 10 Tunc quintus Angelus effudit phialam ſuam in ipſum thronum beſtię; & factum eſt eius regnum tenebricoſum. & illi, nempe beſtia cum ſuis aſſeclis, mandebant linguas ſuas præ dolore. nam vt huius beſtiæ origo, ac pabulum, eſt è caligine & fumo, quem eructat abyſſus, cuius ſe Angelum & nuncium gerit, vt ex quinta tuba manifeſtum fuit; & vt Moſes denſiſſimis tenebris Ægyptum obtexit: ita poſtquam probra illi à teſtibus obiecta ſunt, (quod quartæ phialæ æſtu innuebatur) regnum eius infuſa veritatis luce obſcurabitur; & ſuſque deque habebitur à multis: vnde grauis ſequetur myſtarum eius indignatio, quæ fremitu & dentium concuſſione ſignificatur. 11 Et blaſphemarunt Deum cæli præ doloribus & ærumnis ſuis: neque ſe auerterunt à ſceleribus ſuis. nam (vt ante monui) nihil eſt, quod iſtos flectat ad pœnitentiam: neque vlcera, quæ corporales pœnas; nec dolores, qui ſpirituales notant: ſed hæc & ſimilia magis efferare & obfirmare conſueuere eorum animos. quod ex ijs facile colligere eſt, quæ continuò poſt ſextam phialam effuſam in Euphratem fecerunt. 12 Tunc ſextus Angelus ſuam in magnum amnem, Euphratem, phialam effudit; & exſiccata eſt aqua eius: vt pararetur via Regum, venientium à ſolis ortu. quemadmodum igitur multarum gentium, quæ per *aquas* ſignificantur, auxilio, dominata eſt illa beſtia Eccleſiæ Dei; & quemadmodum Moſes per mare rubrum virgâ Aaronicâ ſiccum, tutumque tranſitum populo Iſraelitico aperuit: ita Deus vaſti amnis Euphratis, Babylonem ambientis, alueum, quandiu viſum eſt, euacuat; nempe huius Monarchiæ neruos incidit. eam hoſtium incurſibus nudam exponit, vt pereat, quemadmodum iam audietis. Quòd verò fluuius exaruerit, vt Reges ab ortu Solis venientes traijcerent, ad Danielis hiſtoriam alluſio eſt, mihi in ſextę tubæ clangore declarata. Quemadmodum enim Perſæ & Medi, ab aurora progreſſi, tranſito Euphrate, expugnarunt Babylonem; & Baltazarem Regem eius trucidarunt: ita poſtquam teſtes ſpiritualem Babylonem redarguere cæperunt; vt in quarta phiala; ex qua redargutione regno eius tenebræ offuſæ ſunt, vt in quinta habetur: tum verò Deus, Euphrate exſiccato, viam ſternet ad illius interitum. quam viam inſiſtentes diuinę iuſtitię adminiſtri, miſſi ab illo Sole oriente, nempe à Chriſto (vt in ſexto ſigillo audiuiſtis) Regem ipſum interiment: & eius magnam vrbem cum æterna ciuium infamia exſcindent: quemadmodum in ſequentibus hæc omnia clarius intuebimini. 13 Et tum demum ex ore draconis, & ex ore beſtiæ, & ex ore Pſeudoprophetæ illius

Exod. 14

Cap. 9.

lius tres impuros spiritus vidi prodeuntes, similes ranis. hæc enim est (vt ante monui) illius pœnitentię summa, quam animo Babylonis phialę adferent. Draco vltimum in rebus desperatis auxilium petetà nouo quodam ordine ecclesiastico, quem ipse excitabit, procuratorum suorum & mandatariorum; quæ nouissima est Diaboli progenies. hi sunt, quos in sextę tubæ visione *equi* nomine indicaui. eorum numerus ideo est ternarius, vt triplicibus ipsorum armis respondeat, vt in sextâ tuba animaduersum fuit: quoniam ex eorum ore tria ærumnarum & exitiorum genera prodibant. quemadmodum & ipsimet ex ore tergemino prodibant; *Draconis* primò, nempe quia Diabolus est eorum parens: deinde *bestiæ*, quia eorum & locustarum Rex est bestia; quas in labentis imperij subsidium extrudit, instruit, dirigit, postquam rem videt ad triarios venisse, certumque iam imperio suo exitium imminere: *Pseudoprophetæ* denique, aut *pseudecclesiæ*; quia ex prędictis sceleribus nihil patrant, nisi auctore Ecclesia. hi immundi spiritus, errorum magistri, hęreseon institores, fraudum artifices, ideo ranis assimilantur; tum quia ex putidis, exoletis, & rancidis opinionibus toti sunt consuti; quibus longè ante eorum aduentum mundus occæcatus fuerat; non aliter, ac è putrescente limo conflantur ranæ: tum quia omnibus fraudum machinis supplantare nituntur, & damnare cæteros Ecclesiæ ordines, vt mancos & mutilos, quia eorum regnum est cæcitas. Sed quibuscunque demum versutijs hi se in gratiam plebis insinuent, nihil tamen aliud est eorum doctrina, nisi impura illa, & fœda priorum hæreseon colluuies, à locustis multò antè facta. nimirum a natura comparatum est, vt ranunculæ crescant in ranas. 14 Sunt enim Spiritus Dæmoniorum improbi & dolosi, instar parentum suorum; miraculorum impostoris famosi; miros enim hominibus fucos facient: & Reges omnes, & totum mundum prensabunt, vt congregent sese ad prælium magni illius diei, Dei omnipotentis. Tanta enim gratia valebunt extrema hęc Diaboli excrementa apud plerosque orbis Principes (quemadmodum vobis in sexta tuba monstraui) vt aduersus Ecclesiam copias conscripturi sint, & ducturi in aciem. Victoria tamen penes Ecclesiam manebit, vt plenius infra ostendetur. 15 Beati igitur, qui interea temporis nec defectione, nec desperatione tentantur: sed vigilant, & vestimenta sua pura seruant a latè serpente labe; ne aliàs incedant nudi; nimirum amictu iustitiæ exuti: atque adeò eorum pudenda cernantur; scilicet naturalis eorum in malum propensio. nam, ecce venio vt fur. nihil enim erit hora aduentus mei incertius. 16 Et locus, in quo terræ Principes ab impuris spiritibus conuocati aduersus Dei Ecclesiam coierunt, vocatur Hebraicè *Armageddon*. nam eorum dolo malo Principes in suam perniciem congregati sunt. 17 Tum septimus Angelus effudit septimam phialam in aerem: & prodijt vox magna è templo cæli,

cap. 16. de diuersis diuersa, inquit. ut Tres sunt personæ Deitatis, & vnitas, & vnitatem Deitatis, & tres personæ Deitatis, & vnitatem personæ Deitatis, & vnitatem Deitatis, & vnitatem personæ Deitatis, & tres personæ Deitatis, & vnitatem personæ Deitatis, & vnitatem

CAP. XVII.

Angelus Ioanni manifeſtam facit, & perſpicuam hanc Papæ viſionem: fuſéque illum deſcribit: tum auctores modumq; exitij illius clariſsimè explicat.

ATquoniam non ſatis capiebam, quid ſibi vellent hæ *plagæ*; quid item *Babylon*, quę illis percuſſa dicebatur; eapropter vnus ex Angelis, qui phialas effuderant, mihi dixit, *Heus tu, ego tibi familiariùs exponam magnæ illius meretricis damnationem, tum verò quænam illa ſit, quæ ſuper multas aquas ſedeat:* 2. *cum qua ſpiritualem ſtupri conſuetudinem habuerunt Reges, & cuius ſcortationis vino inebriati ſunt terræ incolæ*; nempe ingens variarum gentium colluuies, ad quas nihil attinet electionis myſterium: vt ſupra fuit indicatum. 3. Tum me per ſpiritum (vt in ipſo huius epiſtolæ limine vobis ſignificaui) abripuit Angelus in deſertum, quo nomine Gentilitas ſignificatur, Eſaia teſte. Nam *Beſtia* cum ſuis omnibus reapſe gentiles ſunt, vt in ſexta audiuiſtis tuba: & iuxta Domini noſtri pronunciatum, *quiſquis nobiſcum non colligit, ſpargit.* nec enim magis inuenitur medium inter duos hoſce athlothetas, *Deum* & *Diabolum*; quàm inter eorum prędmia, *cœlum* & *infernum.* & quemadmodum fieri non poteſt, quin alterum è duobus illis Dominis ſequamur in vita; ita pariter neceſſe eſt ad alterum è duobus illis locis, poſt hanc vitam, proficiſcamur. Tum vidi in eremo *mulierem* ipſam, nimirum Babylonem, *meretricem* illam, inſidentem coccinæ & ſanguinolentæ beſtiæ; ſicut ante humana ſpecie inſidebat *equo pallido*, in quarto ſigillo. Et hęc beſtia blaſphemiæ plena erat, & ſeptem capita habebat, & decem cornua, vt ſupra. 4. erat autem *mulier* illa amicta purpura, & cocco, & gemmis, & margaritis: manu autem aureum poculum tenebat. Monarchia enim hæc, & eius Monarcha, etiam corporali huiuſmodi colorum magnificentia veſtientur; gemmis, & margaritis ſplendentes. Porrò colores hi, omnium maximè illuſtres, & hæc decora gemmarum indicant nihil fore hac Monarchia, eiuſque ſede glorioſius; aut in mundi conſpectu (vt ſupra monui) ſplendidius. nec tantum pompoſa hac honoris ſpecie veram Dei referet Eccleſiam; verumetiàm è communibus ſynceræ religionis principijs multa retinebit, quod *aureo poculo* ſignificatur. Verumtamen illud ipſum *poculum* plenum erat abominationibus, & immunditiâ ſpiritualis ſcortationis eius. nam quanquam in multis veritatem retineat, quâ, tanquam illecebrâ, credulis inſidietur, eòſque in amorem ſui pelliciat, eam tamen peſtifero ſuarum hereſeon, & traditionum veneno, & ſpiritualis ſui adulterij impuritate inficiet: vt dictum eſt priùs. 5. Et fronti eius myſterium inſcriptum erat: *Babylon illa magna*: nempe ſpiritualis illa Babylon (vt ſupra,) mater ſcortationum & abo-

Digitized by Google

& abominationum terræ. quę etenim hęreſes & corruptelę omnium maximę ſunt, & ſolę ferè pręcipuę dici merentur, ex ea naſcentur, & illę quidem ſpecioſo Chriſtianitatis titulo velatę. hiſce pręter cęteros inquinabuntur vſque ad conſummationem ſęculi, quibus vox hęc in labijs natat, *Domine, Domine.* neque tantum Babylon hoſce errores, vt mater, pariet; verum etiam, vt nutrix, eos fouebit, alet, proteget. *Myſterium* autem hoc dicitur, quia licet in publico & propatulo omnium oculis expoſitum ſit (quod *frontis inſcriptione* indicatur) ijs tamen ſolis nequitiam hanc dabitur intueri, à quorum oculis diuinę miſericordię ope glaucoma remota eſt. 6. Et vidi mulierem illam ebriam ſanguine Sanctorum, & martyrum Ieſu Saluatoris. ſitiet enim abſque modo, & ratione, & miſeratione; atque auidiſſimè hauriet ſanguinem Sanctorum, vt ſępe audiuiſtis prius. & cum viderem eam, valde eam miratus ſum: neque enim intellectu penetrare poteram in ſeptem capita, & decem cornua *beſtiæ* cui inſidebat. 7. Ergo Angelus qui eam mihi monſtrauerat (vt ante percepiſtis) quum me animaduerteret admiratione perculſum. noli (inquit) mirari. ego tibi reuelabo myſterium *mulieris, & beſtiæ,* quæ eam portat, quæ habet capita ſeptem & cornua decem. 8. hæc beſtia, quam vidiſti, vel Monarchia per eam ſignificata (quarta enim innuitur Monarchia, illa validiſſima omniũ & quondam florentiſſima) fuit, & non eſt: adeo nunc videlicet diminutâ priore potentiâ, vt quodammodo dici poſſit non eſſe. de nouo autem, vt primum vulnus capitis perſanatum erit, ex abyſſo emerſura eſt: nec tamen effugiet imminentem ruinam. incolæ autem terræ, quorum nomina in libro vitæ ante iacta mundi fundamenta ſcripta non ſunt, rapientur in admirationem, quæ omnia antehac percepiſtis: mirabuntur, inquam, beſtiam quæ fuit, (nimirum florida & potens) & iam non eſt (quadantenus videlicet, vt modo percepiſtis) & adhuc eſt (nimirum ſuis etiamnum nixa fundamentis, licet multò quàm antehac debilior.) 9. Arrigite aures ad ea, quæ vobis aperio. hîc enim tanquam ad lydium lapidem explorabitur hominum ſapientia; vt ex meis verbis intelligant, quæ tandem Monarchia, quæ tyrannis hic deſcribatur. *Septem beſtiæ capitibus* tum ſeptem montes ſignificantur, ſuper quibus fundata eſt auguſta huius imperij ſedes: tum ſeptem Reges; vel totidem Magiſtratuum genera, quibus hæc Monarchia antehac vſa eſt, & poſthac vtetur. 10. quinque eorum fuere; vnus nunc eſt, nimirum ſextus; alius ſequetur, nempe ſeptimus; ſed nec dum venit, & quum venerit, exiguo ſane tempore manebit. 11. Beſtia autem hæc, quæ erat (nempe adeo potens) & non eſt (vt modo audiuiſtis, nam iam decreſcit) eſt octauus ille, & tamen vnus è ſeptem. Etenim hæc beſtia è ruderibus quartæ Monarchiæ excitata (vt iam explicatum eſt) quum in hominum conſcientias hæreticam vſurpatura ſit tyrannidem, propter hoc nouum

genus

genus politiæ distinguitur à cęteris: & hanc ob causam dicitur *octauus ille*: nihilominus, quia eandem imperij sedem cum cæteris sortietur, & pari aut maiore superbia orbi terrarum dominabitur, eâdem denique ciuilis politiæ forma cum vnoquoque è septem illis vtetur; propter hanc, inquam, tam multiplicem similitudinem septem illis hanc quoque bestiam adnumero. 12. Decem autem cornua, quæ vidisti, decem Reges significant; numerosos, nimirum, illos in singulis prouincijs magistratus, huic quartæ Monarchiæ subordinatos, qui regnum suum nondum acceperunt: nam sub omnibus illis politiæ speciebus, quibus imperium illud variabitur, præterquam sub vltima hac & hæretica; magistratus inferiores & subordinati in subditorum numero futuri sunt: at cum *Bestiâ* regalem accipient potestatem. nimirum quo tempore *Apollyon* ille è *quartæ bestiæ* cineribus suscitabitur; è ruinis, inquam, quartæ Monarchiæ; continuò Reges terræ sese illi in seruitutem addicent, tanquam magistratus illi subordinati; quum tamen ante id tempus, illius Monarchiæ robur in solis imperij subditis fuerit. atque ita *cornua*, vel vires illius bestiæ, ante vulnus illud acceptum, è meris subditis constabant. at, eo vulnere persanato, Reges huius mundi & Imperatores in cornua illius & robur degenerabunt. 13. Hi vnius erunt sententiæ: & vires & auctoritatem suam bestiæ tradent. nempe vltrò Babylonico iugo colla prębebunt, & omnes potentię suę neruos in huius tyrannidis incolumitatem, & Sanctorum vexationem intendent. 14. Et cum agno manum conserent, dum sic illius membra affligunt. verùm successu destituentur omnia eorum conata. nam profligabuntur demum ab agno: quia ipse est Rex Regum, & Dominus dominantium: & qui ab illius sunt partibus, eiusque sequuntur castra, Electi nominantur & Fideles. 15. Dixit prętera mihi Angelus: aquę illę, super quibus *meretricem* sedentem vidisti, populi sunt, & turbę, & gentes, & linguę, quę se illius imperio permiserunt. 16. Quod autem illa decem cornua attinet, quę vidisti, hoc saltem tibi prędictum volo: licet ad tempus, libertatis suæ immemores seruituri sint Reges Babyloni, dextris suis ei commodatis ad persecutionem sanctorum; dies tamen veniet, etiam ante consummationem vniuersi, quum meretricem, quę eorum simplicitate tam diu & tam impotenter abusa est, internecino odio prosequentur; solámque destituent. ciues enim suos & populos, quibus eius subnixa erat potentia, eius subtrahent imperio. tum carnes eius comedent: & ipsam igne exurent; nempe opibus, & potestate, & magnificentia illam exuent: & demum penitùs euertent. 17. Sed tu noli illud mirari. nam Deus dedit in corda ipsorum; nempe ad tempus eos *Bestiæ* permisit abutendos; vt nihil agant nisi ex illius libidine: omnes illius prętextus & ve: sutias approbent: regna deniq; sua illius impotentię tantisper permittant, donec verbũ Dei consummetur:

nempe,

Digitized by Google

nempe, illi sua submittent sceptra, & ius regnandi ab illa mendicabunt, dum veniet tempus hoc vaticinio præfixum: quo tempore à Deo excitabuntur Reges ad excindendam Babylonem. nec enim minus summorum Regum, quàm imæ plebis corda in manu Domini sunt, vt illius exequantur imperia; & tanquam pilæ, quocunque tandem voluntatis diuinæ tulerit impetus, rotentur. 18. Et hæc MVLIER vel MERETRIX, quam vidisti, est magna vrbs illa bestiæ, vel Monarchiæ sedes; quæ Regibus terræ cum imperio præest: vt ante tibi innotuit. Cæterùm in vna hac regni sede plures, imò permulti Reges, continuatâ successione, alij alios sequentur, qui eandem religionis hæresin, eosdem superstitionis ritus, & eandem omnes politiam retinebunt: & id quartæ Monarchiæ, vnde originem trahet, æmulatione.

CAP. XVIII.

Luctus orbis in ruinâ papatus. quæ commoda hominibus huius mundi ex prosperis Papæ rebus redundarint: ingentes illius Ecclesiæ diuitiæ & opulentia. animarum nundinatio per indulgentias. cœlites de eius exitio interea temporis lætantur, dum mundus & mundani homines eàpropter incedunt pullati.

ET post hæc vidi alium Angelum, descendentem de cœlo, habentem auctoritatem magnam, ita vt terra illius gloriâ illustraretur. nam vt primum Deus per vnum è septem Angelis, qui phialas tenebant, fœminam illam bestiæ insidentem mihi, quàm antea, fecisset notiorem; nunc per alium quendam, qui est ipse Christus, meritissimam Babylonis damnationem mihi indicat: immò verò orbi terrarum promulgat, quod *Angeli in terrã descensu* significatur. 2. Exclamauit autem magna voce, dicens: *cecidit, cecidit Babylon; illa magna; & facta est domicilium Dæmoniorum, & omnium impurarum, diraríque volucrium.* nempe magna illa vrbs, augusta sedes imperij, excindetur à fundamentis: & æternum desolabitur, quemadmodum & Hierosolymis olim prædictum fuit. 3. quia ex vino scortationis eius omnes gentes biberunt, & Reges terræ cum ea scortati sunt; & mercatores terræ, opibus luxus eius ditati sunt. tanta humanæ gloriæ magnificentiâ & pompâ splendebat hæc Monarchia. 4. Et audiui aliam vocem de cœlo, nempe Sancti Spiritus, dicentem: *exite ex ea populo mi*: omnes inquam electi: ne participes fitis peccatorum eius, & plagarum, quæ propterea illi incutientur. nam si externâ tantùm conuersatione illi cohæreatis, & ad eius flagitia tantùm conniuere videamini, profectò omnium eius peccatorũ rei peragemini. nam si vobis in votis est, vt Christus in nouissimo die palàm, & coram patre suo & Angelis, vos agnoscat, corporaque & animas æternæ fœlicitatis præmio maciet; non debet esse vobis pudori, coram hominibus &

corpore & anima illi ſeruire. hoc ego vos præmonitos volo, vt qui ſecùs facturi ſunt reddantur inexcuſabiles. 5. Nam ad eam altitudinem venerunt eius peccata, vt cœlum contingant, & eorum memor eſt Deus. itaque non ſolum deſerenda vobis eſt eius conſuetudo, vt ante monui (neque enim ſufficit abſtinere à malo) 6. ſed etiam de vindicta ab ea poſcenda cogitandum eſt; vt id illi reddatis, quod vobis fecit; & duplum illi ſuorum operum rependâtis; & in poculo, quod alijs propinauit, duplum eipropinetis: omnia nempe experimini, quæ ad eius moleſtiam & interitum facere videbuntur; quemadmodum illa alijs vexandis ſubuertendiſque ſemper fuit intenta. denique eius ſuperbiam, & luxuriam tormentis, mærore, luctu compenſate. 7. Dicit enim in corde ſuo, Sedeo Regina, & iam firmatâ meâ Monarchiâ ſecura: neque vidua ſum: neque orba vnquam ero: neque luctus videbo incommoda: nec interitus pericula guſtabo. 8. Quandoquidem igitur humanis opibus ſubnixa eſt eius fœlicitas, humanis etiam manibus punietur, *morte, luctu, fame, incendio*; nempe omnes experſa tormentorum gradus, denique funditùs peribit. quia validus eſt Dominus Deus, qui damnabit eam. 9. Tum Reges terræ, olim *cornua illius*, quique cum illâ ſcortati & luxuriati ſunt, conſpecto incendij fumo, præ miſeratione flebunt & lugebunt eam. quanquam enim illi ipſi auctores ruinæ huius extiterint, vt iam explicatum eſt; tanta tamen ea futura eſt, vt quum fumantes aſpexerint cineres, animi eorũ in miſerationem conuerſi non poſſint non deplorare, quod manus peregerint. 10. Stabunt autem procul à tormentis eius. refricabitur enim tormentis hiſce peccatorum ſuorum memoria, quæ illis ingentem incutient pauorem: & admiratione perculſi dicent: *Vah, vah! magna illa vrbs* Babylon, *vrbs illa valida*, cuius iudicium & interitus vnâ & eâdem horâ, & ſimul venere. 11. Et mercatores flebunt & lugebunt illam; quia merces eorum non ementur ampliùs. eius enim pompa vendibiles faciebat pretioſas merces, vnde mercatores diteſcebant. 12. quales ſunt *aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, byſſus, purpura, ſericum, coccus; & omnia vaſorum genera idololatriæ inſeruientia, ex ebore, ligno pretioſo, ære, ferro, marmore*. 13. *Cinnamomum & ſuffitus omniiuges, ad ſuperſtitioſos ritus; cum vnguentis & thure, ad eandem rem, & ſimilia; & omne genus frumenti, iumentique; & oues ad conuiuiorum apparatus; & equi, & currus, & mancipia; & triumphorum & proceſſionum ſolennitates, & hominum animæ.* nam multos conducet inſtitores animarum, qui indulgentias; queis animæ ſoſpitari, redimi, & liberari creduntur; pretio diſtrahant. Sed breui de his poſtea. 14. Et fructus deſideriorum animæ tuæ, ô *Babylon*, abibunt à te: vertent nimirum in mærorem lubentiæ tuæ: & oblectamenta, & omnia pinguia, & præclara abierunt à te: omnia nempe tua emolumenta & voluptates te deſtituent: nec amplius illa inuenies. tuum enim nomen in

æternum

ęternum delebitur. 15. Et mercatores, qui harum mercium emptione venditionéque ditabantur, procul ſtabunt à tormentis eius, flentes & lugentes. 16. *Vah, vah*, dicent: *magna illa vrbs olim amiciebatur byſſo, purpurâ, & cocco; auróque deaurata, & gemmis, & margaritis ornata, intuentium oculos præſtinguebat: ecce, vna hora vaſtatæ ſunt eius diuitiæ: omníſque eius pompa diſparuit.* 17. Et omnes gubernatores, & nauarchi, omníſque in nauibus verſantium turba; & omnes nautæ, & quotquot ex mari quęſtũ faciunt, procul ſtabunt, præ timore: 18. & clamabunt videntes fumum incendij eius; dicentes cum magna admiratione: *quæ vrbs magnificentiæ aut gloriæ ſplendore hanc æquabat?* 19. & miſeratione ruinæ eius, & mærore amiſſi proprij quæſtus, quem, mercibus vndiquaque in eam vrbem aduehendis, facere ſolebant, capitibus ſuis puluerem inijcient, & cineres: *Vah, vah*, aientes, *quòd magna illa vrbs; in qua omnes, qui habebant naues in mari, mercium pretys & negotiandi priuilegio locupletati ſunt; vnâ horâ deſolata eſt.* 20. At quanquam in eius funere mæſti futuri ſint terreni homines, propter terrenarum voluptatum & quæſtuum iacturam, quibus illi Babylonis ope ante fruebantur; cuius religio omnis terrena erat, nempe humanis inuentis & traditionibus nixa, terrenâque pompâ & potentiâ ſuſtentata: exultate tamen cœli in eius interitu: vóſque, *Sancti Apoſtoli & Prophetæ*, lætamini. nam in eius ſupplicio veſtram Deus vindicauit iniuriam. 21. Tùm verò ad firmandum Babylonicæ ruinę vaticinium, vidi Angelum validum tollere *vaſtum lapidem*, inſtar molaris, eumque proijcere in mare, dicentem: Tanto certè cum impetu deijcietur Babylon, illa magna vrbs: neque amplius locus eius inuenietur: quemadmodum de altera illa & corporea Babylone vaticinatus eſt Ieremias. 22. Et vox *cytharedorum, & Muſicorum, & tibia & tuba canentium* non amplius audietur in te. omnis enim lætitia & hilaritas ex hac Monarchia, eiúſque ſede exulabit. nec *vllus artifex*, cuiuſcunque artis, amplius inuenietur in te. nec *ſonitus molæ* amplius audietur in te. nam incolarum honore hæc vrbs in poſterum deſtituetur. 23. nec lucernæ lux amplius inuenietur in te: neque *mariti & vxoris* vox amplius audietur in te. nam vt impijs nullus ibi in poſterum futurus eſt locus; ſic nulla erunt piorum domicilia. adeo omnibus deuouebitur diris, vt nec virginum lampades ibi arſuræ ſint; nec Chriſtus cum ſponſa Eccleſia vnquam appariturus; quanquam in media tyrannide etiam intra illius vrbis pomeria electorum nonnulli ſemper latuerint, & ſemper quoque futuri ſint; cuius vrbis mercatores erant optimates terræ, cuiuſque præſtigijs omnes gentes à vero ſeducti ſunt. 24. Et *ſanguis Prophetarum & Sanctorum* in ea inuentus eſt, & omnium qui mactati ſunt in terra. Iure igitur hac clade delebitur *Babylon*; tum quia nuncios ſuos & legatos magna inſtructos poteſtate *inſtitores indulgentiarum ſuarum* eſſe voluit; precúmque, &

Sacramentorum, & meritorum, & peccatorum, & ipſarum quoque animarum, vt ante audiuiſtis: atque ita multis gentibus hoc tanquam carmine fucum fecit: tum quia barbarè Sanctos afflixit, & interemit; adeo vt omnium, ab Abele, Sanctorum ſanguinem, qui vitam ſuam pro diuinæ veritatis amore, & teſtimonio filij, tanquam victimam obtulerunt, ab illa ſit exacturus Deus, & in illam vindicaturus: vt quæ priorum tyrannorum furorem in perſequendis & opprimendis Sanctis exceperit, æquarit, exceſſerit.

CAP. XIX.

Sancti Deum laudant ob Papæ exitium. gloria ſecundi aduentus Chriſti fuſè explicata. Papæ eiuſque Eccleſiæ æterna damnatio.

IGitur iuxta illa monita, quibus cœli & cælites, Prophetæ nempe & Apoſtoli, tam iubebantur lætari de interitu Babylonis, quàm reprobi mærebant vt ſupra audiuiſtis: iuxta illa inquam monita, magnæ concionis vocem in cœlo audiui, dicentem: HALLELVIAH, quod ſi interpreteris ſonat; *Laudate Dominum, alta voce. ſalus honor gloria & virtus omnis cum Deo noſtro.* 2 Nam vera & iuſta ſunt eius iudicia. ille MERETRICEM illam magnam, quæ ſcortatione terram polluerat, damnauit; & ſua dextra ſanguinem ſeruorum ſuorum in illam vindicauit. 3 Deinde ſecundò dixerunt: HALLELVIAH. nam fumus ruinę illius aſcendit in omnia ſæcula: neque enim vnquam reſurget: ſed vigili igne ſemper ardebit. 4 Itidem viginti quatuor ſeniores, vt Deo gratias agerent, prociderunt in facies ſuas: & cum illis quatuor *Beſtiæ* adorarunt Deum inſidentem throno, vno ore dicentes omnes: *amen, halleluiah.* 5 Vocem quoque a throno prodeuntem audiui, nimirum vnius è beſtijs, ei ſuccollantibus dicentem: *laudate Deum noſtrum omnes ſerui eius, & qui timetis eum parui & magni.* 6 Et ſtatim iuxta hoc mandatum appulit ad aures meas vox, quaſi condenſæ concionis, ſimilis multarum aquarum aut tonitrui fragoribus, dicens: HALLELVIAH. *quoniam Dominus Deus noſter, diruta Babylone, eiuſque ciuibus oppreſſis, ſuum adijt regnum.* 7 Gaudeamus igitur, & exultemus: illique omnem demus gloriam; quia venerunt NVPTIÆ AGNI, nempe dies nouiſſimus prope eſt. & EIVS VXOR parauit ſe illi; ſcilicet eius Eccleſia ab improborum contagione liberata eſt. 8 Et datum eſt ei, vt amiciatur byſſo munda, & ſplendida, quæ eſt iuſtificatio Sanctorum. nam vt puritas, ſplendor, candor, & pretium commendant byſſum; ſic intaminatus ille eſt, & carus, & glorioſus iuſtitiæ per imputationem amictus, quo veſtiuntur Sancti. nam ex ſola Chriſti iuſtitia texitur ille noſtræ *iuſtificationis amictus*, die nouiſſimo

Digitized by Google

uiſſimo induendus; quem quoque ab ipſo porrigi neceſſe eſt, vt modò audiuiſtis. nam quemadmodum ne bona quidem cogitatio in noſtra eſt poteſtate; ita penes nos non eſt niſi æternam mortem mereri: & cum omnibus bonis operibus, quæ poſſumus, defuncti ſumus, id nobis exiſtimandum relinquitur, *nos inutiles eſſe ſeruos*, vt Chriſtus ipſe dixit. 9 Tunc eadem vox, nempe Angeli, qui hæc expoſuit, dixit mihi: *Scribe & prode poſterorum memoriæ. beati qui ad cænam nuptiarum* AGNI *vocati ſunt*: quarum ex ipſius ore parabolam audiuiſtis. nam quotquot efficaciter vocati ſunt, nunquam reijcientur, ſed in æternum electi ſunt: & dixit mihi, vera ſunt hæc verba Dei, quæ te iuſſi poſterorum memoriæ ſcripta relinquere. nempe ab ipſo Deo profectum eſt huius promiſſionis ſolatium, quam ita diſtrictim volui fratribus tuis tuâ operâ teſtatam. nam in nouiſſimis diebus hæc ipſa meretricia & hæretica *Babylon* huius promiſſionis fidem apud ſuos eleuabit, & homines electionis ſuæ incertitudine ambiguos ſuſpendet. 10 Et procidi ante pedes *Angeli*, adoraturus illum (nam omnes mortales naturæ vitio in rerum viſibilium cultum, id eſt, idololatriam propenſi ſunt. ea eſt noſtræ carnis infirmitas, niſi cælitùs diuinæ gratiæ ſuſtentetur fulcro) verùm ille ægrè ferens, *vide*, inquit, *ne feceris*. nam quanquam Creatoris beneficio Angelicæ naturæ excellentia vincat humanam, conſeruus tuus nihilominus ſum, atque adeo vnus è fratribus tuis, creatura, & miniſter Chriſti, eius teſtimonio defungens in cælis, quemadmodum tu in terris. Vnum igitur Deum adora. ſiquidem nullam creaturam cultu aut prece noſtra fas eſt dignari; neque verò vlla eſt, niſi per Chriſtum, interceſſio. nec eſt, quòd mihi huius prophetiæ gratiâ diuinum exhibeas honorem. teſtimonium enim Ieſu eſt ſpiritus prophetiæ, quod donum mihi cum multis commune eſt. imò verò non eſt alius, quàm prophetiæ ſpiritus, qui gratiâ inſtruit omnes electos, vt verè & conſtanter de Chriſto teſtificentur; licet hoc non ſit illius ſpiritus donum, quo prædicuntur futura. 11 Tunc vniuerſus diei nouiſſimæ apparatus mihi datus eſt conſpiciendus. nam vidi cælos apertos; & ecce EQVVS ALBVS ex illis deſilijt (de hoc equo audiuiſtis in quinto ſigillo) qui autem illi inſidebat, nempe Chriſtus, FIDELIS & VERAX nominabatur. huius enim iudicij functione promiſſis ſuis nunc erat ſatisfacturus. aliud quoque illi nomen erat, nimirum, QVI IVSTE IVDICAT ET PVGNAT. iamiam enim ſententiam laturus erat de orbe terrarum, & æternæ damnationis decreto proſcripturus improbos. 12 Oculi autem eius erant, tanquam flamma ignis (vt ex huius epiſtolæ initio vobis notum eſt) multaque in capite eius erant diademata. ex hoc enim in cuncta ſæcula, ipſe omnium regnorum mundi habenas moderaturus erat, quemadmodum Seniores in ſeptima tuba cecinerunt. habebatque nomen inſcriptum ſibi, quod nemo præter ipſum noſſe

poterat. tam profundo enim myſterij ſecreto ſeptum eſt hoc REDEMPTORIS nomen, vt nullius creaturæ ſapientiæ penetrabile ſit. Vnde ipſum quondam dicentem audiui, *nec Angelorum vlli, nec ſibi* (quatenus homo erat) *notum eſſe nouiſſimum illum aduentus ſui diem*, ſupremum illius myſterij complementum. 13 Et amictus erat veſte tincta SANGVINE, quo ſtolæ martyrum quoque lauantur: vt ex quinto ſigillo patet. eique nomen eſt SERMO DEI: vt in Euangelij mei limine vobis expoſui. 14 Sequebantur autem illum omnes cælitum exercitus, Angelorum & Sanctorum, ſublimes in equis albis, veſtiti pura & candida byſſo, de qua ſupra. 15 Ex ore autem eius prodibat *gladius acutus* (vt in principio huius epiſtolæ audiuiſtis) vt eo percuteret gentes. ipſe enim reget eas virga ferrea (vt ait Dauid) & is eſt, qui calcabit, nempe iubebit calcari *lacum vini* furoris, & excandeſcentiæ Dei omnipotentis, vt in ſeptima tuba audiuiſtis. 16 Habebatque in veſte ſua & in femore, vtpote firmiſſima corporis parte, hoc nomen ſcriptum: REX REGVM, ET DOMINVS DOMINANTIVM. 17 Tunc vidi quendam Angelum ſtantem in ſole; nempe vt ſe orbi conſpiciendum præberet, omniumque animos ſuo aduerteret præconio. is omnes volucres per medium cæli volantes ingenti clamore proſecutus, *adeſte*, inquit, *& congregamini ad cænam Domini.* 18 *Et edatis carnes Regum, tribunorum, magnatum, equorum, & equitum.* in ſumma, adeſte, vt liberorum, ſeruorumque carnes edatis, à ſummis ad imos. indicio illud erat veniſſe diem iudicij, cui comes erat rerum omnium interitus, dira hac volucrium paſtione notatus. depaſcitur enim inhumata cadauera rapax hoc volucrium genus. Omnes hominum ordines publica hac inuoluentur ſtrage: nullis dabitur eſſe ſecuris, niſi quos *charactheris* ſui priuilegio tutos, non ſemel ante, excepi. 19 Deinde vidi *beſtiam illam*, videlicet, BABYLONEM, vnà cum omnibus mundi Regibus, qui ab eius partibus erant: & eorum exercitus collectos vidi, vt bellum cum eo gererent, qui albo equo inſidebat, & cum eius exercitu. 20 Sed capta eſt *Beſtia*, vnà cum *Pſeudopropheta*, aut Pſeudoeccleſia, cuius miraculis ſeductæ ſunt nationes, quæ characterem beſtiæ habebant, quæque eius imaginem adorabant, ſicut ante audiuiſtis: & ambo viui coniecti ſunt in ſtagnum ignis, ardens ſulphure. 21 At reliqui occiſi ſunt gladio, prodeunte ex ore eius, qui albo equo inſidebat; & volucres eorum carnibus ſaturatæ ſunt. Continuo enim, vt in iudicium Chriſtus prodierit, malè peribunt Dei hoſtes: & vno hoc prælio; cuius in ſexta tuba ſextaque phiala facta eſt, & in poſterum fiet mentio; abſolutiſſima reportabitur victoria. nominatim autem *Babylon, cum falſâ Eccleſia*, præcipitabitur in infernum, quia duplo merentur ſupplicio caſtigari eorum impoſturæ: quanquam & propria eos ſequetur damnationis calamitas, quam minatur gladius ex ore Chriſti pro-

Digitized by Google

sti prodiens ; cuius in limine huius epistolæ : & *volucrium* inuitatio ad eorum carnes absumendas, cuius hîc modo mentio iniecta est.

CAP. XX.

Breuis antecedentium visionum anacephalæosis. primitiuæ Ecclesiæ statim post Christum integritas. hæreses quæ eam exceperunt, & nominatim Papatus. eius ruina, etiam cum maximè furor eius caleret. dies nouissima. electorum salus, cæterorum interitus.

PRætactâ mihi militantis Ecclesiæ conditione à Christi morte ad consummationem vniuersi, vnà cum tentationibus, quibus præcipuè agitata est ; & laboribus, quibus afflicta est ; & vindicijs, quibus liberata est ; & victoria, qua nobilitata est, in sex primis sigillis : & adhuc fusiùs explicatis omnibus in septimo, cui septem tubę inclusæ erant : deinde verò periculorũ & calamitatum grauissimis explicatis in visione fœminæ à Dracone infestatæ : indicato denique terræ mœrore & cæli gaudio ex ruina *Babylonis*, capitalis piorum hostis, cuius damnatio prolixâ descriptione proposita est ; proximè mihi a Spiritu Sancto alia est oblata visio, tanquam præcedentium omnium summa, & totius vaticinij toties iam repetiti succincta iteratio : quę in tres partes hic diuisa est. In prima est beatus Ecclesiæ status (vt vt mundo aliter fuerit visum) ad tempus bene longum, post primum Christi aduentum : quod in primo sigillo exprimitur. In secunda proponuntur ærumnæ & miseriæ, quibus postea conflictabitur : de quibus in tertio & quarto sigillo, & in tertio, quarto, quinto, sextoque classicis. in tertiâ lætifica illius sospitatio cum aduersariorũ exitio, & vniuersi consummatione, vt supra in sexto sigillo, & septima tuba, & septima phiala, & albi equi è cælis descensu, cuius modò præcessit descriptio. Præcipuè autem hac visione exhibetur Dæmoni ipsius supplicium, quum in prioribus ministrorum eius duntaxat, & satellitum ruina fuerit exposita. eiusmodi autem erat visio. 1 Vidi itaque Angelum descendentem de cælo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. 2 Is apprehendit *Draconem*, serpentem illum antiquum, Dæmonẽ ipsum, & Satanam, tentatorem hominum, & in mille annos eum vinxit. 3 Præcipitauit autem illum in *Abyssum*, quam, eo incluso, sedulò obserauit, ne qua erumpens gentes seduceret, donec mille anni consummarentur. nam postea oportet eum aliquantisper solui. 4 Deinde sellas vidi, & homines ijs insidentes, quibus iudicandi potestas concessa erat. Vidi quoque eorum animas, qui securi percussi erant propter testimonium Iesu, & propter sermonem Dei : quique non adorarunt *bestiam*, neque imaginẽ eius : nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut manibus suis.

hi viuent,

hi viuent, & regnabunt cum Chriſto ad mille iſtos annos. 5 Reliqui verò è mortuis non reuiuiſcent, donec prædictus annorum numerus fuerit exactus. hæc eſt reſurrectio prima. 6 Beatus ille eſt & ſanctus, qui primę reſurrectionis eſt particeps. nam ſecunda mors nihil habebit in hos iuris. ſed erunt *Sacerdotes Dei & Chriſti*: & cum eo regnabunt in ęternum. hæc prima eſt nuperæ diuiſionis pars, vbi paſſione Chriſti catenatus Diabolus in mundo deſijt graſſari; &, velo cæcitatis ab oculis hominum per Chriſtum reducto, relegatur ille in *Abyſſum*, vbi in catenis maneat ad annos mille; quo numero longum illud tempus ſignificatur, quo Diabolus, infernali clauſus carcere, eius iuſſu vincitur, qui ſolus imperat inferno. Interea temporis non ſeducebantur gentes eius impoſturis. nec dum enim irrepſit in mundum hæretica malignitas: in ipſo perſecutionis æſtu ſic creſcente piorum numero; & puritatem verbi ſic retinente viſibili Eccleſiâ, vt conſtantiâ ſuâ in rebus aduerſis, & tolerantiâ in laboribus mundo dominari viderentur, imò ſuo martyrio terrarum iudices fieri. Nam tum demum Chriſti, & Sanctorum, in terris viget floretque imperium, cum diuini verbi iubar terras irradiat; Sanctis palàm eius veritatem profitentibus. hi ſunt, qui beſtiam non adorarunt, qui æterna electione & prædeſtinatione ab eorum contagio liberati ſunt, quorum guſtus aliquis nobis exhibetur in eo hęreſeon genere, quę tyrannide Babylonis inuectę & defenſæ ſunt. his etenim Satanas nullas vnquam excogitabit, aut magnitudine, aut periculo æquales. Ideo autem ampliſſimus ille Sanctorum cum animabus martyrum conſeſſus aſpectui meo obiectus fuit, vt certò ſcirem fideles animas, ſuorum corporum conſortio liberas, ſtatim in cælos deferri; ibique omni auctas gloriâ manere in nouiſſimum diem. tum verò cum corporibus ſuis, iam glorioſis, ſociatas, integra beatitudine æternùm frui. quemadmodum è contra damnatorum animæ, à corporibus auulſæ, præcipites eunt in Tartarum, vt ibi maneant in tormentis, donec nouiſſimo die cum infelicibus corporibus ad ſempiterna ſupplicia vniantur. neque enim credendum eſt alterutris dari locum aliquem quieſcendi intermedium. *reliqui* autem *mortui*, nimirum impij, non vtique reuiuiſcent, donec iam dictus annorum numerus reuolutus fuerit. nam neque ijs annis labentibus, neque verò elapſis, vnquam guſtabunt regenerationis dulcedinem, quæ eſt *prima reſurrectio & ſecunda generatio*, vt Nicodemum docuit Chriſtus. Idcirco (vt modo aiebam) ter & amplius beati ſunt, qui primę reſurrectionis facti ſunt participes. nam *ſecunda mors*, quæ eſt infernus, nihil habebit in eos iuris. ſed erunt *Sacerdotes Dei & Chriſti*: & regnabunt cum eo mille annis; æternum illud laudis & euchariſticum ſacrificium offerentes Deo; & fruentes ſocietate electorum, qui per illud tempus in terris vixere. & hactenus fuit prima viſionis pars. 7 Finit âautem horum dierum felicitate ſoluetur Satanas è carcere ſuo.

Digitized by Google

cere ſuo. 8 Et exibit, vt liberiùs ſeducat gentes, quæ ſunt in quatuor terræ angulis. nam non ſolùm ſparſis hæreſibus mundum cæcum faciet, atque apoſtaticum: verumetiam ingentis aduerſus veram Eccleſiam perſecutionis auctorem ſe præbebit, contra illam excitatis ad bellum *Gogo* & *Magogo*, quorum numerus eſt ſicut arena maris. hos ille, poſt alias calamitates innumeras, congregabit ad prælium, magno die Domini; de quo in ſexta tuba, ſextaque phiala, & ſtatim ante hanc viſionem: duas, nimirum, potentiſſimas Monarchias, & impotenter dominaturas Eccleſię. ambæ circa idem nouiſſimi ſæculi tempus orientur, ambæ alio poſt tempore Chriſti ſpiritu diſſlabuntur, vt infra audietis. alterius apertæ, profeſſæque ſunt aduerſus Deum & Chriſtum eius inimicitiæ. altera verò eſt *Babylon*, eò capitalior hoſtis, quò hypocriſi & verſutia occultior. ambę hę, quanquam mutuis odijs arrogantiaque & inuidia ſibi infeſtiſſimæ, conſpirabunt tamen ad vexandam Eccleſiam; & innumeris eam copijs oppugnabunt. haud ſecus ac Herodes & Pilatus, malè inter ſe concordes, fœdus vnà aduerſus Chriſtum pepigerunt. hæ ſunt eorum copię, quæ contra Sanctos prœliabuntur ad *Armageddon*: & præcipuę huius belli incentrices erunt *tres ranæ*, vltima illa inſectorum progenies ex abyſſi fumo genita, vt in ſexta phiala prædictum eſt. 9 Hæ igitur ingentes copiæ, quas Diabolus ex abyſſo excitauit, adſcenderunt in terram, eiuſque latitudinem multitudine ſua texerunt: & caſtra Sanctorum, vrbemque ſanctam circumiere. Nam vndique Sanctos omni arte parabant obſidere: verum ignis è cælo miſſus eos conſumpſit. præpotentis Dei dextra hoſtes illos, etiam cùm maximè erant formidabiles, mirabiliter ſubuertit: & auxilio venit Sanctis in rebus deſperatis, quum iam certiſſimum, quantum humana imbecillitas coniectura aſſequi poterat, illis immineret exitium. Nunc ad tertiam huius viſionis partem veniendum eſt, in qua conſummationis vniuerſi deſcriptio proponitur. 10 Vidi enim Dæmonem, qui impios ſeduxerat, in *ſtagnum ignis & ſulphuris* deturbatum, in ipſum nempe infernum; vnde ille nunquam in poſterum euadet. in quo iam erant *beſtia* & PSEVDOPROPHETA, vt ex antedictis conſtat. hîc ego magnâ cum voluptate adſpexi ipſum auctorem omnium malorum pœnas luentem Eccleſiæ; quum antè ſoli eius miniſtri & inſtrumenta punirentur, vt in principio huius viſionis explicatum eſt. nunc dies noctesque æternùm vnà torquebuntur. 11 Tunc vidi *magnum thronum*, & quendam illi inſidentem, omni gloria & ſplendore amictum, ipſum IESVM CHRISTVM nunc è cælis venientem iudicatum terras: à cuius conſpectu cælum & terra fugêre: nec eorum locus inuentus eſt. *Nam terra tota, cum maxima cælorum parte*, ad eius ſecundum aduentum deſtruetur, cætera autem repouabuntur. 12 Et vidi omnes mortuos, magnos & paruos, ſtantes in conſpectu Dei. ſiſtuntur enim

iudicio

iudicio mortui, qui iam omnes reſurrexerant. & *libri* aperti ſunt: nempe omnium mortalium conſilia, & cordium ſecreta protracta ſunt in lucem. & alius liber, ille LIBER VITÆ, apertus eſt, vt, quorum nomina illi inſcripta forent, ante rerum initia electi & prædeſtinati ad ſalutem, ſecernerentur ad æternam gloriam. & mortui iudicati ſunt ex ijs, quæ erant ſcripta in libris, ſecundum opera ipſorum. Nam vt Deus eſt Spiritus, ita cogitationes hominum iudicat, & *ſolius fidei* intuitu iuſtificat, quanquam id *ſecundum opera* dicatur fieri. quia inſeparabiles ſunt fidei fructus, & fidem noſtrā coram hominibus teſtantur. 13 Et reddidit mare mortuos, quos habebat. nam omnibus incumbebat reſurgendi neceſſitas. MORS quoque & INFERNVS reddiderunt mortuos, quos habebant. non ſolùm enim corpora, ſed & animæ defunctorum huic iudicio ſiſtuntur, de quibus omnibus iudicatur ſecundū opera ipſorum. 14 *Infernus* autem & *mors* coniecti ſunt in *ſtagnum ignis*, nempe ſuo in carcere æternùm tenebuntur, nunquam inde erupturi ad ſanctos inquietandos. nam *mors*, hoſtium poſtrema, proſcribetur ex ſancta ciuitate, HIERVSALEM. 15 Cuiuſcunque autem nomen non inuentum eſt in *libro vitæ*, is in ſtagnum ignis coniectus eſt. nec enim hiſce ſupplicijs damnabuntur illi tantùm, qui publicis cooperti ſunt flagitijs, verumetiam quicunque à Deo ad æternam ſalutem prædeſtinati non ſunt. nam nulla relinquitur media via, ſed quiſquis cum Chriſto non colligit, is ſpargit.

CAP. XXI.

Æternæ illius Hieruſalem, totiuſque Eccleſiæ, in cœlis triumphantis, glorioſa facies proponitur.

SVmmatim iteratis in proxima viſione omnibus prioribus, nunc in hac vltima Spiritus Dei glorioſa eorum exponit præmia, qui ad finem vſque perſeuerant; & innumeris illis Satanæ inſultibus non patiuntur ſe à vero Dei obſequio deterreri: quibus omnibus pro mercede datū eſt ſanctæ illius *Hieruſalem* hæreditatem cernere, vt iam audietis. 1. Nouum enim cœlum vidi, nouámque terram, quibus dominabuntur poteſtate regiâ & æternâ omnes fideles: & ſacro præterea ſacerdotio fungentur in ſæcula. Prius enim cœlum & prior terra diſparuerunt: neque maria ampliùs erant: omnia namque in die nouiſſima flammis abſumpta & renouata ſunt; expurgatâ nimirum concretionis mutationiſque labe, omnia à ſeruitute *mortis*, cui antea abnoxia erant, ad libertatem gloriæ filiorum Dei traducta ſunt. Non tamen in hoc nouo ſublunarium rerum apparatu ſuæ fœlicitatis domicilium ſtatuent Sancti, ſed in cœlis. 2. Et ego IOHANNES, vidi ſanctam illam ciuitatem Hieruſalem,

Digitized by Google

ſalem, emiſſam cœlitùs à Deo, *ſponſæ* more ornatam, vt *ſponſum* excipe-ret. Nam triumphans hæc Eccleſia, peracto vniuerſali iudicio, deſcen-det obuiam CHRISTO ſponſo ſuo, cui ſic ex voto iuncta nullum vn-quam in omnia ſæcula metuet diuortium. 3. Et audiui vocem mag-nam de cœlo, veluti, qua æternus huius thori honos confirmaretur: *Ecce, inquit, tabernaculum Dei, & eius cum hominibus commune domicilium: ipſe cum iis ſemper habitabit, & erit illorum Deus; illi verò eius populus.* 4. Et omnes lacrymas ab eorum oculis abſterſurus eſt Deus. & mors amplius non extabit; neque luctus, aut clamor, aut labor, aut ærumna amplius in triumphante Eccleſia audientur: quia præcedentia cum abierint, hæc quoque terminabuntur. 5. Et qui inſidebat throno Deus pater, *Ecce*, inquit, *omnia facio noua.* mihi autem dixit, *ſcribe quod vides, & tranſ-mitte ad poſterorum memoriam.* Nam certè vera ſunt & fidelia hæc verba, & tandem aliquando certo certiùs euenient. 6. Dixit præterea, FACTVM EST. nam poſtquam harum rerum fides certitudine euen-tus conſtabit, tum omnium abſolutiſſima conſummatio erit. Ego ſum ALPHA & OMEGA, principium & finis omnium. nam me auctore omnia & creata & deleta ſunt. Sitienti autem dabo gratis, & abſque pretio, ex fonte aquæ viuæ bibere. ille profectò gratuitam donabit ſalu-tem poſcentibus, quæ ex merito non venit, ſed ex miſericordiâ. quanto-pere igitur deſipiunt, qui, verâ ſalute reiectâ, quam ſi petiueris conſe-queris, ſuppoſititiam & vanam magno ære redimunt à Babylone? 7. qui ſuæ carnis & Satanæ victor euaſerit compos omnium fiet, regnique Dei hæreditatem cernet: & ego ero illi Deus, & ille mihi erit filius. 8. *formidoloſis* autem & *incredulis*, qui indubitatâ fiduciâ à promiſſis meis non pendent, & *execrabilibus*, & *homicidis*, & *ſcortatoribus*, & *veneficis*, & *idololatris*, & *mendacibus*, his inquam omnibus locus in STAGNO paratus eſt, vbi ardent ignis & ſulphur; quæ eſt *mors ſecunda.* 9. Tunc venit ad me vnus è ſeptem Angelis, qui ſeptem phialas, plenas ſeptem plagis; tenebant. & *veni*, inquit, *ego tibi ſponſam monſtrabo, vxorem agni.* etenim huic Angelo in mandatis datum erat ſanctæ huius Hieruſalem, *Eccleſiæ triumphantis*, gloriam mihi oſtendere; non vtique vt meæ curioſitati ſatisfieret, ſed vt ego venturis ſæculis proderem, non auritus, ſed ocu-latus teſtis, quæ gloria, quæ merces maneat fideles in vitâ futurâ. 10. Atque ita me in ſpiritu abripuit in locum editum & excelſum, vnde magnam vrbem ſanctam *Hieruſalem* videre erat, cælitùs à Deo venien-tem, vt dictum eſt ſupra. 11. habebatque in ſe gloriam Dei, eiúſque ſplendor gemmæ micantiſſimæ par erat; ſcilicet *Iaſpidi*, ſi vernantes æ-ternitatis radios conſideres, vel *cryſtallo*, ſi lucidum fulgorem. 12. Ha-bebatque hæc vrbs *murum* magnum, & ſublimen, aptum excludere, quotquot agni ſigno notati non erant; vt etiam ciues à noxijs miſeria-rum flatibus protegere. nam omnes tum lachrymæ ab eorum oculis ab-

ſtergendæ,

ſtergendæ ſunt. Vrbs quoque hæc *duodicim portas* habebat; & in portis Angelos duodecim, & nomina horum illis inſcripta, quæ erant nomina duodecim tribuum Iſraëlis. 13. Et verſus orientem tres portæ erant, tres verſus occidentem, tres verſus meridiem, tres verſus ſeptentrionem: vt certus ſis, vnde vnde locorum venias, quodcunque vitæ genus ſequaris, ſi ſyncero corde pulſes, aditum tibi in hanc vrbem patere: tam æquabili portarum diſtributione omnes aduenas videtur inuitare. 14. Et *murus* vrbis habebat *fundamenta duodecim*; in quibus erant duodecim nomina Apoſtolorum agni. hi duodecim Angeli duodecim portarum, cum duodecim muri fundamentis ſunt *viginti quatuor ſeniores*, de quibus in Epiſtolæ huius initio. duodecim Angeli portarum ſunt *duodecim Patriarchæ*, qui primi huc monſtrarunt viam, atque adeo duces fuere ad hanc nouam *Hieruſalem*: à lege enim, quæ per illos ſignificatur, incipienda eſt veritatis & noſtri ipſorum notitia. at nos Apoſtoli ſumus duodecim fundamenta: noſtrâ enim doctrinâ circumſepta eſt Sanctorum ſecuritas, alijs omnibus excluſis. 15. Angelo autem, qui mecum loquebatur, *calamus aureus* in manu erat, quo ciuitatem, & portas, & murum metiretur; vt iuſtiſſimam illam inter portes ſanctæ vrbis ſymmetriam concipiamus. 16. Vrbs verò hæc portarum ratione quadrata erat, quæ ſpectantes versùs quatuor plagas cœli, aduenas, vnde vnde eſſent, admiterent. longitudo autem eius latitudini æqualis erat, vt infinitum vrbis ſpatium intelligamus. quod cum Angelus calamo fuiſſet dimenſus, compertum eſt duodecim millium ſtadiorum: quo numero, vt certo perfectionis indice, (quemadmodum ſæpe vſurpatur) inſignis huius vrbis notatur capacitas. Erant autem longitudo, latitudo, & altitudo æquales, ne quas inæquales huius vrbis partes arbitremur. 17. Angelus quoque murum eius dimenſus eſt: & erat *centum & quadraginta quatuor* cubitorum. qui numerus par eſt numero Sanctorum, qui cum agno ſtabant in monte Sionis, vt ante audiuiſtis. Menſura autem, qua menſurabatur vrbs, erat menſura hominis, quæ eſt menſura Angeli. Menſuratur autem menſurâ Chriſti, Dei & hominis, hæc vrbs; vt illum ſolum ſpiritualis huius vrbis *architectum* veneremur; quam ſuis non humanis cubitis metitur. 18. Erat autem muri ſtructura ex *Iaſpide*, vt intelligantur æternum durare. ipſa autem ciuitas erat ex *auro puro*, inſtar vitri puriſſimi, cui nullæ adhærent ſordes. 19. Et duodecim fundamenta vrbis omni gemmarum genere ornata erant. fundamentum primum erat ex *Iaſpide*. ſecundum è *ſapphiro*, tertium è *chalcedonio*, quartum è *ſmaragdo*, 20. quintum è *ſardoniche*, ſextum è *ſardio*: ſeptimum è *chriſolitho*, octauum è *beryllo*: nonum è *topazio*, decimum è *chryſopraſo*: vndecimum ex *hyacintho*: duodecimum ex *amethyſto*. hæ duodecim gemmæ, ſingulæ ſingulis aſſignatæ fundamentis, id volunt, nobis Apoſtolis, qui *fundamentorum* nomine intelligimur, diuerſam

Digitized by Google

uerſam cuique in cœlis repoſitam eſſe coronam gloriæ, pro laborum magnitudine & excellentiâ, quos hîc in terris obimus. in *gemmis* quoque alluſio eſt ad duodecim illos, quæ in Aaronis thorace fuere. 21. Duodecim autem portæ erant è duodecim margaritis, ſingulæ è ſingulis: quarum cum gemmis idem eſt ſenſus; niſi quòd de duodecim Patriarchis intelligantur. Et huius ciuitatis forum erat ex auro puro, inſtar vitri pellucidi; vt ſciamus in ea vrbe nullum eſſe rebus vilibus, nedum immundis, locum: cuius *forum*, quo nihil in vlla vrbe magis tritum aut publicum, ex præcellentiſſimo conſtet metallo. 22. Nec templum in ea vidi. nam Dominus Deus omnipotens, *ipſe agnus*, eſt templum eius. nam in ſolo agno, in quem omnes fideles inſeruntur, glorificandus eſt Deus. 23. Neque hęc ciuitas Solis aut Lunæ radijs egebit. nam Dei gloria illuſtrat eam: & lucerna eius eſt AGNVS. vt enim terrenæ voluptatis domicilium non eſt, quod nobis hîc deſcribitur; ita nec decus eius vlla ex parte terreſtre eſt, ſed cœleſte totum & diuinum. 24. Et quicunque è gentibus ſalui facti ſunt, in ea luce ambulabunt. & Reges terræ eò ſecum ferent gloriam ſuam. nam in ea ciuitate renunciabunt fideles Reges omnibus humanæ gloriæ ornamentis, quæ nouo & incorruptibili honore permutabit agnus; lux ciuitatis. 25. Nec portæ eius claudentur interdiu. nulla enim ibi futura eſt turbarum ſuſpicio, quarum metu vrbium huius mundi obſerantur fores. nec nox ibi vnquam vlla erit, vbi cœleſtis ſplendoris iubar omnia illuſtrans nunquam deficiet. 26. Et in eam gloria gentium & populorum feretur. nam quicquid eſt in orbe illuſtre aut ſplendidũ, nihil eſt ad huius ciuitatis decus. 27. Nihil autem impurum vel contagioſum capiet hæc vrbs, vt nec hominem flagitio quouis infamem, aut mendacem. ijs tantùm hîc locus erit, quorum nomina in AGNI *libro vitæ* ſcripta ſunt, vt ante audiuiſtis.

CAP. XXII.

Reliquum prioris deſcriptionis. humanæ naturæ in idololatriam propenſio. Scriptor huius libri & auctor indicatur, ne qua inde dubitatio aut lis poſtea oriatur. Optanda eſt fidelibus dies nouiſſima. Denouentur diris, qui hoc libro abutuntur addendo, aut demendo.

VT ſcirem igitur tam eſſe mortis & corruptionis expertes ciues huius vrbis, quàm moenia, & cætera eius ornamenta: monſtrauit mihi idem Angelus *fluuium aquæ viuæ*, cuius hauſtum fœminæ Cananitidi Chriſtus promiſerat; purum illum putumque, inſtar cryſtalli, ex throno Dei & agni fluentem. in quo alluſio eſt ad terreſtris Paradiſi fluuios; & ad *fontem Ezechielis*, qui infernè ex templi pauimento ſcaturiebat.

bat. 2 In medio autem foro, & in vtrâque fluminis ripa florebat arbor, ferens duodecim genera fructuum, pro duodecim anni mensibus; & folia, sanandis gentium morbis: hæc arbor, & hæc aqua vitæ nihil aliud sunt, quàm cęlestis ille potus & cibus, de quibus tum Christus loquebatur, cùm Capernaitæ eius doctrina offenderentur: vt in meo Euangelio videre est. huius *arboris* & *aquæ* typi modò erant illæ eiusdem generis apud Ezechielem, & in Paradiso terrestri. Numerus fructuum arboris respondet numero tribuum Israelis, quibus salus data est hos fructus per fidem edentibus; tum voluptatum, quibus ibi Sancti fruentur, varietas & copia significatur. quæ arbor vt Iudęis alendis & satiandis fructûs, ita curandis Gentilium spiritualibus affectionibus folia emittebat; quibus ita sanatis non tantùm obtigit incolumitas, verumętiam orexis quædam, & appetitus ipsorum fructuum, queis comestis & concoctis nutriebatur anima, & spiritualis vitę robur augebatur. In vtraque fluuij ripâ crescebat *arbor*, vt sciamus vnam esse & indiuiduam vtrinque, ab omnipotentis Dei throno & ab agno profectam: cuius in medio foro, loco sane publico & omnibus communi, plantatio quid aliud significet, quàm neminem inde excludi? quin liberrimum vnicuique & promiscuum concedi accessum, vt eius participatione omnes se recreent, & focillent, vnde sanctę ciuitatis, Ecclesiæ nimirum militantis, nutritio & sanitas & vigor pendebant? 3 Nullum erit amplius anathema; inferno & morte suo in æternum conclusis carcere, vt in priore visione audiuistis. Nam hæc vrbs augusta erit Dei sedes, & agni regnantis in sæcula, vbi & serui eius continuâ gratiarum actione & laudibus illi inseruient in sempiternum. 4 Et videbunt faciem eius coràm, vnde eorum gaudium interminabile. & nomen illius inscribetur frontibus eorum, quod sępe ante audiuistis. 5 Nulla ibi nox, nullæ tenebræ, sed nec vlla lucerna aut Solis lumen; quorsum enim hæc terrenæ lucis adminicula, vbi diuinæ maiestatis iubar omnia illustrat? igitur illi gloriosè regnabunt in sæcula. 6 Angelus hisce reuelatis, vt omnia certiùs firmaret, *Omnia*, inquit, *verba huius prophetiæ sunt vera & fidelia.* Et idem ille Deus, qui per Prophetas, suo afflatos numine, non intermittit futurarum rerum certiorem facere Ecclesiam suam, ad me hunc Angelum misit; vt per me seruis suis prædiceret, quæ citò sunt ventura. 7 *Ecce venio citò*, ait Dominus. Beatus igitur qui obseruat, & opere custodit verba huius prophetiæ. 8 Ille ego IOHANNES sum, qui hæc audiui & vidi. nomen meum non reticeo, ne incertitudine scriptoris minuatur libri auctoritas. his autem omnibus auditis & visis, ad Angeli, qui hæc mihi ostenderat, pedes procidi, vt eum adorarem. 9 At ille; *vide*, inquit, *ne feceris*. sum conseruus tuus, vnus è Prophetis, fratribus tuis, & ex ijs, qui obseruant verba libri huius, quanquam non negem me Angelum. Tu igitur Deum adora, ad quem solum omnis

nis cultus ſuo iure pertinet. huius delicti, de quo non ita pridem correptus fui, iteratione ego admoneor, &, meo exemplo, tota Eccleſia, quàm non firmum ſit genus humanũ contra idololatriæ vitium, ſiue adorationem creaturarum: cuius reſpectu zeloten ſe profitetur Deus, in lege ſua. Intuitu humanæ debilitatis circa hocgenus delicti, non ego, ſed per me Sanctus Spiritus, in fine vnius ex epiſtolis meis, denunciat fidelibus: *filioli cauete ab idolis*: nec abſque cauſa tantopere hoc vrgeo: nam noui ego *Babylonem* in nouiſſimis diebus hoc ipſo idololatriæ, ſeu ſpiritualis adulterij veneno ſuos eſſe potionaturam, cuius rei ante in hoc libro mentio facta eſt. 10 Et dixit mihi Angelus, *ne obſignaueris verba Prophetiæ huius. prope enim eſt tempus.* In memoria tenetis, vt mihi antè iniunctum fuerit ea obſignare, quæ ſeptem tonitrua dixerunt, quia illa retegere nefas erat: nunc è contra iubeor hæc literis mandare, & in lucem proferre, quia propè abeſt tempus, quùm iſta euenient. 11 Præterea monuit, ne de huius prophetiæ vtilitate deſperarem, quamuis ad nihil aliud inſeruiret improbis, niſi vt inexcuſabiles redderentur. prænunciauit enim Deus iniuſtos nihil hac prophetiâ deterreri, quo minus pergant facere iniurias; nec immundos, quò minùs in ſordium ſuarum volutabro maneant: iuſtos verò hinc firmari ad incrementum iuſtitiæ, & ſanctos ad incrementum ſanctitatis. nec enim verbis huius prophetiæ, ſed Spiritu ſancto per illam operante, fidei ſemina radices agunt in cordibus hominum. 12 *Ecce venio citò*, inquit Dominus Ieſus, & mercedem meam mecum fero, vt reddam vnicuique ſecundùm opera ſua. 13 Ego ſum *ALPHA & OMEGA* principium & finis, primus & nouiſſimus, vt ſuprà. 14 Beati, qui præcepta Chriſti obſeruant & præſtant, vt ſit eis ius in arbore vitæ (nam obediendo donabuntur in ea vrbe ciuium priuilegio, cuius eſca eſt fructus illius arboris) & vt ingrediantur vrbem ſanctam per portas, quæ ſemper illis admittendis pateſcunt. 15 Sed extra hanc ciuitatem perpetuò maneant proſcripti, *canes*, quales ſunt profanæ vitæ homines; & *fornicatores*, & *venefici*, & *homicidæ*, & *idololatræ*; & quiſquis *mendax* eſt, aut delectatur mendacio: & in ſumma, quotquot ſine pœnitentię morſu in publicis volutantur flagitijs. 16 Ego IESVS (ait Dominus) miſi Angelum hæc reuelatum Iohanni, vt teſtata fierent ſeptem Eccleſijs. Ego ſum ſtirps & progenies illa Dauidis: ego ſum lucidiſſimus Phoſphorus, veſtrę gloriæ fons & ſcaturigo. 17 Et ſpiritus & ſponſa dicunt, VENI. Eccleſia enim, Chriſti ſponſa, ad libertatem ſuam anhelans, optat ſecundum eius aduentum maturari; & Chriſtus ardore amoris, quo illam amplectitur, annuit poſtulatis; & qui audit dicit, VENI. Nam hoc omnibus fidelibus debet eſſe in votis: & qui ſitit veniat, nempe qui AQVAM VITÆ auet guſtare, ſeriò expetat diſſolutionem vniuerſi, & nouiſſimum diem. & quiſquis

Digitized by Google

cupit *aquam vitæ*, gratis & ſine pretio eam accipiat. 18 Cęterùm conteſtor omnibus huius prophetię verba audituris, ſi quis illi quicquam addiderit, Deum omnes huius libri plagas illi inflicturum. 19 Et ſi quis verbis huius prophetię quicquam ademerit, Deum illi portionem ſuam adempturum è libro vitę, & ex ſancta ciuitate, & ex ea beatitudine, quę hoc libro ſcripta continetur. Nam quiſquis libri huius aut exſcriptione, aut tranſlatione, adulterauerit quoquam modo autographum, vel eius interpretatione ſciens volenſque à verò ſenſu ad inania hominum commenta, aut ſuas præiudicatas opiniones abierit: ſi quis, inquam, horum quicquam admiſerit, anathemate ferietur, vt ſacræ ſcripturæ falſarius, & veritatis diuinæ corruptor. 20 Porrò, vt omnia concludam veſtro ſolatio; Ille, qui hæc quę audiuiſtis teſtatur, ille inquam, ait, *Certè venio citò*. ITAQVE VENI DOMINE IESV, ET NOSTRAM INCOLVMITATEM MATVRA. 21 Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit vobiſcum omnibus, veſtriſque in verbi veritate ſucceſſoribus, per quam vos vnà cum illis ſic in ea veritate firmemini, vt tentationibus hoc in libro proditis reſiſtentes, & ad finem conſtanter perſeuerantes, tandem aliquando immortalem glorię coronam poſtrema viſione exhibitam conſequamini. AMEN.

DVAE

DVAE MEDITATIONES SACRAE,

PRIOR IN QVATVOR VERSVS XX. CAP. APOCALYPSEOS;

POSTERIOR IN QVINQVE Verſus XV. CAP. I. LIB. CHRONICORVM.

cupit *aquam vitæ*, gratis & ſine pretio eam accipiat. 18 Cęterùm conteſtor omnibus huius prophetię verba audituris, ſi quis illi quicquam addiderit, Deum omnes huius libri plagas illi inflicturum. 19 Et ſi quis verbis huius prophetię quicquam ademerit, Deum illi portionem ſuam adempturum è libro vitę, & ex ſancta ciuitate, & ex ea beatitudine, quę hoc libro ſcripta continetur. Nam quiſquis libri huius aut exſcriptione, aut tranſlatione, adulteraverit quoquam modo autographum, vel eius interpretatione ſciens volenſque à verò ſenſu ad inania hominum commenta, aut ſuas præiudicatas opiniones abierit: ſi quis, inquam, horum quicquam admiſerit, anathemate ferietur, vt ſacræ ſcripturæ falſarius, & veritatis diuinæ corruptor. 20 Porrò, vt omnia concludam veſtro ſolatio; Ille, qui hæc quę audiuiſtis teſtatur, ille inquam, ait, *Certè venio citò*. ITAQVE VENI DOMINE IESV, ET NOSTRAM INCOLVMITATEM MATVRA. 21 Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit vobiſcum omnibus, veſtriſque in verbi veritate ſucceſſoribus, per quam vos vnà cum illis ſic in ea veritate firmemini, vt tentationibus hoc in libro proditis reſiſtentes, & ad finem conſtanter perſeuerantes, tandem aliquando immortalem glorię coronam poſtrema viſione exhibitam conſequamini. AMEN.

DVAE

DVAE MEDITATIONES SACRAE,

PRIOR IN QVATVOR VERSVS XX. CAP. APOCALYPSEOS;

POSTERIOR IN QVINQVE Versus XV. CAP. I. LIB. CHRONICORVM.

MEDITATIO SACRA,

IN APOCALYPSEOS

CAP. XX. VERS. VII. VIII. IX. X.

VII. *Postquam verò consummati fuerint anni mille, soluetur Satanas de carcere suo.*

VIII. *Et exibit, vt seducat gentes, quæ sunt in quatuor angulis terræ*; Gogum & Magogum: *vt congreget eos ad prælium; quorum numerus est sicut arena maris.*

IX. *Adscenderunt igitur super latitudinem terræ, & circumierunt castra Sanctorum, & vrbem illam dilectam: sed descendit cœlitùs à Deo ignis, qui deuorauit eos.*

X. *Et Diabolus, qui seducebat eos, conjectus est in stagnum ignis & sulfuris, vbi erat Ecclesia illa, & ille Pseudopropheta: & torquebuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.*

T Christiano homini instituendo sacræ literæ omnium maximè necessariæ sunt; ita earum nulla pars huic sæculo monendo efficacior est APOCALYPSI, nouissimi videlicet temporis historiâ; ex qua hanc mihi particulam selegi, tanquam meo consilio conuenientissimam. Postquam enim Iohannes, in decimo-nono capite, de extremis temporibus vaticinatus fuisset, omnia quasi in faciculum colligit hoc vigesimo: cuius hæ tres præcipuæ partes sunt.

Quàm necessaria sit Apocalypseos cognitio.

Summa 20. cap. Apocalyps.

Prima quidem est *beata illa Ecclesiæ conditio* à Christo vsque ad Antichristum & apostasiam; sex primis huius cap. vers. expósita. *Secunda* est *ipsamet apostasia*, quam nos præ manibus habemus, in vers. septimo, octauo, nono & decimo. *Tertiâ* est *vniuersalis illa pœna*, improbis in die nouissimo inflicta, à vers. 10. vsque ad finem capitis.

Sensus Apostoli hoc in loco est; Satanam post mille annorum vincula (vt apparet ex præcedenti eius sermone de Sanctis in terra triumphantibus)

Sensus contextus.

phantibus) erupturum eſſe è carcere: & ad tempus liberiùs, quàm ante, in terris graſſaturum: at tandem ſua cum pernicie debellatum iri.

Methodus tractationis.

Breuibus expoſitâ rei ſummâ, iam ſupereſt verborum interpretationem aggrediamur. & primò quidem eorum obſcuritatem illuſtremus paraphraſi: deinde eorum ſenſum exponamus: tertiò obſeruemus, quid nobis ex omnibus diſcere conueniat.

PRIMA PARS.

IN verbis ipſis hæc tria ordinis gratiâ conſiderabimus. *primò* vt ſolutus fuerit Satan: *ſecundò*, quid egerit ſolutus: *tertiò*, quàm malè illi ceſſerit conatus.

Satanas in membris ſuis ſolutus ad vexandam Eccleſiam.

Quòd ad primum attinet: per *Satanam* non modo *Draco* intelligitur, capitalis ille Chriſti & Eccleſiæ hoſtis; verumetiam cum illo omnia ipſius *organa & miniſtri*: in quibus, & per quos atrocia & dolosa conſilia ſua ad exitum perducit. imprimis verò *Antichriſtus cum vniuerſo ſuo Clero*, qui cum Dracone coniunctus eſt 16. cap. verſ. 17. & *beſtia* dicitur & *Pſeudoprophet a*. Nam vt *Chriſti* nomine Chriſtus ipſe cum Eccleſia intelligitur, propter coniunctiſſimũ, arctiſſimumque eorum inter ſe vinculum, & diuina inde fluentia bona 1. Cor. 12. 12. ita *Satanæ* nomine Satanas ipſe cum ſuâ Synagogâ comprehenditur, propter mutuum eorum vinculum, & dira inde fluentia mala. In *mille annis* certus eſt numerus pro incerto; formulâ loquendi Spiritui ſancto frequentatâ, quoties magnum aliquem numerum deſignat.

Mille anni.

Carcer vnde emittitur Satanas. 1. Pet. 2. 4. Iud. 6.

Carcer vnde emittitur eſt *infernus*: qui duabus de cauſis *carcer* eius appellatur. *primò* quidem, quòd ſtante hoc vniuerſo eo relegari ſoleat è terris, quoties viſum eſt Deo illius tormenta acuere: quod teſtatur miraculum inter Gadarenos ad Genezareth Matth. 8. 28. *Deinde* verò, quòd poſt conſummationem vniuerſi æternùm hic incarcerabitur: vt eodem cap. verſ. 10. habetur. Toties *denique* ex hoc carcere ſoluitur, quoties ſincera Euangelij annunciatio interrumpitur, vel impeditur; vel hominum quidem opinione penitus corruit & aboletur, quoties eadem incommoda patitur legitimus Sacramentorum vſus, quæ veluti pigñora quædam ſunt & ſigilla Euangelicarum promiſſionum; aut quoties eccleſiaſticę diſciplinæ ſalubritas negligitur, cuius exercitio & verbi & ſacramentorum puritas conſeruatur. hæc magna illa *catena* eſt, qua vincitur Diabolus, & per *album equum* ſignificatur, cuius frenum moderabatur AGNVS cap. 6. verſ. 2. atque ita huius ſeptimi verſiculi hic ſenſus eſt, *Diabolum, prædicatione verbi diu vinctum, etiam illius impotentiâ in inſtrumentis ſuis interea frænatâ, tandem ſolutum fuiſſe, exorientibus in Eccleſia nouis hæreſibus, & graſſante ſatellitum ipſius improbitate, quorum primipili ſint Antichriſtus cum ſuo clero: cui non ſatis eſt mundum ſuorum errorum veneno imbuere, niſi etiam illi dominetur, omniaque pro ſua libidine agat,*

Solutio Satanæ.

Digitized by Google

ungues, & caput, quod ipsum quidem, ut dixi, ante pectus ad-
ducit, ut ante oculos habeat, quæ ad se pertinent, & ea ipsa
quæ ad ipsum. Quæ cum ita sint, quid est, quod Epicurus
Vid. l. 1. c. 3. n. 6. & 7. de nat. deorum.
reprehendat? Nam si ea, quæ ad se pertinent, & quæ quidque
sua natura appetit, ea sunt, quæ ad corpus pertinent, ut ille
dixit, & ea, quæ ad corpus, quæ ad animum, quæ ad totum
hominem, ut nos dicimus, ea sunt, quæ ad se quidque natura
adducat, ut ea appetat, quæ ad se pertinent, ut ea fugiat, quæ
ad se non pertinent, quæ ad se pertinent, ut ea aut non
curet, aut parum, aut magni, aut maxima, quæ ad se non
pertinent, ut ea aut non curet, aut parum, aut magni, aut
maxima, quæ ad se pertinent, ut ea aut non curet, aut parum,
aut magni, aut maxima, quæ ad se non pertinent, ut ea aut
non curet, aut parum, aut magni, aut maxima, quæ ad se
pertinent, ut ea aut non curet, aut parum, aut magni, aut
maxima, quæ ad se non pertinent, ut ea aut non curet, aut
parum, aut magni, aut maxima, quæ ad se pertinent, ut ea
aut non curet, aut parum, aut magni, aut maxima, quæ ad se
non pertinent, ut ea aut non curet, aut parum, aut magni,
aut maxima, quæ ad se pertinent, ut ea aut non curet, aut
parum, aut magni, aut maxima, quæ ad se non pertinent, ut
ea aut non curet, aut parum, aut magni, aut maxima, quæ
ad se pertinent, ut ea aut non curet, aut parum, aut magni,
aut maxima, quæ ad se non pertinent, ut ea aut non curet,
aut parum, aut magni, aut maxima, quæ ad se pertinent, ut
ea aut non curet, aut parum, aut magni, aut maxima, quæ
ad se non pertinent, ut ea aut non curet, aut parum, aut
magni, aut maxima, quæ ad se pertinent, ut ea aut non
curet, aut parum, aut magni, aut maxima, quæ ad se non
pertinent, ut ea aut non curet, aut parum, aut magni, aut
maxima, quæ ad se pertinent, ut ea aut non curet, aut
parum, aut magni, aut maxima, quæ ad se non pertinent,
ut ea aut non curet, aut parum, aut magni, aut maxima,
quæ ad se pertinent, ut ea aut non curet, aut parum, aut
magni, aut maxima, quæ ad se non pertinent, ut ea aut
non curet, aut parum, aut magni, aut maxima, quæ ad se
pertinent, ut ea aut non curet, aut parum, aut magni, aut
maxima, quæ ad se non pertinent, ut ea aut non curet, aut
parum, aut magni, aut maxima, quæ ad se pertinent, ut ea
aut non curet, aut parum, aut magni, aut maxima, quæ ad

gruente quocunque hoſte deficiant. Vnde *pulcri* dicuntur *vt Luna*: *puri vt Sol*: *terribiles vt exercitus volitantibus procedens ſignis* Cant. 6. 10. imò vt *ciuitas munita*: vt *columna ferrea*: & *murus aheneus toti terræ oppoſitus* Ierem. 1. 18.

Satanæ ſoluti ſtratagemata.

Hæc igitur eſt ſumma eorum, quæ Satanas facit ſolutus vinculis: *primò* quidem gentes decipiet: *ſecundò* occultos & apertos hoſtes aduerſus Eccleſiam conſcribet, infinito numero, inaudita fæuitia, intolerabili ſuperbia: qui omnibus machinis Euangelij veritatem oppugnaturi ſunt. ſed infæliciſſimus erit horum conatuum exitus. nam igne cælitùs demiſſo abſumentur hoſtes; & Diabolus author fraudis cum omnibus ſuis ſatellitibus, & imprimis beſtia & Pſeudopropheta, in ſtagnum ignis & ſulphuris deturbabitur, vbi dies noctesque perpetuis cruciabitur tormentis: vel, vt clariùs paulò exprimam, licet minarum terroribus omnia compleuerint, & improbo ſuo voto quam proximi fuerint vt iamiam prædam in manibus habere viderentur: Deus tamen è cæleſti maieſtatis ſuæ throno, vnde miſericordiam ſuam notam facit amicis, & iuſtitiam hoſtibus; calamitates in eos demittet, & pernicies tam ordinarias, quàm extraordinarias. *Ordinarias* quidem, dum fulminante Paſtorum ſuorum lingua eorum improbitatem redarguit, quod genus pœnę in ſacris literis *ignis* non ſemel appellatur: *extraordinarias* verò, dum dolorum omnium acerbitate corpora eorum affligit in terris, & exquiſitiſſimis cruciatibus animas torquet in inferno. & hucuſque paraphraſtica verborum expoſitio.

Infælix eorum euentus.

SECVNDA PARS.

Puritas verbi Satanam detinet in carcere.

NVnc ad ſenſus ipſius enucleationem pergemus; eundem hîc obſeruaturi ordinem, quo in prima parte modò vſi ſumus. Antè omnia verò ſciendum eſt, in quod tempus hi *mille anni* inciderint: tum quando, & qua ratione Satanas ſolutus fuerit. Tempus hoc deprehenditur ſexto huius libri capite; vbi myſtici illius codicis, diuinæ prouidentiæ, tria prima ſigilla aperit AGNVS. nimirum id tempus eſt, quo *albus equus & rufus & niger* in terris fuerunt: aut (vt clariùs loquar) aliquot annorum ſæculis poſt Chriſtum mediocriter floruit ſynceritas diuini verbi; vt hiſtorię Eccleſiaſticæ teſtantur; quo tempore Satanæ poteſtas delituit: quod idem eſt, ac ſi *vinctum eſſe illum* diceres. Non paruo autem temporis ſpatio manſit in terris Euangelij puritas, quæ ſignificatur *albo equo*; quanquam qui eam profitebantur viuerent ſub cruce, quæ notatur *equo rubro*: & valde infeſtarentur ab hæreticis, quorum hieroglyphica ſunt *equus ater*, & *abſynthium* tertiæ tubæ clangore in *fontes aquarum* demiſſum, & *aquæ* quæ ex *ore Draconis* euomebantur in *mulierem*, Cap. 12. Perennauit huius temporis fælicitas etiam nonnihil poſt Auguſtini mortem: tum verò tota

Eccleſia

Digitized by Google

Ecclesia varijs cœpit inquinari hæresibus; quæ cùm iam maturuissent, nobis Antichristum peperere: cuius hieroglyphica sunt *equus pallidus*, in quarto sigillo; *Rex locustarum* in quinta tuba, *Babylon* Cap. 11. & 18. *bestia iterum exoriens è mari*, Cap. 13. & *coccinata fœmina*, Cap. 17. Dæmonis igitur hoc in loco solutio nihil aliud est, nisi hæreseon exortus, exque earum fumo genitus Antichristus.

Occidente Euangelio oritur Satanas, & in suum meridiem scandit.

Nunc quid solutus egerit videamus. Ille omnes gentes decipit: & exercitus innumerabiles *Gogum* nempe & *Magogum* conuocat ad prælium: in latitudinem terræ ascendit: & castra Sanctorum obsidet, & dilectam ciuitatem. hæc eius sunt facinora: quæ cum in alijs huius libri locis delineentur ad viuum, ea in medium libet adducere, vt mutua eorum collatione, & interpretatione, res tota magis eluceſcat. In nono capite dicitur Antichristus *locustas suas emissurus in terras*: nempe ordines suos sacros, quorum blanditijs teterrimas illas, quas excogitauit, hæreses orbi persuadeat. nec frustra; nam maxima mundi pars hac versutiâ in suas partes trahet. Cap. 11. dicitur *persequuturus Sanctos*, & *occisurus duos testes*; quorum cæde ipse cum terræ Regibus exultabit, tanquam ijs è medio sublatis, qui soli eius secundæ velificationi remoræ fuissent. Cap. 13. dicitur & *blasphematurus Deum*, potestatis diuinę vsurpatione, & *pseudoprophetæ vel pseudeccleſiæ consilio atque ope imagines suas, legatósque per orbem missurus*, vt quotcunque ipsi vel ipsius vicarijs parere, vel primatum eius recusant agnoscere, pessimis exemplis affligat & euertat; vt nec emere nec vendere fas vlli futurum sit, aut ciuilis societatis beneficio frui, qui supremam eius potentiam & dignitatem non reuereatur. Cap. 16. dicitur *tantum abfuturus à pœnitentia, dum Deus illius vindicat nequitiam; vt è contrà nouum quoddam genus insecti excogitaturus sit*: scilicet, nouum ordinem Ecclesiasticum, RANARVM nomine infamem, cuius opera Principes terrę sibi iunget fœdere, & bellum instaurabit aduersus Sanctos; quorum in perniciem nihil relinquet intentatum. cuius *belli* apparatus & exitus hoc loco descriptus est.

Nunc omnia hæc in vnum colligamus, vt verus verborum sensus eluceat. *Orietur Antichristus, Deo & Ecclesiæ infestus: adulterinæ & hypocriticæ Ecclesiæ caput erit: supremum in terris ius sibi vendicabit: etiam diuinam inuadet potestatem. per locustas fucum faciet hominibus, fideles persequetur, nec erit qui palàm illi ausit resistere. Tandem verò, quum regni sui vim sentiet imminui, & veram Ecclesiam inualescere, tum nouorum impostorum ope Reges terræ conuocabit, & copias aduersus Ecclesiam innumeras, vt est maris arena, & altero Christi hoste, aperto illo & manifesto, sibi coniuncto, aut sanè non impedito circumdabit castra fidelium, & dilectam ciuitatem obsidebit, & cum Sanctis bellum geret. at tantum aberit à victoriæ gloriâ, vt certa illum ignominia & pernicies cum omnibus suis sectatoribus maneat.* Iam verò an in ROMANAM PONTIFICEM hæc omnia signa quadrent, ego hominibus

Papa est Antichristus; & Papatus Satanæ solutio, hinc falsa dogmata & persecutiones Ecclesiæ.

minibus ingenuis, & omni affectu vacuis iudicandum relinquo. Ego equidem existimo rem ipsam pro se loqui. Numquid enim ille Christi vsurpat officium, dum se VNIVERSALEM nominat EPISCOPVM & CAPVT ECCLESIÆ? Nonne strenuè *Apollyontis*, & *Abaddonis* omnes partes implet? seque *euersorem illum* & *filium perditionis* prodit, dum execrabilem illum animarum quæstum exercet, quas pro suo arbitratu aut cœlis donat, aut inferno mancipat, aut suo purgatorio coercet? Nonne blasphemus est, dum inficiatur imputatâ Christi iustitiâ nos saluos fieri? Nonne per *locustarum agmina*, & *rasos illos fratres* orbi terrarum imposuit? Nonne multis sæculis sic dominatus est mundo, vt quisquis minimam partem vsurpati Primatus negare auderet, statim ignibus addiceretur? Nonne nostrâ etiâ memoriâ, cùm tyrannidem suam videret labascere, IESVITAS emisit; insectorum vt nouissima, ita pessima: quorum vaframentis Reges in priorem traheret seruitutem; vt fœderibus pactis eum defenderent, & genuinos Christianæ religionis professores funditùs euerterent? Nonne cum illo iurato Dei hoste, SVLTANO TVRCICO, quicum inexpiabile bellum ante gerebatur, iam inducias fecit; vt facilius opprimat Ecclesiam? Nunquid exercitus in Gallia conscripti iam in procinctu sunt aduersus Sanctos? Nunquid idem in Flandria, idem in Germania motus, vbi Archiepiscopus Colonienſis recèns motus est loco? Quanti verò sunt aduersus hanc Insulam apparatus; de quibus noua indies crebrescit fama, & breui (quantum coniecturâ consequi possumus) oculis crediturí sumus? In procliui igitur est æstimare, an hoc sit tempus, cuius meminit locus iste à nobis selectus; ideoque oportunum huic prophetiæ reuelandæ. & hæc ad sensus expositionem sufficiant.

Iesuitæ, exitiale genus insecti.

TERTIA PARS.

NVnc ad tertiam partem venio, quid ex hoc loco discere conueniat: quod ego paucis indicabo, vt finem faciam. & PRIMÒ quidem ex eo, quòd nascente Antichristo Diabolus è carcere emissus sit, tum ad puniendam mundi ingratitudinem, qui veritatem oderat, & oblectauerat se mendacio; tum ad manifestandos electos, qui veritati adhæserant: ex eo, inquam, duo nobis veniunt obseruanda: *prius* nostræ institutioni inseruit, vt sciamus hominibus vltro à veritate deficientibus iure immitti à Deo magnum illum *impostorem, cum efficacia mendaciorum*, vt Paulus loquitur: tum vt eorum conscientijs per hæresin, tum corporibus per gladium dominetur. igitur, vt consimilem vitemus pœnam, etiam atque etiam cauendum, ne à reuelatâ & agnitâ veritate deficiscamus. *Posteriùs* autem solatio nostro seruit, vt nobis persuadeamus hanc Antichristi tyrannidem, *paleam separandis à tritico*, vt loquitur Dominus; quemadmodum geminam adfert deficientibus pœnam, ita genuinam gloriæ coronam imponere perseuerantibus. Beati igitur

Soluitur à Deo Satanas ad peccata nostra flagellanda.

Perseuerantes coronantur: deficientes à Deo reprobantur, Matth. 10. 22.

igitur qui in finem vsque perseuerant: nam hi seruabuntur.

DEINDE, è *numero deceptarum gentium, in quatuor terræ angulis, & è numerosis hostium exercitibus instar arenæ maris* edocemur, hac sub Antichristo defectione, vniuersam correptam esse Ecclesiam, vnde VERA illa inuisibilis facta est. Ex quo *duo* efficiuntur: *primò* quidem Ecclesiam corrumpi posse & errare; *deinde* verò latere eam posse aliquandiu ignotam. Apostasia sub Antichristo vniuersalis.

TERTIÒ, *ex eo quòd Satanas, non contentus decipere, etiam omnes suos satellites in bellum cogat*; monemur inexsaturabilis odij, quo ille cum suis Deum in Ecclesia persequitur; *circumiens perpetuò, vt leo rugiens, & quærens quem deuoret*, vt ait Petrus. Hæc eius malignitas 12. & 13. huius libri cap. graphicè describitur. nam postquam *vastam aquarum eluuionem euomuisset*, id est, innumeras hæreses & mendacia, *mulieri absorbendæ*; & ea tamen euasisset incolumis, de nouo excitauit BESTIAM *è mari*; nempe cruentum illud Romanum imperium, vt eam cum omni semine gladio hauriret. hac autem bestiâ letaliter vulneratâ aliam è terra educit, ipsum ANTICHRISTVM: vt quod antè gladio solo non successerat, iam hæresi coniunctâ aggrederetur. Ita Diabolus, quum cerneret Euangelij lumen in cordibus fidelium nullis hæreseon nebulis obfuscari, & regni Christi fœlices progressus gladij immanitate non sisti; Antichristum extrudit, *gemino ense* minacem: nempe vt illud fieret, quod ab eorum vno aliquando dictum est, PAVLI GLADIO REM TENTANDAM, QVÆ PETRI CLAVIBVS NON CESSIT: quæ eius hoc tempore disciplina est. nam quùm illi non ignotum sit ludibrio esse Ecclesiæ insana suarum hæreseon commenta; nihil aliud sibi relictum putat, nisi vt ferro & flammâ, quod reliquum est Ecclesiæ, eradat & deleat. Filij Saranæ impostores, sunt & persecutores.

QVARTÒ, *ex ingente hac impiorum acie castra sanctorum & dilectam ciuitatem vndique obsidente*, discere est, humani generis maiorem partem esse improborum. ideoque Dominus noster ait, *multos esse vocatos, paucos electos*: & iterum, *latam esse viam, quæ ducit ad interitum, & multos per illam intrare: sed angustam esse illam quæ ducit ad vitam, & intrare paucos.* quid quod & MVNDI nomine eos appellet, & Diabolum MVNDI Principem? Plures semper impij quam pij.

QVINTÒ, *hæc Gogi & Magogi, illius aperti, huius occulti Christianæ religionis hostis reconciliatio, ad opprimendam Ecclesiam inita*, ostendit; quàm altis sint defixa radicibus eorum odia in Sanctos: qui quanquam inter se hostes sint, tamen in odium tertij consentiunt, vt Herodes & Pilatus in Christum. Impij inter se discordes coniurant in Christum.

SEXTÒ, *hæc Sanctorum & dilectæ ciuitatis obsidio* indicat nobis certissimum esse adulterinæ Ecclesiæ signum, persequutionem: illi enim sunt, qui in Sanctos *inquirunt*: Sancti verò in quos INQVISITIO exercetur: impij sunt obsessores, pij obsessi. Persecutio est à pseudoecclesiâ.

Digitized by Google

SEPTIMÒ, ex formula loquendi & phrasi hac (*ignis è cœlo demissi*) hîc vsurpatâ, desumptâ autem ex 20. libro Regum, vbi precibus Eliæ *igne cœlitùs deiecto absumpti sunt Achaziæ milites*; quemadmodum etiam non minima pars verborum, & sententiarum huius libri ex alijs Scripturæ partibus transumpta est: hinc, inquam, docemur, si certi esse cupimus, & ab analogia fidei nunquam discedere; sacræ Scripturæ sensum ex seipsa esse petendum; quum tam crebrò suas illa phrases repetat & seipsam interpretetur.

Scripturæ sensus è scriptura petendus. 1. Reg. 1. 10. 11.

OCTAVÒ, *ex suprema hac impiorum ruina*, cùm iam in ipso culmine fælicitatis & in summa rota prosperæ fortunæ consisterent; *duo* nobis veniunt obseruanda: *primò* quidem, permitti illis à Deo laxas scelerum habenas, sæpe etiam, dum ad ipsum impietatis fastigium deuenerunt; tandem tamen grauissimè puniri, & in hac vita, & in vita futura: vt in sęculo Ecclesia euadat incolumis, in cœlis verò glorioſa. *Secundò* verò, persecutionibus hisce profligatis, & persecutoribus euersis, diem fore nouissimum: id enim ex vers. 11. huius capitis docemur. at quàm citò vel serò post futurus sit, id soli Deo est notum. hoc tamen satis certum est, in eodem statu mansurum mundum vsque ad consummationem; nec aliam passuram mutationem, quæ quidem ad vniuersos pertineat.

Igitur vt exhortatione finem faciam: *duo* nobis agenda sunt, qui hoc tempore Insulam hanc incolimus *primò* quidem considerandа nobis est nostra conditio; *secundò*, quę illi conducunt, agenda. Conditionis nostræ præsentis hæc summa est: *triplici* obsidione cincti sumus: *primâ* quidem *spirituali*, ab Antichristi hæresibus: *Secundâ corporeâ, & illa vniuersali*; quia petimur vt membra eius Ecclesiæ, quam illi vniuersam persequuntur: *tertiâ corporeâ quoque, sed particulari*; nimirum à præsenti exercitu. at verò, quæ par est nobis facere in hoc rerum statu, hæc sunt. *primò* vt diuinæ dextræ inuocemus auxilium: *secundò* vt certâ fiduciâ inde pendeamus: cùm nobis in verbo suo tam constanter promiserit se suis non defore. *tertiò*, quum bonæ cõscientiæ testimonio freti simus, nobis ipsis in dilecta ciuitate & castris sanctorum non desimus; sed alij alijs animos addentes obuiam eamus vi: & vnanimes, vt *eorundem castrorum socij & eiusdem vrbis ciues*, bonam causam, qua nos hostibus nostris superiores esse voluit Deus, animosè tueamur: & vt verbo dicam, pro libertate nostra, pro patriâ, & vitâ strenuè pugnemus. Nam cùm iam manifestum sit, non modò in futura, verumetiam in hac vita nobis à Deo promissam esse victoriam; nostrum erit illi certissima spe adhærere, ne incredulitate & diffidentia labentes duplex mereamur supplicium. quanto enim magis eorum vires auctæ fuerint vel ad fastigium conscenderint; tanto propiùs abest eorum ruina, & nostra sospitatio. Nam qui nobis promisit *amicus est verus, constans, sedulus, vigilans, potens, & vltor*: cui sit laus & gloria in omne æuum.

Bellum nobis cum Antichristo & ciuile & spirituale semper gerendum est.

MEDITATIO

MEDITATIO SACRA,

IN SEQVENTES VERSVS XV. CAP. I. CHRONIC.

XXV. *Deindè erat Dauid cum ſenioribus Iſraëlis, & Chiliarchis procedentibus ad deducendam arcam fœderis Iehouæ, è domo Obed-Edom cum lætitia.*

XXVI. *Erat autem, cum leuaret Deus Leuitas geſtantes arcam fœderis Iehouæ, vt ſacrificarent ſeptenos iuuencos, & ſeptenos arietes.*

XXVII. *Ita Dauid paludatus pallio byſſino, & omnes Leuitæ geſtantes arcam, & Muſici atque Cenania, qui Princeps erat muneris portandi Muſicam exercentes: Dauidi autem impoſitum erat amiculum lineum:*

XXVIII. *Denique omnes Iſraëlitæ deducebant arcam fœderis Iehouæ cum clangore, & ſonò buccinæ, tubiſq; ac cymbalis, reſonantes nablijs & citharis.*

XXIX. *Fuit autem, arcâ fœderis Iehouæ intrante in ciuitatem Dauidis, quum Michal, filia Saulis, proſpectans per quandam feneſtram videret Regem Dauidem ſaltantem & geſtientem, vt ſperneret eum cum animo ſuo.*

VT non ita pridem, cùm PEREGRINA ILLA ET IMPIA CLASSIS nobis periculum minaretur, è re nata vos ad conſtantiam, certamque in Deo fiduciam hortatus ſum; quibuſdam ſacræ ſcripturæ verbis ad eam rem ſelectis: ita nunc, poſtquam diuinâ miſericordiâ ſucceſſus orationi meæ reſpondit, officio meo deeſſe non potui, quin ex modò citatis verbis vos porrò commonefacerem, quid etiamnum vobis ſuperſit agendum. non quòd vobis docendis parem me eſſe confidam; ſed vt meditationes hæ meam in grauiſſimo negotio bonam mentem poſteris teſtentur. Igitur vt ad rem veniamus; pius ille Rex DAVID, poſt victoriam è Philiſtæis, ſuis & Dei hoſtibus, partam, nihil prius egit, quàm vt omnibus regni ordinibus comitantibus, & proſequente Muſicorum organorum ſymphoniâ, ipſe, triumphantis more, & ſummâ perfuſus lætitiâ, Dominici

pedire: tum in illum locum medicare: quo circumquaque
humidus est, per quem illa materia effluere, vbi semel ma-
turata est, debet. Quod si ita fiat, non solum dolor, sed
ægritudo omnis leuabitur & tolletur.

CAPVT XXXVIII.

QVando inflammatio, quæ in articulo nascitur, ad ma-
turationem peruenit, & pus in eo collectum est, ne-
cessarium est, vt aperiatur. Quod ferro fieri debet, ne
ipsa materia, quæ ibi est, ad alias partes corporis effluat.
Quæ res, si fiat, non solum dolorem, sed ægritudinem
omnem tollit.

Quando inflammatio in articulo nascitur, ad maturationem peruenit, & pus in eo collectum est, necessarium est, vt aperiatur. Quod ferro fieri debet, ne ipsa materia, quæ ibi est, ad alias partes corporis effluat. Quæ res, si fiat, non solum dolorem, sed ægritudinem omnem tollit.

Aperitur autem ferro, vbi semel maturata est, debet. Quod si ita fiat, non solum dolor, sed ægritudo omnis leuabitur & tolletur.

quarum vnaquæque in hac ſeſe arena exercuit. Verùm omnes prophanorum Regum & gentium furores aduerſus Dei Eccleſiam hoc in loco commemorare ſuperuacaneum foret: nec minùs moleſtum, propter illa quæ ſuperiore meditatione complexus ſum. quare huic vni libet inſiſtere. Quomodò ſemper antè affectæ erant gentes in Iſraëlem, ita omnino regnante Dauide afficiebantur; eo prælertim tempore, cuius hoc loco fit mentio. quo tempore licet irruptione in Iſraelitas facta repulſi fuerint, copias tamen ſuas aduerſus Dei populum de integro inſtaurarunt. nec contenti Iſraelitarum exemplo fines ſuos defendere, in *terram ſacram* profecti; & latè fuſo exercitu vallem occuparunt. Dauid igitur iuſſu diuino populum aduerſus eos educit, & prælio conſerto promiſſam conſequitur victoriam; non humana virtute, ſed diuina benignitate: vt ex illo loco obuium eſt conſideranti. Igitur Eccleſia pati poteſt, perire non poteſt: & qui eſt illi finis miſeriæ, eſt Dei hoſtibus initium ruinæ.

SECVNDA PARS.

SECVNDÒ, de ſocijs Dauidis in hoc opere dicendum mihi eſt: quorũ TRES ordines à Spiritu ſancto hîc notãtur. PRIMVS eſt è Senioribus Iſraelis: SECVNDVS è Chiliarchis: TERTIVS è Sacerdotibus & Leuitis. de ſingulis ſtrictim agemus. SENIORES hi Dauidis erant vicarij, in ſingulis regni partibus, ab ipſo delegati, vt ius dicerent regijs ſubditis: qui obſequij promptitudine *Manus regiæ* dici poſſent. hi erant *duum* generum: *alij* enim magiſtratuum honore in munitis vrbibus fungebantur, iuſtitiæ munus in foribus ciuitatum adminiſtrantes: *alij* erant Principes tribuum, & patres familiarum, qui ruri idem obibant officium. Vtrumque genus ſi cum noſtris moribus compares, duobus regni noſtri ordinibus non abſimiles reperies; nempe BARONIBVS, & CIVIBVS. CHILIARCHÆ viri fortes erant & pij; militiæ ſub Rege præfecti; & perſonæ regiæ cuſtodes; quibus ex officio incumbebat regia bella profligare. horum functio neceſſaria erat Dauidi, cui diuinitùs iniunctum erat, (vt ex Nathanis Prophetæ verbis conſtat) Dei bella conficere: hoſtes Eccleſiæ ſubiugare: & ſic viam ſternere ad pacificum illud SALOMONIS imperium, cuius erat templum ædificare, & pacem colere; hic enim Chriſti typus erat, qui eſt Rex pacis. *Chiliarcharum* meminit hîc Spiritus ſanctus: vt ſciamus *primò*, eorum munus iniuſtum non eſſe: *ſecundò*, præcipuum eſſe huius functionis ſcopum, Dei gloriam: *tertiò*, hos ipſos cum laude ad honores militiæ veniſſe, & cum laude eoſdem geſſiſſe: vt diſertis verbis ipſe Dauid indicat, toto Pſalmo 101. ſiquidem nemo in eius familiam aut miniſterium receptus fuerit, qui non ſyncere Deum timeret. Et, citra controuerſiam, Rex ille, zelo & pietate inſignis, nunquam vel corporis ſui

Dauidi in hoc opere tres hominum ordines auxiliantur.

Digitized by Google

cuſtodiam, vel Dei prælia credidiſſet Dei inimicis, vel ignotæ probitatis militibus. videantur eorum nomina & laudes 1.Chron.2.26. Tertius ordo SACERDOTVM & LEVITARVM, proponitur eodem cap. verſ. 4,5,6,7 8,9,10,11. ſic omnium ordinum homines huic operi intererant. quod diligenter Principibus notandum eſt, cæteriſque eminentioris loci & dignitatis, quorum fidei cauſa Dei mandata eſt. Dauid nanque in rebus ad Deum ſpectantibus nihil molitur, niſi præſentibus & iuuantibus *Dei miniſtris*, ſpiritualibus Eccleſię ſuæ ducibus & rectoribus: & conſtituerat ab initio arcam ferre Hyeroſolima; ſed quum eorum præſentiam & conſilium requireret hoc cap. verſ. 12. 13. ait ijs: *vos eſtis præcipui familiarum patres inter Leuitas: ſanctificate vos ipſos & agnatos veſtros, vt deportetis arcam Iehouæ Dei Iſraelis in locum, quem præparaui ei. quia vos in principio hic non fuiſtis, irrupit Iehoua Deus noſter in nos, quum non quæreremus eum ritè.* Huc vſque pars ſecunda fuit de perſonis; vnde *primò* colligimus, pio Regi ex voto adeſſe pios regni ordines, in ſancti operis ſocietatem. *Deinde* hoc commodi & voluptatis referre pium Regem ex illis, quos pia cura ſibi ſubſtituit, vt quoties ille bene agendo præit, hi alacri zelo ſequantur.

TERTIA PARS.

Portatur arca cum lætitia in ſanctam ciuitatem.

COmitatus verò huiuſce hilaritas *tribus* actibus expreſſa eſt, arcæ portatione; Muſicorum organorum concentu; & Dauidis ante arcam tripudio, lætitiaque. Tranſtulit ille arcam in tabernaculum, in monte Sionis ad eam rem ædificatum, vt gratum animum teſtaretur Deo, de multis ſibi indultis victorijs. Illinc orta eſt pompa hæc; & publica & ſolennis, quæ inſecuta eſt, omnium hilaritas. Conſtat ARCAM ipſam fuiſſe diuino iuſſu à *Moſe extructam, in deſerto Sinai, ex ligno Shittim*, quod corrumpentibus cunctis reſiſtit. erat autem figurâ decorâ admodum & elegante, longa duos cubitos & ſemi, quæ latitudo eius quoque fuerat: intus & extra auro puro intecta. neque tantùm typus erat Ieſu Chriſti, noſtri Saluatoris perfectiſſimi, in quo omnia Dei promiſſa ſunt ETIAM & AMEN 2. Cor.1.20. in quo, tanquam in arca, tutiſſimè reponitur Diuinæ largitatis vbertas; *è cuius plenitudine nos omnes gratiam ſuper gratiam accipimus* Ioh. 1. 16. ſiquidem *factus eſt nobis ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio* 1.Cor. 1.30. non modo, inquam, Chriſti typus eſt ARCA: verumetiam certiſſimum pignus Deum populo ſuo æternùm adfore, vt omnibus donis ſuis eos ornet. quod vt magis propriè ſignificaretur, TABVLÆ FÆDERIS in ea cuſtodiebantur, & LEX à Deo ſcripta (qua etiam de cauſa ARCA FÆDERIS vocabatur) vt intelligerent *in promiſſo Meſſia eſſe legis conſummationem cuiuis credenti* Rom. 10.4. Supra arcam fuit operculum, SEDES MISERICORDIÆ, nominatum, & ſupra operculum duorum Cherubinorum

Quid ſignificet arca fœderis.

effigies

Digitized by Google

effigies alis ſuis *miſericordiæ ſedem* tegentium; inter quos IPSE DEVS populum ſuum amica voce inſtruebat & ſolabatur: vt certò ſcirent omne hoc Dei cum hominibus commercium, ſiue ſuam illis impertiret ſcientiam, ſiue miniſtrantes Angelorum ſpiritus illis mitteret ſolandis; totum hoc, inquam, IESV CHRISTO, tanquam æterno fundamento, inniti. hæc ARCA igitur diuini in populum fauoris certiſſimum erat Sacramentum, & fœdus Meſſiæ; in qua corporaliter apparebat diuinarum promiſſionum veritas. Iam ad *tertiam* partem accedamus, modum nempe huius actus, ſeu geſtum in arcę tranſlatione à comitantium cœtu vſurpatum. Is vniuerſim talis erat, vt arcam fœderis Domini deportarent ex ædibus Obededom in tabernaculum, quod in monte Sionis Rex ad eam rem extruxerat. Modus agendi ſingulorum hic eſt. *Sacerdotes* vitulos & arietes mactant Deo, quia operi dederat ſucceſſum: *Rex ipſe*, byſſino amictus veſtitu, ſaltat: & præ gaudio geſtit ante arcam: *Chenania* Cantorum Princeps, cum ſocijs, laudat Pſalmis Deum: & *omnes ordines populi Iſraelitici*, cum clamore, & ſono buccinę, tubiſque ac cymbalis, & nablijs, & citharis arcam ferunt in ciuitatem Dauidis. In ſumma igitur, DAVID poſt tot victorias arcam in domum ſuam transfert: vt teſtatum faciat, quanta ſollicitudine diuinum fauorem & ſibi ambiat & populo; non contentus ſemel atque iterum hanc benignitatem guſtaſſe, niſi per iugem arcæ præſentiam æternam ſibi illius firmet poſſeſſionem. hunc nobiliſſimum æſtimat, quem ducat, TRIVMPHVM: hoc glorioſiſſimum quod ſtatuit TROPHÆVM & certè eiuſmodi honor altior eſt *Ægyptiorum pyramidibus*, nobilior *Græcorum trophæis*, glorioſior *Romanorum curribus triumphalibus*: Quod ad organorum muſicorum harmoniam, quæ arcam vehentem proſequebatur, credo nemini eſſe ignotum Iudæorum morem omni inſtrumentorum genere Deum laudantium: vt Dauid in Pſalmis non vno teſtatur loco. Verum ſi quis fortè interroget, cur vno quàm alio tempore impenſiùs lætandum ſit Eccleſię, præſertim cum extra controuerſiam ſit, nihil à Deo circa nos fieri, quod non redundet vel in corporum noſtrorum, vel animarum commodum, vtut id in multis rebus noſtram captum exuperet. Non diffiteor hanc ſententiam ſatis eſſe orthodoxam: attamen quotieſcunque externis quibuſdam indicijs manifeſtare dignatur Deus, quantopere diligat Eccleſiam; vel magno aliquo, & memorabili facinore pios aſſerit è periculis: tunc officij ratio iniungit ſolenniores, &, vt ſic dicam, cumulatiores Deo gratias perſoluere; tum vt imbecillioribus, qui inter nos viuunt, conſulentes, tum vt hominibus improbis, qui extra nos viuunt, obturantes ora, quantum in nobis eſt, gloriam diuini nominis quàm latiſſimè propagemus. hoc permulta *Sanctorum exempla* in ſcripturis ſparſa certo certiùs confirmant; hoc *preces piorum* ſæpe teſtantur, quibus à Deo flagitant non

Heb. 1. 14. Ioh. 1. 4. 12.

tam

tam proprij commodi, quàm diuinæ gloriæ causâ; vt specimen aliquod amoris sui in ipsos edat. Ita fecerunt *Moses, Iosua, Dauid, Elias, Elizæus*, alijque *Prophetæ & Serui* Dei innumerabiles. Quod ad tripudium Dauidis attinet; scimus nos *saltationes, lusus*, & id genus alia, suâpte naturâ ADIAPHORA esse, vsuque & proposito vtentis bona fieri aut mala; quę cum hoc tempore zelo quodam non indecoro transacta, & Deo honorando adhibita fuerint; non modò veniam vel excusationem merentur, verumetiam laudem & præconium: vtut parum fuerint ad mulierculæ gustum. Illud quoque notabile est Dauidem, quicquid huius fecit, peculiari & proprio Dei instinctu fecisse; cuius numine ita plenus fuit hoc tempore, vt, gestuum corporis quasi immemor, se totum illius permiserit arbitrio, qui eius pectori insidebat; & seipsum non respiciens solius Dei honorem & gloriam respexerit. Et hæc de tertia parte: ex qua hoc *primò* in arca notandum venit; vnicum veræ & antiquæ religionis fundamentum, & salutiferæ doctrinæ corpus integrũ in SOLO CHRISTO reperiri: vt clarissimè ostenditur, Act. 4. 12. Ioh. 14. 6. 1. Cor. 2. 11. 1. Ioh. 1. 7. *Secundò*, quotquot per eam salui fieri volunt gestandam illis esse ARCAM in corde per *fidem*, in ore per *confessionem*, Rom. 1. vt omnes vitæ suæ & muneris, ad quod vocati sunt, functiones diuinæ voluntati conforment, Matth. 7. 21. 22. 23. *Tertiò*, qui vere Christo vniti sunt, Christi portatione delectari, imò nulla re magis lætari, quàm assiduo huius portationis exercitio.

Fundamentum omnis religionis Christus.

QVARTA PARS.

Hypocrisis Michalis.

QVod ad hanc MICHALEM attinet, erat ea Saulis filia, & vxor Dauidis: fœmina quantum licet conijcere, praue educata apud prauum parentem. quod spiritus sanctus satis innuit, dum eam Saulis filiam vocat: & certè patris sui proles erat, tam hypocrisi, quàm natura. Nihilominus ad visibilis Ecclesiæ corpus pertinuisse ex illius titulo colligitur: nam *Dauidis vxor* vocatur. igitur specie tenus vnita erat Ecclesiæ per coniugium: reuera autem, & in corde, aliëna fuit propter hypocrisin. hoc genus hominum (HYPOCRITAS intelligo) sunt malum necessarium in Ecclesia, indiuiduum, inseparabile, *vsque dum Dominus messis venerit cum vanno in manu sua*.

QVINTA PARS.

EA hoc pacto se gessit, vt toto publicæ lætitiæ tempore domi maneret secura; nec pedem quidem efferret è limine, vt mariti lætitiam participaret: non potis (vt videtur) dextrè satis vultu simulare lætitiam. Vt primùm autem è fenestra maritum ante arcam conspexit saltantem, continuò actum hunc, sua natura medium & adiaphorum, in malam partem interpretata est, fœmina vacua sensu eius causæ,

quæ

quæ marito afferebat lætitiam: ideoque illius gestus apud se contemnit, & despicit, tanquam ex lasciuia & petulantia profectos. res mira! fœmina, quæ nuper ingenuo amore mariti vitam è manibus Saulis parentis sui expedierat; nec id sine suo periculo; nunc non sustinet illum videre in re adiaphora cum laude versantem, quam ipsamet (non dubito) sæpe ante lasciuè & salaciter exercuerat. hinc facile est *hypocritarum ingenia* cognoscere, qui corde Ecclesiam oderunt. in rebus ad religionem nihil attinentibus nemo illis humanior aut amicior est; continuò vt causa religionis agitur & diuini cultus, tum verò dissimulare vlteriùs, aut affectibus suis moderari non valent. quemadmodum Michal hæc etiam in ijs rebus, quæ patrem suum tangebant, marito non deerat: at ad Dei gloriam ante arcam saltare illum indignè ferebat.

His ergo pro legitima verborum expositione iam dictis, superest expendamus, quàm propriè ad nos, aut res nostras ista pertineant. & primò quidem *si personas* intueris; hinc Dei populum superbè & improbè petitum, illinc gentes, eorum hostes, miraculo fusas fugatasque; *Numquid syncera illa veritatis professio, quæ in hac Insula nunc viget, oppugnabatur modò à vicinis populis, verbi diuini osoribus? Nunquid nos quoque vnum agnoscimus Deum, vt olim Israel? & verbo eius purissimo dirigimur? E contra nonne illi legiones Deorum colunt, vt olim Philistæi? & humanarum traditionum stultitiâ reguntur? Nonne illi Philistæorum more inuasores sunt alieni; nos verò regionis nostræ defensores? Nonne denique è sua patria egressi sunt in nostram, vastam illam Oceani vallem copijs suis sternentes, ac ingenti cum supercilio ruinam nobis & exitium minitantes? Sed & obsecro nonne insignior nobis obtigit, quam Israeli victoria; nec minus hæc quàm illa diuino parta miraculo? Numquid enim vt, agitatis vento* MORORVM *fastigijs; Deus Philistæos in fugam coniecit; ita etiam* LIGNEARVM TVRRIVM *lateribus procellarum impetu concussis, cum maximæ partis pernicie, vniuersorum vero dedecore, hos dissauit?* Nunc verò vt in eo quod reliquum est, Israelem quoque referamus; quâ, obsecro, catastrophâ hæc cælestis comedia nobis terminanda est? Nempe gaudio perfusis arca Domini in medium adferenda est. Et quæ alia est Christianorum ARCA sub gratia, nisi DOMINVS IESVS? quem cum lætitiâ sistimus in medium, quando nouum testamentum in sanguine eius syncere & gratanter recipientes, corde quidem credimus eius promissis; ore autem & opere fidem nostram coram mundo testamur, & in luce ambulamus, vt decet *filios lucis?* Non est post eiusmodi victoriam glorioſiùs triumphare. Et quanquam inter nos non paucæ sint MICHALES, lætemur tamen: & Deo, qui illis iam laruas detraxit, gratias agamus; persuasi omnino nunquam de nobis eas fuisse, quin potius contra nos esse, quotquot de rebus hostium prosperis lætantur, aut ex nostrę incolumitatis miraculo publicam non participant lętitiam. nam quicunque nobiscum non colligunt spargunt. Personatas igitur

Applicantur nobis quæ dicta sunt.

tas igitur haſce MICHALES & ſedulò & cautè perquiramus. eo enim *ſapientiam ſerpentis* nobis commendat Chriſtus; non vt decipiamus aut prodamus alios; ſed vt aduerſùs hypocritarum fallacias, & proditiones, quibus nos ſatagunt opprimere, muniti ſimus. Et, ne maxima hęc numinis in nos benignitas noſtrâ ingratitudine in maiorem execrationem vertatur, & in die nouiſſimo teſtimonium aduerſus nos dicant diuina munera, ſicque geminata in nos trahant ſupplicia; adferamus in medium (vt iam finem faciam) ARCAM DOMINI; & quidem vtroque, quo diximus, modo; ſcilicet, indefeſſâ perſeuerantiâ in puritate verbi, iam à nobis recepti, quod certiſſimum eſt in vnius Saluatoris meritis noſtræ ſalutis fædus; tum verò nouitate vitæ ſic abluentes priores ſordes, vt Chriſtianos regenitos decet;

ad Dei gloriam, & confuſionem hoſtium, &
noſtrum æternum ſolatium. AMEN.

DE

Digitized by Google

DE PROFLIGATA CLASSE HISPANICA IN FRETO MORINO,

ANNO DOMINI M.D.LXXXVIII.

EPIGRAMMA REGIVM.

INSANO tumidæ gentes coiere tumultu,
Auſæ, inſigne nefas, bello vltrò ciere tonantem.
Mars ſeſe accinxit: metuenda tot agmina nunquam
Viſa ferunt: properare truces miro ordine turmæ:
Noſque mari & terrâ ſæuo clauſere duello,
Exitium diráque minantes ſtrage ruinam;
Irrita ſed triſti lugent conamina fine.
Nam laceras iecit ventus ludibria puppes:
Et merſit rapidis turgeſcens montibus æquor.
Fœlix. communi qui euaſit clade ſuperſtes,
Dum reliquos miſero deglutit abyſſus hiatu.
Quî vis tanta cadit? quis totque ſtupenda peregit?
Vanus IOVA ſacro conatus riſit Olympo.

Digitized by Google

DAEMONOLOGIA,

SIVE

DIALOGVS

DE ARTIBVS MAGICIS,

In tres Libros diuiſus.



PRAEFATIO AD LECTOREM.

Ecit ſagarum in hoc regno formidabilis multitudo Satanæ ex aſſe deuota, Amice Lector, vt hunc tibi tractatum deproperarem. haud quaquam, mihi crede, vt eruditionis aut ingenij ſpecimen ederem: ſed dubitantibus (quantum in me eſt) perſuaderem, cum Satanam hoc modo furere, tum eius inſtrumenta grauiſſimas poenas mereri: contra duorum noſtræ ætatis hominum peſtiferas opiniones; quorum alter Scotvs *nomine, Anglus domo, non erubuit, libro typis excuſo, defendere, magiam nullam eſſe; reuocato veteri Sadducæorum errore, qui Spiritus negabant. alter Germanus Medicus,* Wiervs, *contextâ pro his artifícibus Apologiâ, dum illis impunitatem quærit, ſe eorundem ſacrorum ſocium prodit.* Dialogi *autem formam elegi, & facilitatis & delectationis cauſa; re totâ in tres libros diſtinctâ. In primô agitur de* Magia, *& eius ſpecie* Necromantia: *in ſecundo de* Incantatione *&* Veneficio: *in tertio de* ſpiritibus *&* ſpectris, *quibus infeſtantur mortales. Conſilium mihi eſt oſtendere, primò, & eſſe & fuiſſe in vſu has Satanæ præſtigias: ſecundò, quo genere examinis explorari, & quo ſupplicio coerceri oporteat hoc ſcelus. ea propter ediſſeram, tum quid nigræ*

artis ope fieri poſsit; tum qua ex cauſa phyſica pendeant quæ fiunt. non quòd omnia Diabolicæ poteſtatis ſigillatim explicanda ſuſceperim, quod infinitum eſſet; ſed vt ipſa rerum genera ſaltem pertractem, quibus ſpecies & differentiæ includuntur. Verbi gratiâ, cùm, lib. 1. c. 6. de potentia Magorum diſſerens, aio poſſe illos efficere, vt quàm celerrimè omnis generis cupediæ adferantur; familiaris nempe ſpiritus miniſterio, qui vt fur ſe oblectat furto, vt ſpiritus, callidè ſatis & rapidè transferre poteſt, quod iubetur: ſub hoc genere inferiora omnia complector; vt vinum è pariete promptum (quod ſæpe factitatum accepimus) & ſimilia, quæ ex generali ratione facilè deducuntur. Ita ſecundo libro, vbi de incantationibus, cap. 5. confirmans rationibus poſſe à veneficis, heri ſui ope, & fieri & curari morbos; intelligendum relinquo, eiuſdem Diaboli auxilio, in quibuſcunque morbis multum eos poſſe: vt alios frigidos reddere & ad Venerem ineptos: alios ſupra naturæ modum procliues & furentes in Venerem. idem eſt de cæteris morbis iudicium. Vbicunque autem de Diaboli poteſtate diſputo, cupio à te obſeruari diuerſos vnius actûs ſcopos, in quos Deus, prima cauſa, & Diabolus, primæ cauſæ inſtrumentum Deique carnifex, collineant. Hic enim hominis, in quem diuino permiſſu ius illi conceditur, aut corpus perdere vult, aut animam, aut vtrumque: ille verò, è malo educens bonum, ex iuſto reproborum interitu ſibi gloriam quærit; fideles verò examinatâ ſic patientiâ, paternæ correctionis virgâ excitat ad vitæ emendationem. Explorato conſilio meo, ignoſces, Amice Lector, ſi in noſtro opere non omnes ritus & arcana huius artis, aut innumeros & miros illius effectus inueneris. neutrum fuit mei inſtituti: & ex libri iij. cap. j. patet ratio, cur ea omiſerim. harum rerum curioſi, ſi magorum noſſe auent miracula, legant Bodini Dæmonomaniam; maiore ſanè collectam ſtudio quàm ſcriptam iudicio. legant eorum confeſſiones, qui noſtro tempore capti ſunt. Sin quæ veterum ſit de

horum

Digitized by Google

horum potestate opinio, scire desiderant, apud Hyperium & Hemmingium, nuperos in Germania scriptores, reperient; præter innumeros nostri temporis Theologos, qui ea de re fusè disquirunt. At nigræ huius artis superstitiones & ritus, periculosos magis quàm vtiles, tradit in quarto libro Cornelius Agrippa, &, quem modò dixi, Wierus. Quod reliquum est, Amice Lector, voueo ne frustra sit hic noster labor, sed ex eo aduersus prædictos errores munias. Tu nostrum conatum boni consule & Vale.

Digitized by Google

DAEMONOLOGIAE,
SIVE DE ARTIBVS
Magicis Dialogus.

LIBER PRIMVS,
In quo exordium operis, & Magicæ artis in genere deſcriptio.

CAPVT PRIMVM.

Probatur ex ſcripturis, malas has artes in vſu fuiſſe, & poſſe fieri, vt nunc exerceantur.

Colloquuntur PHILOMATHES, Et EPISTEMON. PHI.



Ætor magnopere te mihi hodie obuiam factum: tu enim ſcrupulum, qui me malè habet, omnium rectiſſimè videris poſſe eximere.

EPI. Ego verò de rebus à te quæſitis, & mihi non incognitis libenter, & ingenuè dicam ſententiam meam; quam niſi tibi ſatis probauero, nullus moror, quin melior ratio obtineat.

PHI. Quid tibi de re noua hac & mira videtur, quæ omnibus iam in ore eſt, de veneficis inquam?

EPI. Mira res eſt profectò: neque vlla in gente, aut ſæculo, tam claras & perſpicuas auditas opinor reorum confeſſiones.

PHI. Citra controuerſiam id quidem eſt: ſed de confeſſionum veritate dubitant Doctores.

EPI. Quam tu earum partem vocas in quæſtionem?

PHI. Non vnam ſed omnes, quantum mihi adhuc compertum eſt: in primis autem, an ſit Magia, vel magus. illam dubitationem obſecro, ſi potes, mihi exime: cum multis enim ea de re contuli, ſed nunquam mihi ab vllo ſatisfactum eſt.

EPI. Faciam libenter quod in me erit: quanquam eo difficiliùs arbitrer

bitrer futurum, quod ſtatim rem ipſam è medio tollas. nam (vt in ſcholis dicitur) *contra negantem principia non eſt diſputandum.* Cæterùm fuiſſe Magiam & Magos probatur ex ſacra pagina: eſſe verò, conſtat experientia & reorum confeſſionibus.

PHI. Scio adducturum te mihi Pythoniſſam Saulis. verùm exemplum illud parùm videtur pro te facere.

EPI. Ego verò & alia quoque non pauca citare poſſum: ſed miror quamobrem locus ille parùm pro me faciat?

PHI. Cauſam facilè diſces, ſi Saulum regem intuearis animo anxium, ieiunio infirmum, ad mulierem malis artibus infamem ideo venientem, vt de re tanta eam ſciſcitaretur; hominem, & priorum ſcelerum, & nouæ illius curioſitatis, horrendæque apoſtaſiæ conſcientia agitatum: deinde mulierculam obſerues ſubito ſpectro, quod vidiſſe ſe aiebat, attonitam, & exclamantem, detectâ quoque conſultoris ſimulatione, qui ſe Regem eſſe negauerat. quid mirum hîc eſt Saulum, alienatis ſenſibus, fœmineæ vocis non deprehendiſſe impoſturam, præſertim, cum in alio conclaui poſitus nihil eorum ipſe viderit? Deinde quæro, quid ab ea ſuſcitatum eſt; imò verò quid ſuſcitari potuit? an Samuelis anima? apage prophanam opinionem, & Theologiæ aduerſam. An Diabolus ſub illius imagine? Sed incredibile eſt vel Deum id illi permittere, vt Sanctorum aſſumat faciem: tunc enim prophetæ eis temporibus incerti fuiſſent, qualis cum ipſis ſpiritus in viſionibus colloqueretur: vel potuiſſe Diabolum futura prędicere, quorum notitia Deo propria eſt.

EPI. Inuenies tamen, hiſtoriæ verbis accuratiùs perpenſis, phantaſma illud ipſi Sauli conſpectum fuiſſe. Vtut enim, dum figuræ magicæ & exorciſmi fierent, in alio cubiculo concedam fuiſſe Regem (neminem enim eo tempore oculatum ſuperſtitionis teſtem admittunt) ex hiſtoria tamen patet, excitato malo genio, in rem præſentem continuò vocatum. Dicitur enim eo loci Saulus agnouiſſe Samuelem; id quod per hoc ſolum accidere non poterat, quòd ſenem comparuiſſe audiret pallio amictum: quia multi præterea ſenes in populo Iſraelitico ſuum diem obierant; & pallij habitus omnibus erat communis. Non fuiſſe animam Samuelis fateor libens: nec probare neceſſe erat rem extra controuerſiam inter Chriſtianos omnes poſitam, ſolis Magis & Necromantis, aut idiotis id in quæſtionem vocantibus. Quòd autem interdum Satanæ conceditur Sanctorum induere effigiem ex eo loco patet, vbi dicitur Satanas, poſſe ſe in Angelum lucis transformare. At nihil ea res Prophetarum viſionibus adfert incommodi: nunquam ſcilicet permittente Deo, vt electis fucum faciat impurus ille, ſed ijs tantùm, qui ſponte errore illum conſulunt. hos patitur Deus ſuos ipſorum incidere in laqueos; & *magnâ deceptionis efficaciâ* (vt loquitur Apoſtolus) *deludi*;

deludi; quia veritati credere noluerunt. Quòd ad futura, verum illud est, non omnia eum pręscire; quædam tamen præscijsse ex tragico huius historiæ exitu satis notum est, quem muliercula suo ingenio diuinare nunquam potuisset. Nec hoc eò dico, quòd præscientiam Deo propriam Diabolo arbitrer communicatam; vel illum Angelorum more in speculo diuinæ essentiæ futurorum nonnulla putem intueri, cum à Creatoris sui vultu & amicitia æternùm exulet: sed quòd duabus alijs rationibus hanc scientiam participet; vel dum assidua edoctus experientia, ab initio rerum, ex verisimilibus & præteritorum analogia hariolatur futura, naturales rerum causas intuens, quæ semper eædem redeunt in orbem: vel certis negotijs Deo inseruiens eorum prædiscit exitus: quod hîc accidisse nihil abludit à vero: & in Micheæ ad Achabum Regem vaticinio simile apparet exemplum. Sed ad propositionem meam firmandam (possibiles esse Magos & Magiam) multa alia supperunt è sacra pagina loca. Primò enim diuina lege districtè prohibetur Magia. at certum est in eo iurè nihil frustra dici, nec execrationes aut pœnas in figmenta & vmbras denunciari; nec tanquam malum & flagitiosum ibi damnari, quod purum sit putumque nihil. Secundò ex eo loco id patet, vbi improbi Pharaonis sapientes, vt tyranni animum obfirmarent, Mosaica æmulati sunt miracula. Tertiò, numquid Samuel dixit Sauli *rebellionem esse instar incantationis?* at rebellionem cum ea re conferre quæ nulla esset, perquam foret absurdum. Quartò, an non Simon Magus hanc profitebatur artem? Quintò, qualis obsecro illa fuit, quę Pythonico prædita erat spiritu? præter alia loca innumera, quæ tædij fùga libens prætermitto.

Caput Secundum.

Quod genus peccati sit Magiæ exercitium. eius diuisio: & quæ sint ad eam illecebræ.

Phi. AT mihi nimis videtur mirum Deum Opt. Max. homini, quem ad suam imaginem condidit, tam fœdam & crassam apostasiam permittere.

Epi. In prima sanè creatione factus est homo ad creatoris sui imaginem, quæ lapsu amissa solis electis, eaque nec integra, restituitur per gratiam. Cæteri à Deo auersi, postquam Satanæ dediticij facti sunt, illius gerunt imaginem: proindeque maximis & atrocissimis sceleribus maximè se oblectant.

Phi. An non, obsecro, sufficiat Satanę, obliquum gerere in illos imperium, & vitiorum voluptatumque illecebris tot hominum animas perdere; nisi eorum credulitate quoque abutatur, vt illi tanquam Domino & hero *directum*, vt vocant, præstent obsequium?

Epi. Minimè verò. Nam cum ijs queis imperat, iuxta eorum ingenia

genia & captum ſolet agere. ſimpliciſſimis igitur ſe prodit qualis eſt. & quum hoſtis ſit humanæ ſalutis, tam vafrè omnes illaqueat, vt ſe deinceps expedire, ſi velint, non poſſint.

PHI. Hoc igitur innuis peccatum eſſe contra Spiritum Sanctum.

EPI. In aliquibus certè eſt, in aliquibus non.

PHI. Annon quotquot ſe dedunt Satanæ, in eadem omnes ſunt cauſa?

EPI. Abſit. nam peccatum contra Spiritum Sanctum duos habet ramos. Prior eſt a Dei cultu apoſtaſia, omniumque eius mandatorum fuga: poſterior eſt huius impietatis conſcientia; cùm eos non latet, contra Spiritus Sancti ſuæque notitiæ teſtimonium ea fieri: quales ſunt, qui Diuinæ miſericordiæ dulcedinem antè guſtarunt. In priore ſerie ſunt omnes Necromantæ & Incantatores; in poſteriore ij duntaxat, qui ſcientes volenteſque deficiunt à Deo.

PHI. Apparet igitur plures eſſe huius diri ſeruitij ordines: quòd ſi ita eſt, ne graueris eos mihi enarrare.

EPI. Duo ſunt prima genera, quibus damnoſæ artis omnia quæcunque ſunt continentur, *Magia* nempe ſeu *Necromantia*, & *veneficium* vel *Incantatio*.

PHI. Quænam autem ſunt, obſecro, Diabolicæ ad hoſce laqueos illecebræs.

EPI. Ipſæ illæ, quæ nobis perpetuò inhærent, tres animi paſſiones: nempe in magnis ingenijs *curioſitas*; tum *ſtudium vindictæ*, ex alta iniuriæ opinione; *Opum* denique *cupiditas*, ex ſordibus profecta & egeſtate. Primâ alliciuntur Magi ſeu Necromantæ: ſecundâ & tertiâ Venefici & Incantatores. nam vafer ille & vetus ſerpens, cùm Spiritus ſit, facilè ſcrutatur affectus noſtros; quibus dolos ſuos in noſtram perniciem accommodat.

CAPVT TERTIVM.

Magiæ & Necromantiæ ſignificatio, & originatio. Necromantiæ & Veneficij diſcrimen. Primi ad hanc artem aditus.

PHI. LIbenter audirem primò, quid voces Magiam, quid Necromantiam?

EPI. *Magus* in lingua Perſica diuinarum ſcientiarum contemplatorem ſonat, & interpretem; quæ ſuperſtitio, à Chaldæis veræ Theologiæ inſcitiâ primitùs vſurpata, virtutum prima diu habita eſt, & honeſto nomine immeritò donata; quod Græci ad omnes artes illicitas deinceps tranſtulerunt. *Necromantia* autem, quaſi νεκρομαντεία, mortuorum vaticinationem ſignificat: quo nomine ſynecdochicè tota ars appellatur; cùm pars magna ſit artificij cadauera è ſepulcris ad diuinationes ſuſcitare.

PHI. Quomo-

Digitized by Google

PHI. Quomodo hæc ars differt à Veneficio?

EPI. Lepidè ſanè diſcriminantur à vulgo, & quadamtenus verè: Veneficos enim miniſtros aiunt & mancipia Diaboli, Necromantas Dominos & Imperatores.

PHI. Quî poteſt autem fieri, vt Diabolo imperent, homines illius obſequio addictiſſimi?

EPI. Imperant non ſimpliciter, ſed modo quodam: non vi artis, ſed pacto. Vt enim eorum animas & corpora, quibus inſidiatur, ſibi auferat Diabolus, ſpondet in nugis quibuſdam eorum fore ſe obnoxium imperio.

PHI. Contractus immane quantum iniquus! ſed ediſſere, quæſo, quæ vis ſit artis ipſius, quod arcanum.

EPI. Latior paulò eſt campus ille, quem mihi aperis: ſed ſumma rerum faſtigia, quantum poſſum, ſequar. vt duo ſunt hominum genera, qui ad hanc peſtem alliciuntur, docti indoctique: ita duplicem obijcit inſidiator ille eſcam, duo humanæ curioſitatis incitamenta & nutrimenta, queis in artis profeſſionem incautos trahat. Hæc ego Diaboli *dictata* appello & *rudimenta*. Acuitur eruditorum curioſitas & alitur *Iudiciariâ Aſtrologiâ*, quam *dictatorum* nomine intelligo. plerique enim multùm progreſſi in literis, parum verò (proh dolor) in regeneratione Spiritus & nouitate vitæ, indignantes nihil eſſe in humanis ſcientijs, quod non triuialibus quoque pædagogis vulgatum ſit; conantur non cæleſtium modò rerum notitiâ in ora hominum venire, ſed ad futurarum quoque præſcientiam per cęleſtes motus adſcendere: quod cùm primo intuitu licitum videatur, vt pote è rerum naturalium ſpeculatione exortum, magis magiſque inde alliciuntur: & animaduerſâ multorum apoteleſmatum veritate cauſas eorum ſcire volunt; adeoque lubricam hanc curioſitatis ſcalam gradatim adſcendentes, tandem eò deueniunt, vt deficientibus Phyſicis artibus, non niſi per magicas & illicitas inexpleto mentis deſiderio ſatisfieri poſſe putent. hic ſtatim deprehendentes per varias figuras, idoneis adiunctis exorciſmis, multiformes excitari ſpiritus, dubitationum & ænigmatum interpretes; totum hoc, quicquid eſt, inhærenti aut alligatæ figuris virtuti adſcribunt, & diuinitati verbis ipſis innexæ; iactitantes ſe acumine ingenij ſui infernas Plutonis domos ſubiugâſſe, & in Tartara & Stygem imperium tenere: cùm tamen reuera hominum miſerrimi æternam in ſeruitutem ſe hoſti ſuo manciparint; nihil auctâ, quam venditant, ſcientiâ, niſi per ipſius mali, infernarumque pœnarum notitiam: quod Adamo contigit poſt eſum fructus vetiti.

CAPVT

re nequeat, moderatè tamen vſurpata non habenda eſt illicita. Poſterior ſic fidit aſtrorum influentijs, vt rerumpublicarum & priuatorum hominum proſpera vel aduerſa inde prænunciet: exercituum prȩterea victorias fugaſque, & ſingulorum certaminum euentus, longitudinem & breuitatem humanæ vitæ, certaminum equeſtrium ſucceſſus, & alia paradoxa, quibus deſcribendis Cardanus & Cornelius Agrippa curioſiùs quàm vtiliùs ſtilos exercuerunt. Ex poſteriore hac (quæ *pars fortunæ* olim dicta eſt) tanquam radice innumeri pullulant rami; tota illa *Genethliaca vanitas*, cum *Chiromantia, Geomantia, Hydromantia, Aëromantia, Pyromantia*, & ſexcentis huiuſmodi, quorum apud Gentiles veteres non minor vſus fuit, quàm cultus. at Chriſtiana religio fidem his omnem abrogat, vſumque interdicit; cùm nulla phyſica nitantur ratione: & Diaboli *dictata* mihi nominata ſunt.

PHI. At eruditorum non pauci à te diſſentiunt.

EPI. Non diffiteor. verùm meæ ſententiæ mihi rationes non deeſſent, ſi non ea diſſertatio me ab inſtituto auerteret, & diem aliena quæſtione abſumeret. Vnum tamen ijs reſpondebo, & quidem ex ſacris literis, quibus refragari nullo modo Chriſtianis licet; interdici nobis apud Ieremiam, *ne ijs hominibus auſcultemus, qui ex aſtris & Planetis vaticinantur.*

CAPVT QVINTVM.

Carminum vſus licitus & illicitus. figurarum & exorciſmorum deſcriptio. cur tandem Magos ipſos eorum tædeat.

PHI. IN ea re feciſti mihi ſatis: nunc oſtende carmina illa, quę ratione quidem vacant, iniuſta eſſe & illicita. Noui enim à multis vtriuſque ſexus hominibus, non minus feſtiuis quam honeſtis illa palàm factitata; quos tibi longè facilius eſſet magiæ accuſare quàm conuincere.

EPI. Si vocabuli, quo vſus ſum, vim obſeruaſſes, minùs à veritate & à mea aberraſſes mente: quanquam enim nemo ludum literarium frequentet, qui non pareat ludimagiſtro; nec rebus magicis quiſquam ſtudeat, incantationibuſque & figuris vtatur, qui non fædiſſimè à Deo deficiat (theoria namque iſtarum rerum plus habet periculi quàm noxę, cùm grauitas peccati ab vſu & praxi pendeat:) quemadmodum tamen rudimenta grammatices diſcere quiſquam ſic poteſt, vt à reliqua arte abſtineat; nempe parentum arbitratu, ferulæ deinceps ſubducta manu; ita qui inſcij hæc faciunt, quæ Diaboli dixi rudimenta; neſcientes ſcilicet eſcas eas eſſe, quibus incautos & improuidos inuitat ad hamum: de his inquam nihil acerbius ſtatuendum, præſertim quum Diaboli opem ad ea, quod ipſi quidem ſciant, non inuocent; in illius famulitio nomen ſuum haud vnquam profeſſi. Nihilominus (vt de meipſo di-

cam quod ſentio) nollem intra teli iactum accedere, nec caſtris Satanæ ſic prope adequitare. Nimis ille vafer eſt inſidiator, & nos nimis incauti, niſi diuina gratia aûxiliante, ad eius laqueos vitandos.

PHI. Rectè ais, Nam (quod vulgò dici ſolet) *longo eget cochleari, cui cum Dæmone edendum eſt iuſculum.* Sed perge in artis deſcriptione.

EPI. Poſtquam igitur nonnullos in mala arte progreſſus fecere, ſiue docti illi fuerint ſiue indocti; ęgrè induci poſſunt, vt figurarum & adiurationum ope magiſtrum ſuum excitent; re nempe valde difficili & iam periculoſa, vt quę ad pactum iam ſpectet, in quo de apparitionis modis & obſequijs cauetur.

PHI. Obſecro te antequam plura addideris; de figurarum & adiurationum more nos edoceas; & quî fiat, vt tandem earum tædio capiantur magi, qutm minus terroris habere videatur ille apparitionis modus, quàm rotundus ille & infucatus maligni illius Spiritus congreſſus.

EPI. Aut ego magiſter artis tibi videor, aut certè tu nimium cupis eſſe diſcipulus. cæterùm de vno exorciſmorum genere, quos nobis libri exhibent, Satanæ *Dictata* mihi ante appellati, ſatisfacere conabor. Quatuor ibi veniunt obſeruanda: adiurantes ipſi, ipſe actus adiurandi, verba adiurationis, Spiritus adiurati. Sed ne tibi excidat prius à me inſinuatum principium, nullam eiuſmodi vim aut figuris, aut diuinorum nominum prophanationi, aut alijs geſticulationibus, ceremonijſue eo tempore vſurpatis inhærere, quibus aut tartareus Spiritus ſuſcitetur, aut deſcripto ſpatio ſuſcitatus coërceatur: ſed Satanæ, qui mendaciorum omnium eſt parens, profundâ ſimulatione hæc fieri; qui vi carminis, cuius ipſe auctor eſt, præ ſe fert ſe cogi, & loco circumſcribi; & ea propter terminos, quos ſibi præſcripſit, non tranſilit: tum vt Magis gloriandi materiam ſuppeditet, quaſi Tartaro imperarent: tum vt in rebus paruis & nihili conciliatâ apud eos fide, de eorum corio tandem ſibi ſatisfaciat, corporibus & animabus in ęternum abreptis interitum. Hoc fundamento poſito, facile eſt intelligere non vnum adiuratorem ſufficere; ſed plures eſſe vel pauciores, pro figurarum & apparitionum forma. Duo ſunt autem, ſine quibus fruſtra ſuſcipiuntur hæc ſacra, nimirum *aqua benedicta* (qua in re Papiſtas adunco naſo ſuſpendit Diabolus) & *viui animantis hoſtia.* nec anni tempora negligi oportet, dieſque, & horas, quibus omnibus rite præparatis deſcribuntur figuræ triangulæ, quadrangulæ, rotundæ, ſimpliceſque & geminatæ, pro apparitionis, quam optas, ratione. Sed omnes earum formas enumerare, vel characteres, intuſque & extra & tranſuerſim exaratas cruces, cum varijs apparendi modis, quibus Satanas illis ludificatur, & totius actus operoſis ineptijs; eorum eſt, qui ſibi ipſis in vaniſſimo negotio negotium faceſſunt. Hoc ſolum addo, comparente adiurato Dæmone; quod non niſi omnibus, quotquot ſunt, precandi muſſitandique peractis

anxiè

anxiè ceremonijs contingit, haud aliter fere quàm Papiſtarum ſacrifici miſſas ſuas deproperant: eo, inquam, comparente, ſi quis ceremoniarum apex neglectus ſit, aut eius præſentiâ pauidi vel latum vnguem figuram tranſierint, continuò de vitâ eorum conclamatum eſt. Satanas, non expectatis mortis Kalendis, rationes ſuas cum illis purgat, corpora & animas ex pacto ſecum abripiens. Tibi nunc iudicandum relinquo, an ſine ratione fiat, vt eiuſmodi adiurationum tædio tandem capiantur; ſiue moram laboris ſpectes, & ſuperſtitioſam illam dierum horarumq; obſeruationem; ſiue terrorem apparendi, & præſentiſſimum ex minimo nugamento omiſſo periculum. Id quoque Diabolo ipſi cordi eſt, vt ſecum rotundiùs, & amotis his ambagibus velint conuerſari.

Caput Sextum.

Pactum Diaboli cum Magis. eius in duo diuiſio. quâ differant miracula diuina à Satanicis.

Phi. NOn deeſt ratio, ſed vt potiùs illi omnino valedicant, quam familiariùs cum illo agant, ſi ſaperent. At nunc ad illa veni, quæ artis huiuſce magiſterium iam conſecuti factitant.

Epi. Ex eo incipiunt abſque omni tergiuerſatione cum Dæmone paciſci. pacti ratio in duobus eſt, quæ tibi ante explicata dediſſem, ni impedijſſes. ſtipulantur enim à Dæmone, primò, certos comparendi modos, quandocunque illum volunt conuentum: deinde certa ſeruitia & obſequia, ad quæ ſe obſtringit. etſi autem pactũ ſit mutuum, Satanicæ tamen obligationis partes priùs ediſſeram. Pro vario Magorum captu & peritiâ mutatur comparendi modus. vilioribus enim, quoties eum nomine inuocant quod ipſe ſibi impoſuit, promittit ſe adfore canis, felis, ſimiæ, alteriuſúe animantis effigie; vel, ſi id non placet, ſola voce ſatisfacturum ſe quæſitis. obſequia autem hæc ſunt, vt de morborum curatione, de familiæ adminiſtratione, & id genus alijs parui momenti quæſtionibus interrogatus reſpondeat. Curioſioribus verò aſſumpto cadauere ſe ſiſtit; è quo de bellorum euentibus, de Rerumpublicarum ſtatu, aliiſque rebus magnis oracula editurus eſt. Quibuſdam nunquam diſcedet à latere, velut aſſecla. quin patietur circumferri ſe in annulo, vel re quauis portatili ad multos annos: & permittet mercesgenijs eiuſmodi animatas alijs diuendi, magno viliúe pretio; pro genij inclusi ingenio, verace mendacéue. non quod Dæmon vllus ſit non mendax, ſed diſcipulorum ſuorum credulitate abuti ſolet Diabolus: quibus perſuaſum cupit, Lucifero labente, alios ſpirituum cecidiſſe in ignem, alios in aërem, aquamque & terram, in quibus elementis etiamnum maneant. vnde efficitur (ſi dignum eſt credere) aëris igniſque hoſpites

Digitized by Google

ſpiritus veraciores eſſ: aquatilibus & terreſtribus: & cætera nugamenta illius impoſtoris fraudibus excogitata. Nec enim illi pondere ſuo lapſi ſunt, vt alicubi hærerent; ſed Dei gratiâ, in qua creati ſunt, excidiſſe intelliguntur, quæ caſus eorum maxima pars fuit. ex eo, orbem terrarum pererrant Dei Opt. Max. carnifices; mandata eius vſque in diem nouiſſimum peracturi. ab hoc munere dum feriantur, in Tartareum carcerem reuerti neceſſe habent (vt ex miraculo Chriſti ad Genezareth patrato Matth 8. ſatis conſtat) in quem carcerem nouiſſimo decreto æternùm compingentur. Cæterùm, non hic ſolùm diſcipulis ſuis fucum faciunt hi maligni; ſed etiam dum fabulantur in ſuâ Republicâ Principes, Duces, Reges pluribus aut paucioribus imperare Legionibus, & diuerſis terræ plagis & tractibus. Licèt enim ſuam eſſe Angelis hierarchiam non inficier, quam Dæmones quoque ante lapſum participârint; lapſis tamen manſiſſe eandem quis credat? aut cæleſtia arcana, quę nobis per Prophetas & Apoſtolos reuelare noluit Deus, nunc per iſtos peſtilentes magiſtros patefacere? quin nos decet modeſtè ignorare myſteria, quæ diuinæ taciturnitatis ſigillo obſignata ſunt, præſertim, quæ ad noſtram non faciant ſalutem. Verùm, vt ad rem reuertar, quemadmodum Magorum coryphæis exquiſitiſſimâ & planè mirificâ ratione ſe ſiſtit Satanas; ita operoſa & mirifica illis præſtat obſequia. artium enim & ſcientiarum ſpondet notitiam, rem nebuloni tam erudito haud difficilem. ſpondet rerum nouarum ab extremo orbe nuncios, pernicitati Spiritus rem non minùs facilem. ſpondet aliena cuiuſcunque arcana, non illa pectoris ſacrario concluſa, & ſoli Deo peruia, ſed quæ linguâ tenus prodiêre. quid quod ex vultu mentem interdum coniectet, artifex haud dubiê Phyſiognomonices callentiſſimus? quin rerum futurarum vaticinio diſcipulos ſuos apud Principes faciet gratioſos, vera falſis immiſcens. nam in omnibus mendax omnium gratiâ excideret. at nihil non ambiguum ab eo expectes; qualia erant eius è tripode olim reſponſa. Epularum quoque magnificentiâ ſuos Principibus commendabit; mira celeritate allatis vel è nouo orbe cupedijs. quidni enim certus fur expilet aliena, & Spiritus citiſſimè apportet expilata? peditum equitúmque exercitibus ſtipabit ſuos, vel caſtellis & propugnaculis faciet ſecuros: quæ nil aliud ſint, quàm euanida aeri impreſſa phantaſmata, ab eo, qui ſubſtantiæ ſimilitudine aeri affinis eſt. In aleâ verò & folijs luſorijs illos inſtruet præſtigijs, queis colluſores deludant; & fallacijs præterea innumeris nimium hoc ſæculo à pleriſque vſurpatis. norunt qui cum Italo illo, *Scoto*, adhuc ſuperſtite familiariter vixêre. quæ omnia mera ſunt ſenſuum ludibria, veri inania; qualia erant Magorum Pharaonis, Moſaica imitantium miracula. Eo enim differunt diuina miracula à Satanicis, quòd Deus, Creator rerum omnium, quicquid exhibet miraculo, ita quoque ſe habet:

Digitized by Google

bet: vt Mosaica virga in verissimum mutata est serpentem. Diabolus autem, creatoris simius, miraculi imitatione non repræsentauit naturam serpentis, sed phantasmate adspicientium oculos ludificatus est. quod re ipsâ post apparuit. nam quos ille fecit serpentes à Mosaico absumpti sunt. Nec mirum videri debet per Diaboli fallacias illudi sensibus humanis, cum præstigiatorum nostrorum dexteritate sexcenta nobis aliter appareant, quàm sint. Quod verò attinet ad alteram partem contractus; id Magi dant Satanæ, quod ille tam improbo labore vbique aucupatur.

PHI. Multa profectò mihi de hâc arte narrasti, si modò tam vera sint ista, quàm mira.

EPI. De veritate nemo dubitabit, qui historias fide dignas legere, & quæ quotidie eueniunt inquirere non grauabitur. De possibilitate vero harum rerum, modoque, spero nihil à me sine probabili ratione allatum: nec tuam ego deprecor censuram. Vnum est, quod ferè oblitus eram, syngrapham Magi ipsius sanguine scribi solere. sin verbo tenus inter eos conueniat, tum dirus magister, discipulum illum sibi tangendo asserit; nulla interdum manente contactus notâ, quæ tamen in sagis omnibus & veneficis indelebilis est.

CAPVT SEPTIMVM.

Cur ars Magica illicita sit. quam mereantur pœnam, qui criminis illius rei.

PHI. ATris sanè suisque omnino coloribus mihi hanc artem depinxisti. Sed obsecro, quæ tibi de illis opinio, qui rem tam noxiam & flagitiosam licitam esse defendunt?

EPI. Nempe aut esse eorundem sacrorum mystas, aut nihilo ijs sanctiores. Sed quibus argumentis nituntur illi?

PHI. Præter illud, quod vulgò circumfertur, & à te modò refutatum est, imperare Dæmoni necromantas; duas, quas ego audiuerim, rationes prætexunt. alteram receptâ consuetudine, alteram authoritate nixam, & quorundam iudicio inuictam. Dicunt enim Christianos Principes & Magistratus, veneficorum acerrimos vindices, non conniuere tantùm in necromanticis præstigijs, sed ex ijs voluptatem nonnunquam & oblectamentũ quærere. hæc consuetudo est publica. at sacrarum literarum obtenditur authoritas, quæ testantur Mosen omnes Ægyptiorum scientias calluisse, quarum præcipuam fuisse Magiam, extra controuersiam ponunt: adeóque illicitam non esse, quia illi vti licuit, qui Deo fuit gratissimus.

EPI. Quod ad priorem rationem attinet; praua consuetudo vim legis non obtinet; & Principes aut insciti â aut contemptu diuini verbi facile possunt cespitare. altera, specie validior reipsâ fallacior, si syllogi-

ſtico exploraretur examine, pluribus quàm par eſt terminis conſtaret. Non enim primò, ſi omnes Ægyptiorum ſcientias edoctus erat Moſes, continuò & Magiam edoctus erat. nullam hic video neceſſitatem ſequelæ. nam Spiritus Sanctus, de ſcientijs loquens, licitas tantùm intelligit, non noxias humanæ vitæ & peſtiferas; quæ ἐπιστήμαι ſcientiæ dicuntur, & potiùs, ſuo veróque nomine, inſcitiæ. nam homo pictus non eſt homo. Deinde fingamus, ſi libet; Moſen non fuiſſe Magiæ imperitum; multùm tamen opinor differre theoriam à praxi. nam & Deo, ſemper optimo, omnia nota ſunt, bona maláque, & noſtra ignorantia ex peccato & debilitate proficiſcitur. Denique vt vel maximè concederem, habuiſſe Moſen artis magicæ & notitiam & vſum, quod nemini Chriſtiano vnquam perſuadeas: cõſtat tamen eum, ante Spiritus Sancti vocationem, fugiſſe ex Ægypto, iam quadragenarium, patratâ ſcilicet Ægyptij cæde: & in ſoceri Iethronis patriâ, exactis poſteà quadraginta annis exilij, *ex rubo ardente* demum à Deo vocatum fuiſſe: vt ſi antè improbiſſimus foret, tum planè nouus euaſerit, & à priore Moſe totus mutatus. *Abrahamus* ſimiliter, ante fœdus ictum cum Deo, idolis ſeruijt in Vr Chaldeorum: & *Paulus* ſub Sauli nõmine Sanctorum hoſtis fuit acerrimus.

PHI. Quo ſupplicio igitur multandos cenſes Necromantas?

EPI. Pari ſanè cum Veneficis & Sagis; eóque maiore, quòd eorum lapſus, cum maiore cognitione coniunctus, peccato in Spiritum Sanctum affinior eſt. Idem de illis ſtatuendum, qui eos conſulunt, tuentur, conniuent; teſtante delicti magnitudinem euentus atrocitate. nemini enim lætior à Satana expectandus eſt nuncius, quàm ab eo rex Saulus retulit. Nihil autem refert, quàm bonum in finem conducas hos Satanæ ſatellites: certum enim manet illud & inconcuſſum, *non eſſe faciendum malum vt inde eueniat bonum.*

Actor. 3.

DÆMO-

DAEMONOLOGIAE.

LIBER SECUNDUS,

De Arte Incantatrice & Venefica.

CAPVT PRIMVM.

Possibilem esse hanc nequitiam è sacris literis ostenditur. refutantur eorum argumenta, qui dicunt esse phantasiæ morbum ex humore melancholico.

PHI. CVm igitur de Magia aut Necromantia planè mihi satisfeceris, quæso, ne graueris in arte incantatrice & venefica idem præstare.

EPI. Amplam suggeris dicendi materiam, oreque & stilo multorum iactatam, sed intellectam paucis; id quod, fauente Deo, breui ex me percipies.

PHI. At liceat mihi pauca interfari. non desunt enim, qui è rerum natura hanc quoque nigræ artis speciem tollere conantur. eorum ego rationes adferam in medium, vt ijs à te pari diligentia solutis in veritate acquiescam. Primò enim, quæ ex sacra pagina adduci solent artis veneficæ & testimonia & exempla, ea præsertim, quę tibi priùs memorata sunt; nihil ad Veneficos iudicantur attinere, sed ad Magos & Necromantas: verbi gratia, Sapientes illi Pharaonis, æmuli miraculorum Mosis, Magi erant, non venefici. idem de Pythonissa aiunt, quæ Saulo Regi respondit: & de Simone qui & Magus dictus est. Secundò, quam tu illis experientiam opponeres, & tot Sagarum confessiones; ea omnia nihil aliud esse volunt, quàm melancholica mulierc ularum deliramenta. Tertiò, si Sagæ ea pollerent incantandi vi, quę illis vulgò solet tribui; iampridem cæteros mortales sustulissent è viuis: certè nemo probus piusue diras earum artes vitasset.

EPI. Prima tuarum rationum Scripturæ, ni fallor, innititur, negatiuè: secunda, naturæ, affirmatiuè: tertia, experientiæ. Ad primam vt respondeam, non diffiteor illos Pharaonis sapientes Magos fuisse; quibus

Digitized by Google

quibus & Pythoniſſam adiungo, quam Saulus conſuluit; & Simonem Magum. Sed diuinæ legis (vt video) oblitus es, quæ Magiam, Diuinationem, Incantationem, Sortilegium, Veneficium, omnemque cum Diabolo conſultationem diſtrictè prohibet, damnatque; pari minarum ſeueritate talia omnia interdicens. Præterea illa Actor. 16. plena ſpiritu Pythonis, cui Apoſtolus ſilentium impoſuit, nihil aliud erat, quàm venefica; ſi modò vulgatum illud diſcrimen probas, nobis, initio colloquij, poſitum. ſpiritus enim, cuius ope tantum lucri adferebat ancilla Dominis ſuis, non erat illius arbitrio aut imperio obnoxius; ſed priuatim publiceque per illius linguam loquebatur: vnde & dæmoniacæ ſimilior videretur, ni ſponte ſua Dæmonem recepiſſet hoſpitem; quod ex tormentorum vacuitate, & quæſtu ſatis apparet. Secunda tua ratio ſagarum confeſſiones, & imaginationes omnes imputat atræ bili, qua cerebrum laborat. at ſi quis illum humorem, & iuxta propriam ipſius indolem, & naturalium Philoſophorum opiniones, examinet; vereor, vt breue nimis hoc velum ſit nequitiæ palliandæ. vt enim atra eſt hæc bilis, & grauis, & terreſtris; ita in ijs, qui illa laborant, ſimilia cernuntur ſymptomata, pallor, macies, amor ſolitudinis; & ſummo eius gradu accedente, amentia, & mania. Contrà autem, qui hoc tempore artis veneficæ aut propria confeſſione, aut certis comperti ſunt indicijs; partim, nec rei familiaris, nec ſenſus communis inopes ſunt; partim verò obeſi & corpulenti: plerique omnes voluptarij, ſocietatis & feſtiuitatis, bonæ maleque, amantes: quæ omnia atræ bilis ſymptomatibus planè contraria ſunt. Experientia item docet ægrè poſſe illis exprimi confeſſionem veri, abſque tormentis; manifeſtum conſciæ mentis indicium. at quos atra bilis fecit melancholicos, facilè ſe ſuo produnt indicio, oblectantes ſe eo, quod crimini ſibi non ducunt. Tertia tua ratio vix vllum reſponſum meretur. nam ni Diabolo inijceretur frænum (vt ſacra pagina teſtatur) facilè ille ſuis ipſius technis, abſque Veneficorum miniſterio, humano generi interitum conflaret. cui negotio omnes adhibet ingenij neruos, *orbem, rugientis leonis inſtar, circumiens* 1. Pet. 5. niſi ante iacta mundi fundamenta certis finibus, quos tranſire ne latum vnguem poteſt, circumſcripta eſſet eius improbitas. Sed, abſque his, nimis facile eſt (proh dolor) euincere, non deeſſe hac tempeſtate Veneficos; ex ſenſu damni hominibus, iumentis, alijſque rebus illati, quas eorum impotentiæ arcano ſuo conſilio Deus permiſit, vt ex dicendis de eâ arte manifeſtum fiet.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Sortilegij originatio & significatio. eorum, qui se illi addixerunt, tyrocinium.

PHI. REuertere igitur ad ea, quæ intermisisti.

EPI. Latina est hæc vox, *Sortilegij*, à sortibus ducendis legendisque sic dicta. cur autem à sortibus nomen habeant hi artifices, inde videtur factum, quòd inter diuinandum sortibus vti soleant: vt cum ex vanni inuersione, aut simili superstitione vitam alicuius mortèmue hariolantur. in summâ, propter carmina & inanes ceremonias in eâ arte traditas id nominis consecuti sunt. Multa sunt his cum Magis communia: nec mirum, cum eodem in ludo ambo ad improbitatem formati sint. Et vt antè duo feci Necromantarum genera, doctos, indoctosque: ita horum liceat duos ordines notare, diuites melioriſque notæ Veneficos; & pauperès ac proletarios. His respondent duę perturbationes animæ humanæ, quibus, tanquam illecebris, Satanas eos inuitat ad dispositos laqueos. quos enim videt calamitosos, egenos, ad incitam redactos, eos opum pollicitatione & quæstu allicit in seruitutem. quos perditâ vindictę cupiditate aduertit accensos, sed patrimonio integro; hos, propositâ arbitrariæ vltionis spe, in famulitium recipit. Hoc autem prætereundum non est, neminem à Dæmone tentari, quantumus hisce animi passionibus inquietatum; qui non ante huic aggressori aditum aperuerit, vel ignorantia, & improbitate, vel securitate & contemptu numinis. Tum verò quibuscunque cernit desperata iam esse omnia prædictonem malorum remedia, eorum ægris animis pabulum suggerit inimicus; desperationem augens, quantum potest, donec opportunum videbitur suam illis mentem aperire. quo tempore aut spatiantes in agris, aut anxios in lectis, sed solos, assumpta humana specie, vel nuda voce emissa interrogat, quę sit causa sollicitudinis? & subitum certumque spondet auxilium; ea tamen lege, vt ipsius vtantur consilio, ipsique vt melioris fortunæ auctori nonnullis gratificentur seruitijs. facile est diu antè obsessos animos in deditionem accipere. mox nouo congressui alius statuitur dies, quo id cęteris rebus omnibus præuertitur Diabolus, vt sacramentum illi dicant seruitutis. tandem fatetur quis sit; illisque, eiurato Deo & baptismo, no am suam imprimit, in tectam quampiam corporis partem; cui in proximum vsque congressum nec cicatrix obducitur, nec dolor leuatur: at omnino sensus perit sanatæ, quantumuis stimules aut vellices; vt quotidiana probat experientia. hoc veluti documento ostendit, se eum esse, qui & lædere possit & læsos cu are; vt in rebus prosperis, aduersisque, ab eo solo assuescant pendere. Præterea, exquisitus ille dolor, relictus ex impressa nota,

nota, excitat in ſaucijs inquies deſiderium noui congreſſus: aliàs fortè obliuiſcerentur ſui præceptoris hi nouelli Catechumeni, vix bene adhuc poſito amentiæ tyrocinio; vel horribilis pacti memoria turbati conſilium mutarent, & pœnitentiam agerent. Tertio congreſſu, ingentem præ ſe fert in ſuis promiſſis fidem; læſis abominandas vltionis vias, egenis verò fœdas flagitioſaſque diteſcendi artes commonſtrans.

Caput Tertium.

Partim in ſe agere veneficos, partim in alios conueniendi, & Dæmonem adorandi ratio.

Phi. DE initiatione dixiſti ſatis: reſtat edoceas, quid agant, iam facti epoptæ. ſcire vehementer æueo, quid verè poſſint. quanquam enim eundem agnoſcant Dominum cum Necromantis, diuerſum tamen ab illis obſequium præſtant. nam vt ſeruiendi auctoramenta non ſunt in ambobus eadem, ſic etiam ſeruitutis ratio diuerſa eſt: quanquam amborum omnia in vnum colliment ſcopum, nempe, Satanicæ tyrannidis propagationem, & Chriſtianæ Eccleſiæ, quantum in ipſis, ipſorúmue magiſtro eſt, euerſionem & ruinam. *Magi* igitur, quos Dæmoni ſua addixit curioſitas, honori ſuo inſeruiunt, aucupantes ex arte gloriam & popularem auram: *Venefici* autem, quos vindictæ aut opum mancipauit cupiditas, toti in eo ſunt, vt hominibus, iumentis, rebus, fœuæ vltionis ſtudio, damna inferant; aut ex aliorum diſpendijs, quoſcunque demum eorum libidini permiſit Deus, auaritiam ſuam iniquiſſimis modis expleant, vt diteſcant.

Epi. In duo non incommodè diuiſeris quæcunque agunt venefici. vel enim in ſe agunt, vel in alios. quâ diuiſione recte intellectâ, nulla tibi de eorum poteſtate reſtabit dubitatio. licèt enim, quæcunque in iudicio aduerſus ſe confitentur, iure ac meritò confiteantur, & abſque mendacio ea diffiteri nequeant; mea tamen ſententia, longe aliter ſe habent nonnulla, ac ipſis videntur. è quorum numero ſunt hæc, quæ in ſe agunt. nam quod de Magis antea confirmaui; eorum ſenſibus à Dæmone glaucomam interdum obijci, vt videantur eſſe, quæ non ſunt; idem quoque de Veneficis nunc ſentio.

Phi. Primò igitur, ni graue eſt, expedias quæ in ſe agunt, deinde quæ in alios.

Epi. Quem cultus & adorationis modum Deus ipſe Eccleſiæ ſuæ præſcripſit, eum Satanas, cacozelus ille Dei ſimius, æmulatur; vt faciliùs ad ea ſeruitia Veneficos inducat, in quibus eorum operam conduxit. Nam ſicut moris eſt Dei ſeruis, vt rem ſacram faciant, palàm in vnum coire; ita Satanas, ſui cultus ergô, clandeſtina Veneficis indicit conuenticula, publicam lucem non audentibus intueri. Deinde vt nemo in

mo in cætum fidelium admittitur, vbi ſeruitur Deo, qui non antè ſigillo Domini ſignatus eſt, ſacramento baptiſmi: ita impiorum turbæ, vbi ſeruitur Satanæ, nemo ſe immiſcet, qui non cicatricoſa tyranni notâ inſignitus eſt. Præterea, vt dei miniſter, à deo miſſus, concionem populi docere ſolet, quo pacto Deus in ſpiritu adorari debeat & veritate: ita peſtifer ille Spiritus, ipſe ſuam inſtruit turbam ad omnia flagitia; ſeuerus quoque præteritorum ſcelerum exactor, quæ in eius gratiam patrârint. quin, vt Deum expreſſiùs imitetur & irrideat, non rarò in locis diuinæ adorationi conſtitutis ſuorum celebrat conuentus, in ipſiſmet inquam templis; quæ omnia opinor non videri modo Veneficis, ſed reuerà ita eſſe vt fatentur. id mihi perſuadet Satanica diuini cultus inter gentes cacozelia. Nonne Dei exemplo per oracula loquutus eſt? nonne Dei exemplo cruenta habebat & incruenta ſacrificia? nonne templa ſuo dicata numini, inſtructa aris, victimis, ſacerdotibus; ceremonijs frequentata & precibus? nonne, vt per Vrim & Thummim reſpondebat Deus, ſic ille per animantium exta, & auium garritus volatuſque? nonne, vt per viſa, & inſomnia, & extaſes Deus electis reuelabat, quid futurum eſſet; & quid fieri vellet; ita iſte præmonebat ſuos? nonne vt caſtitatem amat Deus, impuritatem autem quam odit, punit; ſic iſte, licèt ſimulatè, & vt vitantes minus malum pertraheret in maius, ſuos vetuit ſacrificos immundo pollutoque corpore ad adyta accedere? nonne Deum fecit virtutis patronum, vindicem ſceleris? Hæ me impulerunt rationes, vt credam Satanam, cui nihil perijt antiquæ calliditatis & verſutiæ, eâdem in hiſce omnibus fiduciâ cum Veneficis noſtris agere. confitentur ij, non tantùm in templis conuentus ſuorum haberi, ſed ſuggeſtum concionatoris à Dæmone nonnunquam occupari; recepto adorandi more, vt impuri numinis podicem ſinguli baſient; res riſu digna, ſed à vero fortè nihil abludens. Calecutenſes enim (ſi hiſtoria vera eſt) flagitioſo huius oſculi honore Dæmonem, ſub hirci apparentem imagine, dignantur. ita ille appetitu gloriæ, quo olim perijt, etiamnum prurit; vt & illum locum ſibi imitandum proponat, vbi dicitur Moſes, præ gloriæ ſplendore, nonniſi poſteriora Dei videre potuiſſe: quod tamen [illegible] intelligendum eſt.

CAPVT QVARTVM.

Quibus modis poſſint venefici in remota loca tranſferri. Satanæ illuſiones & præſtigiæ. earúmque cauſæ.

PHI. SEd quî cenſes fieri, vt ad impia hæc comitia venire queant venefici?

EPI. Hoc illud eſt, quo fucum illis à Satana arbitror fieri, & longè aliter ſe rem habere, ac ipſis videtur: nec tamen eorum confeſſiones arguo mendacij, quandoquidem ita loquuntur, vt ſentiunt. Siue igitur

igitur Domino ſuo cultus ſit exhibendus, ſiue eius mandata peragenda, non vnam aiunt eſſe conueniendi rationem: interdum pedibus ſe ire, interdum equo, aut naue vehi, quacunque demum horâ à Satanâ fiant certiores. quæ itineris conficiendi ratio, vt quæ nihil habeat naturæ aduerſum, facilè credi poteſt. Alia eſt paulò magis mira, ſed quam nihil vetat eſſe veram; vt, Spiritus deferentis celeri miniſterio ſupra terras, aquáſue ad dictum locum ferantur: quum conſtet ſimili planè Angeli impetu delatum Habacuc ad Danielem, in ſpeluncam leonum. Et quidni arbitremur Diabolum in hoc quoque genere Dei ſimium eſſe, ſiquidem corpora ſolida de loco in locum transferre minore cum negotio poſſit ſpiritus, quàm ventus; merum, videlicet, meteoron, cuius tamen eam vim quotidie cernimus? at hoc motu raptûs non vltra ſanè ferantur, quàm patiatur reſpiratio; longinquitate ſpatij reciprocationem animæ impediente, præſertim in latione tam rapida. nam qui ex loco non nimis edito præcipitatur, ex ſola caſus duritie periclitatur de vita, ſin ex rupe altâ & abruptâ, priùs expiret neceſſe eſt quàm terram attingat, quod experientiâ quotidianâ compertum eſt. Venefici in hoc, non ſuo, aëris remigio affirmant à nemine ſe conſpici, qui non ipſe veneficus ſit. quod mea ſententia non eſt expers veri. nam ſi Dæmon quælibet phantaſmata aëri potis ſit imprimere (quod de Magis loquens ſuperiùs confirmaui) non video, cur circumfuſum maleficis aërem condenſare ita & obſcurare nequeat, vt intuentium oculis imperuius ſit. Supereſt tertia conueniendi ratio, in qua arbitror latêre Satanæ fucum: cùm ſe aiunt, aſſumptis animalculorum, aut auicularum imaginibus, templa & domos, clauſit oſtijs, ſubire; per tenuiſſima nempe aëris ſpiracula. Nec deſunt inter eos qui animas, corporibus interea extaſi conſopitis, ad comitia exiſtiment ſolas proficiſci; adductis teſtibus, qui corpora eorum viderint iacentia & ſenſu ſpoliata; nominatíſque ijs, qui in eodem conuentu fuerint, aliàs planè ignotis, prolatíſque rerum certis indicijs, quas vnà egerint. Sed hoc genus itineris tum ferè locum habere aiunt, cum in remotas prouincias regionêſue eundum eſt.

PHI. De his ſanè geſtio tuam audire ſententiam: mihi ijs ſimilia videntur, quæ vetulæ ante focum delirant.

EPI. Quod meræ Satanæ præſtigiæ ſint hæ, primò in ijs apparet, qui in auium aut quadrupedum ſimulachra mutati minimos quoſque meatus penetrare æſtimantur. hos licèt credam ſibi aut alijs tales videri, Diabolo aërem variè figurante; at corpus humanum in eas contrahi anguſtias mihi videtur è numero eorum, quæ ſeipſa euertunt. ſic enim attenuari, & non minui; aut ſic conſtringi & non lædi; pugnat prorſus cum corporis naturalis ingenio: res ſimillima triticeo Pontificiorum deunculo, quem miſſifices, nouâ tranſubſtantiationis metamorphoſi, quotidie

quotidie creant. ita quantitas ſolido corpori propria eſt, vnanimi Philoſophorum opinione, vt non magis ea poſſit corpus deſtitui, quàm ſpiritus eam habere. Cum Petrus è clauſo carcere exijt, non id factum eſt contracto corpore in atomum, ſed cedentibus domus foribus; quamuis id cuſtodes latuerit. Et vt vel maximè id ſecus euenerit, quis tamen Diaboli operâ fieri poſſe aſſeueret, quicquid diuinâ virtute factum eſt? quod attinet ad corporum extaſin, & incomitata animarum itinera; certum id eſt, naturalem mortem definiri, animæ è corpore migrationem: & ſemel mortuos abſit opinemur Diaboli auxilio reddi vitæ, quod diuinæ omnipotentiæ proprium eſt: quanquam Satanas ſeipſo cadauer poſſit animare, vt de Necromantis iam dictum eſt. Taceo, quòd animæ à corpore ſolutæ liberum non ſit vagari; quùm neceſſe habeat eò ſine morâ proficiſci, vbi corporis vnionem nouiſſimo die expectet. quæ autem Chriſtus & Apoſtoli miracula fecerunt, ea cum Diabolo communicare Chriſtianis non licet. Cæterùm indicia illa, quibus animarum digreſſiones aſtruunt, Satanicis quoque adſcribes impoſturis. ille exanimatis eorum corporibus, altóque ſopore ſtupefactis ſenſibus, phantaſiæ obijcit imagines perſonarum, locorum, rerum; quibus illudit captis, haud ſecus ac Poëtarum Morpheus ſomniantibus omnes ideas formáſque ſuggerit. Numquid etiam, vt maiore fallaciâ ludificetur miſeros, fratribus ſuis iniungere poteſt Satanas, vt eundem fucum eâdem horâ multis alijs faciant, vt videri queant vnà conueniſſe, ſermones contuliſſe, negotia tractâſſe? ſic vniuerſorum confeſſiones, & teſtimonia, quanquam ſingulos ſeorſum examines, coincident. Quid ſi damna illa, quæ ſoporis tempore putant venefici ſe hominibus & pecori intuliſſe, à Satana ipſo aut ſocijs Angelis profecta ſint? non eſt igitur, quòd pro ecpſychoſeos illius argumento adducant mortem alicuius circa id tempus, quem illi veneno aut carmine ſe ſomnient interemiſſe: hunc enim Satanas, vt illis fortiùs illudat aliorúmque credulitatem inuitet, diuino permiſſu interemerit. Nihil rationabilius mihi ſuccurrit aut ſimilius vero, quod ad ea reſpondeam, quæ in Veneficorum confeſſionibus à ratione & communi ſenſu aliena ſunt. Hæc tuta ſatis eſt via inter Scyllam & Charybdin nauigantibus; ne ſi nihil credamus in eorum trahamur errorem, qui veneficas artes omnino negant; ſin omnia; in ea opinionum portenta, quæ ſana Theologia & Philoſophia explodunt.

Caput Quintum.

Quæ in alios agant Venefici. cur fœminæ his artibus addictiores, quantum ea poſſint Diaboli ope, damnorúmque ab ijs datorum tutiſſima remedia.

Phi. CErtè non deſtituitur ratione opinio tua. Sed explicatis quæ in ſe agant, ad ea perge, quæ agunt in cæteros.

Epi. Tria in illis notanda veniunt: modus deliberandi

de patrando ſcelere: partes Veneficorum, qui inſtrumenta ſunt: partes Satanæ, qui ſcelus exequitur. Locus deliberandi eſt ædes ſacra, vbi heri ſui tetrum adorant numen: cui ex ſingulis quærenti, quid velint, alius ad opes acquirendas proponit flagitium, alius ad vltionem. ille, vt qui delectatur malo, non grauatè annuit votis ſupplicum; turpia ſuggerens conſilia, quibus ſe reddant votorum compotes. Neque etiam leuiora illa fœminarum negotia inſuper habet. illis iniungit cadauerum artus præſecare; & in puluerem redactis ea miſcere, quæ ipſe non auarè porrigit.

PHI. At priuſquam vlteriùs pergas, liceat ex te quærere, quod tute mihi iniectâ fœminarum mentione ſuggeſſiſti, cur pro ſingulis viris viginti fœminas reperias veneficijs addictas?

EPI. Cauſa eſt ſexus debilitas, Satanæ dolis & fraudibus oportunior. quod in Euâ & ſerpente nimis ab initio (proh dolor) apparuit. Ex eo maior eſt Satanæ cum fæmineo ſexu familiaritas.

PHI. Nunc ad priora reuertere.

EPI. Alias docet ex cærâ aut luto hominum, quibus nocere cupiunt, effigies componere; vt his lento igne aſſandis ipſi homines, continuo morbo, ſenſim contabeſcant, prout cèra liquitur aut lutum dureſcit, alijs donat pulueres & lapides, quorum ope inferant auferanque ægritudines. alijs commendat peregrina venena & medicis ignota, ſiquidem occulta naturæ rectiùs callet mortalibus: non quòd iſta quicquam habeant cum negotio, cui adhibentur, commune, (ſola excipio venena, ê mediâ naturâ deſumpta) ſed quia hîc, vt in cæteris, diuinorum operum vult æmulus haberi. Nam vt Deus per ſubſtantiæ terreſtris ſacramenta cæleſtem operatur gratiam, nihil cooperante materiâ: vtque Chriſtus luto & ſputo oculos aperuit cæco, nihil iuuantibus ijs quæ adhibebat; ita Satanas ex rerum externarum abuſu ſpeciem quærit & velum, quæ tamen ipſæ effectum nihil promouent, quicquid demum plebeia deliret inſcitia. Cæterùm ex hiſce conſultationibus, modiſque operandi à Satanâ iunctis, ea proueniunt, quæ niſi fieri poſſe ratione demoniſtrem, nemo vnquam crediturus eſt. Omiſſis igitur leuioribus, quæ abſque Dæmonis conſilio malè feriatæ aniculæ per ſe faciant, ea tantùm, quæ admiratione non indigna ſunt, commemorabo. Primùm igitur inter viros & fœminas amoris & odij auctores ſunt venefici; res vaferrimo ſpiritui non difficilis, qui, cùm in deprauatos hominum affectus ſe penetrauit, facilè ſuteles ſuis, quò vult, eos ducit. Deinde verò in alterum transferre poſſunt alterius ægritudinem; nempe eiuſdem maligni ſpiritus ope, qui, permittente Deo, Iobum morbis & vlceribus afflixit. Antiquus enim medicandi artifex prædominantem in corporibus humorem non ignorat, quem excitare, efferare, augere poteſt; pro ægritudinis modo, quam Dei permiſſu corpori illaturus eſt. Nec egrè

etiam

etiam eum hominem morbi moleſtiâ expediet, quem ſanitatis illecebrâ in æternos laqueos illectet. Poſſunt quoque, cerea aut fictilia aſſantes ſimulachra, homines morte afficere. quidni enim Satanæ procliue ſit vitales ſpiritus eâ menſurâ debilitare aut ſpargere, qua coniurati iſti ceream colliquant igne effigiem, licèt ad eam rem nihil conferat innoxia, qua vtuntur, cera? quidni etiam laſſitudine inductâ, & nimio ſudore, exſuccum reddere corpus humanum: aut ſubtractis ſpiritibus, quorum ope peragitur concoctio, ita ſtomachum infirmare; vt tranſudante primigenio humore, in cuius locum nihil reponitur, tandem æger contabeſcat, eodem prorſus modo vt liquitur ad ignem ſimulachrum? ſic contemperante diro hoc artifice tabis momenta cum ſimulachri defluxu, vt vno eodémque tempore, & quaſi operâ, incipiant & deſinant. Poſſunt quoque tempeſtatibus & procellis eos terrarum maríſque tractus agitare, quos illis Deus tranſcripſit ad tempus inquietandos. has procellas, improuisâ & inſolitâ ſui impetus violentiâ ac breuitate, facilè à naturalibus diſcernas. Neque hoc Satanæ difficile eſt, cui tanta cum aëre intercedit ſubſtantiæ affinitas, eiúſque elementi mouendi figurandíque tanta vis, vt antè nobis explicatum eſt: præſertim cùm in ſacrâ paginâ Princeps aëris dicatur. Poſſunt etiam hominibus ſanis maniam inducere aut phrenitidem; rem non arduam Satanæ, qui hos & alios naturales morbos ſine negotio excitat. Poſſunt denique malis genijs, qui nunquam diſcedant à latere, homines exterrere, & ædes ſpectris facere inhabitabiles: quod hoc tempore à noſtris veneficis ſcimus factitatum. poſſunt alijs ſpiritus immittere, vt verè fiant dæmoniaci; quod eò Satanæ factu facilius eſt, quia ſuis Angelis, ſi ita Deus permiſerit, quamlibet iniungere poteſt vexandi hominis rationem.

PHI. An verò Deus his Diaboli mancipijs quicquam iuris concedet in fideles?

EPI. Concedet ſanè: triplex enim eſt genus hominum hiſce tentationibus & periculis, diuino arbitratu, obnoxium; impij propter flagitia, vt pœnæ grauitas reſpondeat atrocitati criminis; pij deinde ſed fide inualidi, & ſceleri aliquo ſopiti, vt diri hoſpitis aduentu expergiſcantur; viri denique optimi & iuſtiſſimi, quorum patientiâ orbis eruditendus eſt, cuiuſmodi erat Iobus. quidni enim Deo tam liceat raris hiſce & inuſitatis vti ſupplicijs, quam quotidianâ illâ ſuâ & tritâ morborum rerúmque aduerſarum virgâ?

PHI. Quis ergo à Diabolicis hiſce machinamentis ſecurus ſit?

EPI. Nemo tam ſit fidens animi, vt ſibi impunitatem hîc ſpondeat. Deus enim ab æterno non minùs prædeſtinat miſerias, quibus ſingulos homines exercet, quam bona, quibus ornat. Neque nobis terrori eſſe debet omnis hæc, quantacunque eſt, Satanæ & ſatellitum eius poteſtas;

teſtas; quando aliàs cum eo hoſte nobis centies in die confligendum eſt. Itaque vt fortem militiæ ducem non magis abſterret prælio maioris tormenti tonitru, quàm minoris ſcloppus, licet illi non conſtet ab vtro ſit periculum: ita nos decet in ſacrâ hac acie ſtare intrepidos, ſiue inuſitata hæc ſæuitię arma aduerſus nos expediat Satanas, ſiue ſolita illa & trita, quæ continuâ aſſuetudine nobis in contemptum abiere.

PHI. Nonnè autem liceat morbum alterius ſagæ maleficio factum alterius auxilio depellere?

EPI. Minimè gentium. *Non* enim *faciendum malum vt bonum inde eueniat.*

PHI. Quibus igitur licitis modis curabitur ægritudo?

EPI. Continuis ad Deum precibus, vitæque emendatione, & acerrimâ vindicatione in hæc Satanę mancipia; quantum in vnoquoque noſtrum eſt ſitum. horum morte legibus inflictâ nulla eſt ſalubrior afflictis victima. Neque hæc licita ſolum, ſed & tutiſſima via eſt: nam Diaboli ope haud vnquam Diabolus eijcitur, vt ait Chriſtus. Et medicina eiuſmodi ad tempus quidem leuauerit ægrotantem, tandem verò haud dubiè corpori animæque adferet interitum.

CAPVT SEXTVM.

Qui homines magis minuſq; veneficis obnoxij ſint. quæ illis in Magiſtratum poteſtas, aut in carcere. Cur illic Diabolus eos inuiſat. Cur variatâ effigie cum illis agat.

PHI. SEd quis audeat punire, ſi nemo ſecurus eſſe poteſt à maleficiorum portentis?

EPI. Non eſt deſerenda virtutis via, ſi prærupta videtur, & adſcenſu periculoſa. conſtat præterea Incantatorum iniurijs nullum genus magis expoſitum, quàm puſillanimos hoſce & exiguos fide, qui firmiſſimus eſt aduerſus hæc maleficia clypeus: minimum verò illis hominibus imminere periculum, qui maximum illis periculum creant; nulloque præmio induci poſſunt vt eorum vitæ parcant.

PHI. Ergo peſtilentiæ non abſimiles ſunt, qua nempe certiſſimè perit qui longiſſimè fugit; et diſcrimen minimè euitat, qui maxime metuit.

EPI. Ita eſt vt dicis. nam neque manus ſuas malè medicas poſſunt alicui admouere, qui eorum artibus non confidit, &, quod hinc ſequitur, animæ ſuæ ſalutem periclitatur: nec vllis nocere minùs poſſunt, quàm malarum eiuſmodi artium contemptoribus, fide tamen ſubnixis, non ſuâ arrogantiâ.

PHI. Sed quanta eorum eſt in Magiſtratum poteſtas?

EPI. Maior, minor, prout cum illis agit. nam in illos conniuentem

Digitized by Google

tem per illos punire poteſt Deus : at ſedulum vindicem, diuinoque & ciuili gentium iure Satanica maleficia perſequentem non patietur Deus Satanicâ fraude opprimi, & à bono opere abſterreri.

PHI. An verò iam deprehenſis & captis ſupereſt aliquis malæ artis vſus ?

EPI. Id ſanè pro ratione cuſtodiæ iudicandum eſt. nam ſi à priuatis hominibus, priuataſque ob cauſas detineantur, eadem eſt illis fugiendi nocendiùe poteſtas quæ prius. ſin à Magiſtratu aſſeruentur ob malæ artis conſcientiam, non maior illis poteſtas reſtat, quàm olim ante diſciplinam Satanæ illis fuit. Nam vbi Deus occæpit per vicarios ſuos eiuſmodi ſcelera punire, non eſt quod metuamus, ne vindicis ſceptri ſeueritatem Diabolus eludat.

PHI. An verò Satanas ad diſcipulos ſuos iam incarceratos nunquam viſet?

EPI. In ea re, miſerorum conditioni ſe accommodare ſolet: qui ſi factum mordicus negauerint, merebuntur datâ occaſione illius alloquium ; vt paulò erectiores vano euaſionis promiſſo lactet ; aut omnia deſperantes magis contriſtet, adque necem ſibi quoquo modo conſciſcendam impellat, qui plerumque eſt eorum exitus. Sin verò prioris vitæ pœnitentiâ ſcelera apud iudicem confeſſi fuerint, non patitur Deus Satanæ præſentiâ, aut allectamentis reſipiſcentes vexari.

PHI. Non eſt conſultum (vt video) eius vti conſilio. Sed libenter ſcirem, qua ſpecie incarceratos conueniat?

EPI. Variâ omnino, & vt aliàs cum eis agere ſolebat. Magi enim vt iam diximus paciſcuntur effigiem, quâ ipſis appareat: & tyronibus talem ſe ſiſtit, qualem requirunt figuræ. at coram his ineptis arbitrariam ſumit perſonam, vel eorum moribus aptiſſimam. nam in publico eorum conuentu varijs apparet varius ; quod ex confeſſionum diſcrepantia nobis enotuit. Etenim multiplicibus aëri impreſſis imaginibus ludificatur ſpectantes ; ſimplicioribus & idiotis terribilis, & deformis, vt metum ſui & reuerentiam incutiat: aſtutioribus non ita portentoſus, ne fœditate adſpectus ſtomachum faſtidientibus euertat.

PHI. At contingi non poſſet (quod tamen venefici fatentur factum) ſi aëreo ſe veſtiret corpore?

EPI. Ego de contactu parum in eorum confeſſionibus audiui ; quod tamen aut aſſumpto cadaueris miniſterio fieri poſſet, aut ipſo tactûs, vt visûs, ſenſu deluſo: res tanto artifici non ardua, quia ſenſuum organa ſuapte naturâ infirma, accedente naturali morbo, facilè abducuntur in errores.

PHI. Vnum tantùm ex te quærerem, Veneficiſne ſolis tum temporis cernatur Diabolus, an alijs quoque qui vnà ſunt in carcere?

EPI. Interdum id contingit, interdum ſecus, prout Deo viſum eſt.

CAPVT SEPTIMVM.

Duo Dæmonum genera in terris conſpicua. Cur alterum inter nos crebrius fuerit potientibus rerum Papiſtis, alterum Papiſtis eiectis. Negantes Dæmonum poteſtatem, negare poteſtatem diuinam, & erroris Sadducæorum reos eſſe.

PHI. LIceatne verò Satanæ aliorum in conſpectum venire, quàm diſcipulorum ſuorum, qui ſacramento ipſi addicti ſunt; exploſis præſertim iam aduentu Chriſti & abolitis oraculis, alijſque id genus fallacijs?

EPI. Etſi certum eſt orientis Euangelij luce pulſas fuiſſe craſſiores erroris Paganici nubes, non omnino tamen euanuiſſe impoſtores Spiritus quotidiana teſtis eſt experientia. Hoc autem obſeruandum eſt inter duo illa conſpicua eorum genera diſcrimen. Alterum, propagatis Euangelij radijs, albique equi victorijs (de quo Reuel. 6.) multùm impediebatur, & videbatur rariùs. hi quoties apparent, aut hominibus extrinſecus nocent, aut eorum corpora per vim poſſident. Alterum genus ex eo tempore inter homines frequentius, & ex malis artibus, de quibus noſtra eſt diſſertatio, notius eſt. Hoc nobis in Britanniâ vſu venit, quibus ſub Papiſmi tenebris plura cernebantur ſpectra, plures genij, quam quis fando poſſit expedire; nunc ita rari, vt vix toto ſæculo quicquam eiuſmodi inaudias. at eo tempore non ita crebra erant veneficia, vt noſtro, quo ſanè creberrima euaſerunt.

PHI. Quæ eius rei cauſa eſt?

EPI. Varia delicta variam à Deo accerſunt in nos pœnam. Patribus noſtris temporum & Papatus vitio craſſè errantibus, familiariter nobiſcum verſabantur Dæmones, ignorantiæ noſtræ nube ſepti, veluti *Lemures* aut *Manduci* infantibus illudentes. eiuſmodi nempe terriculamentis puerilem eorum temporum ridebant inſcitiam. Nunc autem religionis & doctrinæ integros, ſed vitâ rebellantes veritati meritò Deus caſtigat eo criminis genere, quod Samuel rebellionis nomine indigitat.

PHI. Sed cum de Spirituum apparitione loqui cœperis, illum obſecro ſermonem pertexe: multi enim hac tempeſtate mordicus id negant.

EPI. Quiſquis Diaboli poteſtatem neget, is haud dubiè, ſi liceret, diuinam quoque negaret. cùm enim Satanas Deo è regione aduerſetur, quâ, obſecro, ratione in Dei notitiam rectiùs peruenias, quàm notitiâ, contrarij? vt per huius poteſtatem, licèt creaturæ, Creatoris luceat potentia; per impoſturas veritas; per iniquitatem iuſtitia; per ſœuitiam miſericordia: & ſic in cæteris eſſentiæ diuinæ & qualitatum Diaboli. At nimis multos vereor ſupereſſe in orbe Sadducæorum diſcipulos, qui ſpiritus negent. horum errori reuincendo; vt vel maximè nulla alia ſubeſſet cauſa; Deus oculis noſtris conſpicienda Dæmonia iure ſuo nonnunquam exhibeat.

DÆMO-

Digitized by Google

DAEMONOLOGIAE
LIBER TERTIVS.

De Spiritibus qui homines vexant. epilogus operis.

CAPVT PRIMVM.

Quatuor esse Dæmoniorum genera: primum genus Spectra esse, & Vmbras mortuorum. quâ ratione te his expedias.

PHI. Erge itaque eâ in re quid verum putes, & quid fabulosum exponere.

EPI. In quadruplice differentiâ sunt Dæmones hi, in terras aduenæ, quorum operâ in diuexandis hominum corporibus vtitur Satanas. de insidioso animarum aucupio iam dictum est. Primum genus est eorum, qui ædes, aut solitudines infestant: alterum, qui homines, quibus se addunt ingratos comites, certis horis agitant: tertium, qui humanis se corporibus insinuant, quæ possidere dicuntur: quartum est erraticum, quod *Phariorum* agmen vulgò nominatur. De tribus primis, quomodo veneficis auctoribus homines aggrediantur, iam audiuimus: supereſt dicere, quomodo suâ sponte, non alieno scelere, ad nos veniant. Sed mihi hic præmonendus es, ne verborum specie deceptus, quod de quadruplici Dæmoniorum differentiâ loquutus sum, aliorsum accipias. nam reipsâ vnum tantum est eorum genus; verùm vt facilius mortalibus imponant, varijs se vestiunt figuris, variásque instituunt agendi vias, tanquam alij alijs naturâ forent probiores. Itaque (vt ad propositum reuerta) primi ordinis genios diuersis insigniebant nominibus antiqui, pro eorum ingenijs factísque. si ædes, quas frequentarent, vel horrore adspectus, vel fragore sonitus infestas redderent; *Lemures* dicebantur & *Spectra*. Si defunctorum specie se amicis sisterent, *mortuorum vmbræ & lares*. & innumera erant eiusmodi nomina pro agendi modo, vt in nostrâ quoque linguâ videmus obtinere. De hisce malis genijs certiores nos facit sacra pagina. Esaias Propheta, cùm cap.

13. &

13. & 34. Hieroſolymis minatur excidium, in ſolitudinem quoque vaticinatur vrbem eam abituram, *& in habitaculum vlularum, & Iim & Ziim*; quæ ſunt hebraïca horum Dæmoniorum nomina. Ideo autem frequentant Dæmones hæc ſola loca, vt fidem eorum, qui ibi manent, concutiant. à naturâ enim minùs metuimus comitati quàm ſoli; quod vafer hoſtis arripit vt momentum victoriæ, non aggrediens niſi infirmos. Ad hæc publicos Chriſtianorum cætus non patitur Deus viſibili huius impuri præſentiâ vel adſpectu traduci. Quotiescunque autem hoc hoſpite inquietantur ædes non deſertæ; aut craſſam arguit habitantium inſcitiam, aut aliud aliquod infame flagitium, quod Deus inſolito illo caſtigat ſupplicio.

PHI. Sed miror quomodo foribus & feneſtris (vt aiunt) clauſis domos intrent hæc portenta?

EPI. Introitus ratio mutatur pro ratione perſonæ, quam ſuſtinent. nam cadauer induti facilè ingrediuntur inobſeruati, & ſine ſtrepitu, apertis nempe forium valuis. at ſpirituali ſubſtantiâ exiles facilè ſe per aëris quæcunque ſpiracula penetrant in ędes. nam ſpiritus nullam habet quantitatem.

PHI. Anne autem impuris hiſce liceat ante reſurrectionis tempus defunctorum requiem ſollicitare? vel, ſi liceat, an tantùm in reproborum corpora (vt veriſimile eſt) hoc ius habeant?

EPI. Non magis turbat Diabolus quietem mortuorum, aſſumens ſibi ad tempus eorum cadauera, quâm venefici mutilantes, aut porci eruentes è monumentis. Nec quieſcere dicuntur in ſacris, quòd vno in loco perpetuò maneant; ſed quòd à laboribus & miſerijs tandiu ferientur, donec reſtitutâ animarum vnione ſimul æternam participent gloriam. Obnoxia verò Satanæ eſſe tam piorum, quàm impiorum cadauera, nihil abſurdi eſt, cùm nequeant, abſente animâ, vllo modo pollui. & probrum, ſi quod ſit illis à Satana illatum, quî poteſt eſſe maius ſuſpendio, aut decollatione, aliáue mortis cotumeliâ, quam pij ſæpenumerò patiuntur? Nihil enim eſt in cadaueribus fidelium naturâ ſuâ honoratius aut incorruptius, quàm infidelium, donec illa nouiſſimo die expurgentur ad gloriam. teſtatur multorum morborum fœditas, quibus in hac vitâ torquentur; & nos de obſeſſis & dæmoniacis loquuturi rem dabimus manifeſtam.

PHI. Sunt qui loca ſpectris infamia frequentaſſe dicuntur, nullâ re eiuſmodi auditâ vel visâ.

EPI. Credo equidem; quum non cuiuis arbitrarium ſit audire aut videre, ſed quibus, diuinâ voluntate diſpenſante, id permiſſum eſt.

PHI. At quibus demum rationibus eijci poſſunt ex ædibus ingrati hoſpites?

EPI. Duplex omnino eſt mali remedium: eorum nempe, qui infeſtantur

feſtantur ſeriæ ad Deum preces, cum Eccleſiâ coniunctæ : deinde vitæ prioris emendatio, expiatióque peccatorum, quæ hanc à Deo inſolitam peſtem attraxerunt.

PHI. Quid ſibi volunt hæ laruæ, cùm recens mortuos, aut iam morituros repræſentantes in conſpectum amicorum veniunt?

EPI. Peculiarem in noſtrâ linguâ tunc appellationem habent: & frequens erat inter gentes hæc Satanæ impoſtura, qua boni Genij famam venabatur, aut mortem amici prænuncians, aut defuncti voluntatem indicans, aut occultæ cædis rationem explicans, vt in hiſtoriâ Prodigioſâ legitur. ita ille homines veri neſcios fefellit. quin craſſioris cerebri Chriſtianis etiamnum illudit; non auſus periclitari apud cordatiores, qui benè norunt nec ad amicos reuerti ſolere defunctorum animas, nec à bonis Angelis eiuſmodi imagines vſurpari.

PHI. Nunquid de genere Spectrorum ædes infeſtantium ſunt noſtri Lycanthropi?

EPI. Vetus circumfertur de ijs & paradoxa opinio, ipſo quoque nomine *homines-lupos* Græcis ſonante. ſed (vt dicam ingenuè quod ſentio) ſi quid eiuſmodi olim fuerit, profectum arbitror ex copiâ atræ bilis; ex quâ etiam factum eſt vt nonnulli, vigilantes etiam, ſomniarint hydrias ſe eſſe, equoſue aut pecudes. eodem modo, vitiante, (vt arbitror) phantaſiam & memoriam maligno humore, & per incerta interualla exundante, miſeri lupos ſe eſſe crediderunt; eorumque etiam geſtus ſimulârunt, pedibus manibuſque incedentes, velut quadrupedes; fæminaſque & infantes hiante rictu petentes, vt voraturi; cum canibus denique mordicus certantes: & ſic brutæ conſuetudinis æmuli vt imaginationis vitio obbrutuiſſe videri queant: quod Nebuchadnezaris per ſeptem annos fatum erat. At quod adijci ſolet de duris & ſquamoſis exuuijs, quas habeant & recondant Lycanthropi; credo ab incertis rumoribus, vnde omnia mendacia, fluxiſſe.

CAPVT SECVNDVM.

De ſecundo & tertio geniorum ordine, quorum ille homines affectatur, hic corporibus ſe immiſcet. Ceſſantibus iam viſionibus, & prophetijs, ambos eſſe malos.

PHI. PErtexe nunc de cæteris geniorum ordinibus ſermonem tuum.

EPI. Duos ſequentes ordines eorum, qui homines extrinſecus ſequendo inquietant, & intrinſecus poſſidendo torquent, vnâ operâ expediam; cùm eædem ſint vtriúſque mali cauſæ eademque remedia.

PHI. Quales igitur ij ſunt, qui his affliguntur pœnis?

EPI. Aut rei ſunt grauiſſimorum ſcelerum, quæ horrendo hoc flagello

flagello Deus vindicat: aut fortè ingenij probitate pares ſunt optimis; quos tamen multas ob cauſas patitur Deus ſic exerceri, vt patientiam probet, zelum excitet, cæteróſque exemplo moneat ne nimium ſibi fidant; quum ex ijſdem conſtent elementis, fortè nihilo leuioribus inquinati peccatis; quemadmodum de ijs dixit Chriſtus, qui caſu turris Siloes oppreſſi fuerant: ſed potius vt diuinam celebrent clementiam, quòd, cum in eâdem fuerint causâ, non eodem puniantur ſupplicio.

PHI. Non iniuriâ, fateor, propter has cauſas permiſit Deus Satanæ ſic in homines graſſari: ſed cum in omni re ſatis conſtet Diaboli conſilium Diuino eſſe aduerſum, quem, obſecro, in ſcopum hîc collineat?

EPI. Duorum alterum ſibi proponit; nempe, vt eos, quos ſequitur obſidétue, obiectis periculis in certum vitæ diſcrimen adducat: aut, permittente Deo, corpora tormentis debilitet & morbis incurabilibus fatiget. Alter illius ſcopus eſt ipſius animæ interitus, dum tormentorum impatientiâ eos ad deſperationem aut blaſphemiam irritat, quod fecit Iobo. vel eâ lege abiturum ſe promittit, ſi Deo dixerint conuicium; quod paruuli confeſſione modò innotuit.

PHI. Tu quidem de ambobus generibus iunctim dixiſti, ego verò de vtroque ſeorſim nonnulla ex te petam. Conſtat eorum ſpirituum, qui homines ſequuntur, non vnum eſſe ingenium: maligniores alij, eos, quorum ſe faciunt comites, cruciant & diuexant; alij manſueti magis & beneuoli ijs miniſtrant, & ſi quod imminet periculum prænunciant. ſcire iam cupio, an vtrumque genus peſtiferum habendum, an poſteriores à Deo miſſi ſint ad tutelam (vt videtur) & cuſtodiam bonorum. ſcriptum enim eſt legiones *Angelorum à Deo mitti, qui vigilando tueantur electos.*

Gene. 32. 1. Reg. 6. Pſal. 34.

EPI. Non me latet origo illius erroris. à gentibus veri numinis ignaris profectus eſt: quibus ineptè perſuaſum erat vnicuique noſtrûm duos addi indiuiduos vitæ comites, genium bonum & genium malum (Græci εὐδαίμονα vocant & κακοδαίμονα) illum virtutis ſuaſorem, hunc vitij. Sed Chriſtiani (Deo ſit laus) in Cymmerijs humanæ opinionis coniecturis non ampliùs errantes, ſcimus nunc bonitatis fontem vnicum eſſe Deum; qui omnium bonorum nobis auctor ſit, quæ vel mente concipimus, vel manu exequimur: carnem autem noſtram eſſe & Satanam, qui nos trahant in diuerſa. Diabolus tamen, vt inueteratum illum gentium errorem in imperitorum animis confirmaret, durante Papatus cæcitate multorum ædes ſine maleficio frequentauit, ſedulus (vt videbatur) in ijs, quæ vſus domeſticus requirebat. hunc, antiquorum *Larem*, noſtri *Brunium* appellabant, hominis hirſuti effigie; quo hoſpite ædes ſuas credebant fortunatiores. eò ſuperſtitionis deuenerat inſcitia.

PHI. At Diabolo ſemper propoſitũ eſt malè agere. hæc autem ita ab omni malitiâ remota ſunt, vt nihil appareat quod nõ dixeris bonum.

EPI.

Digitized by Google

EPI. Numquid ſatis eſt nequitiæ, ſe pro Angelo lucis ignaris venditare, vt homines ſimplices & creduli iuratum Dei humaniq́ue generis hoſtem pro amico admittant? Nobis nihil certius eſſe debet, quàm poſt Chriſti aduentum in carne, & ſtabilitam Apoſtolorum operâ Eccleſiam, miracula deſijſſe, cum viſis, vaticinijs, & Angelorum bonorum malorumque apparitionibus. talia enim ad primam fidei ſementem & plantationem Eccleſiæ faciebant, quâ iam per EQVI ALBI victorias firmatâ, lex & Prophetæ nobis ſatis videri debent ad ſalutem: vel vt reddamur inexcuſabiles, vt Chriſtus in Lazari & diuitis epulonis parabola indicat.

CAPVT TERTIVM.

De Incubis & ſuccubis Dæmonibus. & cur illi in Barbaris, & Septentrione frequentiores.

PHI. VNus adhuc me torquet ſcrupulus de eodem genere ſpirituum. Noſti famâ ſcriptoque vulgari, inter malos genios, hominum ſequaces, genus quoddam eſſe cæteris impurius & obſcenius, eorum, quos comitantur, pudicitiam vitians. hîc primò ex te ſcire volo, an fieri poſſit quod fama dicit fieri: deinde verò, an inter ſpiritus ſint ſexuum diſcrimina?

EPI. Abominabiles iſti humanæ caſtitatis violatores pro ſexuum differentia, quibuſcum rem habent, antiquis *Incubi* & *Succubi* dicebantur. Poteſt Diabolus hoc flagitium duobus modis exequi; aut enim furtim exempto è cadauere ſemine feminas polluit, nullum interea corpus videntes nullum ſentientes, niſi quod ille impudens ijs indit in genitalia: vt de virginibus monaſterij cuiuſdam legimus, propterea quòd turpia à Satana paſſæ fuiſſent, crematis. aut ſanè ipſo aſſumpto cadauere, congreſſum viri nebulo mentitur. Quocunq; verò id fiat modo, certum eſt fœminas non ſine inſigni frigoris ſenſu ſemen illud ſuſcipere. ſi enim à viuo deciſum eſt, priùs vim omnem & calorem deperdit, quàm in matricem veniat: niſi verius eſt nunquam eas dotes habuiſſe, nempe expers agitationis, qua ſanè in congreſſu virili vis ſeminis calorq́ue excitantur. ſin è cadaueris hoſpitio ſemen in vterum infandus adulter eijciat, quid mirum eſt itidem frigeré, vt cadauer vnde deciditur? Quòd verò de Spirituum ſexu laboras ſcire, ipſa te doceat Philoſophia nulla eis eſſe ſexuum diſcrimina, quibus ad generationis neceſſitatem natura ſemen non dedit. at conſtat nobis non eſſe Spiritibus ſemen, cum nulla ſit generandi neceſſitas.

PHI. Quî fit igitur vt è Dæmonum congreſſibus confirment nata monſtra?

EPI. Aniles fabulæ ſunt; nec ſuo illis ſuppetente ſemine, & illo è cadaueribus

cadaueribus ad generationem inepto; cui nempe, vt ipsi cadaueri, omnis perijt vita,& naturalis calor, & plastica virtus. Quin si partus sequi posset,quod posse tota natura negat; non tamen monstrum nasceretur, sed talis planè soboles,qualem ex eâdem fœminâ genuisset homo viuus, cuius è cadauere semen exemptum est. nihil enim ad hoc negotium confert Dæmon, nisi quod ferat & infundat semen; vt scias nullam ab illo qualitatem participari. Potest quidem impostor ille, fœminæ,cui vitium fecit, vterum attollere, aut infarctis menstruis, aut herbarum ope, quod faciunt mendicæ; &, appropinquante tempore, concitare dolores partûs, similes omnino veris; tumque in manus obstetricis lapidem lignumúe indere, aut monstrum infantis aliunde aduecti. sed fama publica in his facilior est, quam fides mea.

PHI. Sed cur in Lappia, Finniaque, Orcadibusque nostris, & Scheticis insulis, & alijs Mundi regionibus agrestioribus crebrior est hæc Satanæ obscænitas?

EPI. Vbi crassissima est hominum ignorantia, ibi crassissima est Satanæ impudentia. & hac ratione ante confirmaui frequentiora esse in fœmineo sexu veneficia.

PHI. Sed an eo vsque miseriæ quæquam fœmina deueniat,vt libens volensque se Satanæ prostituat?

EPI. Res satis testata est Veneficarum confessionibus, non paucas ab eo exoriri ad stuprum; certè,vt detestando obsequio magis illaqueet miseras. Verùm vt raptas miseratione prosequi, & votis nostris; ita concubinas & scorta Satanæ seueriſsimè debemus vlcisci.

PHI. An autem *Ephialtes*, qui dormientes inuadit, est de genere spirituum, de quibus tibi sermo est?

EPI. Minimè gentium. est enim morbus è naturali ortus causâ: cui ab incubando ideo medici dederunt *Incubi* nomen; quia crassus humor, incidens in dormientium præcordia, respirationem impedit; & lassitudine inductâ,persuadet inscijs pondus inusitatum, aut spiritum incumbere, qui oppressos degrauet.

CAPVT QVARTVM.

De Dæmoniacis & possessis, qui fiat vt eos curent Papistæ.

PHI. OMnem mihi exemisti scrupulum de ijs, quos combinâsti, spirituum ordinibus. Nunc de vltimo illo dæmoniacorum genere duo mihi restant quærenda; quibus scilicet illi modis à phreneticis aut maniacis possint internosci: deinde quî fiat, vt ab hominibus, nostrâ opinione hæreticis, Papistis, interdum curentur; cùm verisimile non sit Satanam Satanæ ope expelli: tunc enim (quod Christus ait) regnum eius foret in se diuisum.

EPI. Varia

EPI. Varia ſunt omnino ſymptomata (vt ad primam quæſtionem reſpondeam) quibus hoc peſtis genus à naturali ægritudine diſtinguitur. ſed omiſſis Papiſtarum indicijs; quòd aquâ benedictâ aſperſi inſaniant; quòd à ſigno crucis retrorſum fugiant; quòd Dei nomen audire non ſuſtineant; & alijs huius farinæ, relatu non moleſtis minùs, quàm ridiculis: pathognomonica & vera huius mali indicia tria ſunt; nempe, corporis robur, ſupra quàm cuiquam credibile eſt, ad quod non facile acceſſerint ſex homines alio torti inſanię genere; deinde tumor ventris & thoracis immodicus, cum internis conuulſionibus, & ferreo neruorum rigore intenſioneque, & ſic quidem, vt nullâ arte in tantum extendi poſſet humana cutis. tam maligna eſt incluſi Dæmonis vis in obſeſſi membra & ſenſus, animâ intereà eiuſque affectibus ab obſidentis poteſtate exemptis. variarum denique linguarum, quas nullâ diſciplinâ hauſerit obſeſſus, expeditus vſus: ſed vox raucum & peregrinum ſonans; maiorque conatus in loquentis thorace, quàm ore. ab hoc ſymptomate exemptos volo, qui, paroxyſmi tempore, omni orbantur ſenſu, à muto cæcoque ſpiritu agitati, qualem Chriſtus eiecit Matth. 12. Quod ad ſecundam quæſtionem attinet, de Papiſtarum aliorumùe hæreticorum miraculis; primò res admodum incerta eſt; deinde, ſi vera ſunt, vix conſtat quâ fieri poſſint ratione. Quidni enim de illis iure dubitemus, an facta ſint; cum ſciamus, quæ nunquam facta ſunt, innumera ab illis miracula venditari, vt hac fraude labentis Eccleſiæ ſuæ fulciant putredinem? Deinde verò experientiâ compertum eſt paucos liberari omnino Dæmonijs, qui iſtorum operâ curati ſunt; Satanâ tantùm ad tempus torturam & carnificinam intermittente, vt in Pontificiam hæreſin per falſa miracula alios alliciat, alios in eâdem confirmet, omnes ſuperſtitione captos in æternum animæ periculum inducat; eâdem fraude, quâ ante dicebamus morbos Veneficarum operâ curari. Sin aliquando eueniat, vt à Papiſtis eijciantur Dæmonia (quod ego, ſaluâ eruditorum contrà ſentientium reuerentiâ, veriùs exiſtimo, publicantibus ſcilicet rumorem orthodoxis hominibus, oculatis rei teſtibus) tum verò aio his de cauſis eam poteſtatem Papiſtis poſſe competere. Chriſtus Apoſtolis ius hoc dedit in Dæmones, imò verò mandatum; quod illi, vt par erat, iugiter exequuti ſunt. præſcribebantur illis ante miraculum preces & ieiunium; deinde verò vt miraculum ipſum eius nomine peragerent. Nulla igitur in illis erat hæc virtus, ſed in eo qui mandauit: res in Iudâ proditore nimis manifeſta, cui eadem erat cum cæteris poteſtas credita. Cum itaque precibus & ieiunio, diuinique nominis inuocatione eijciantur Dæmonia; licet ſuis non careant næuis, quorum vicariâ operâ Deus eâ in re vtitur, vt in Pſeudoprophetis apparet, quibus ipſe Chriſtus poteſtatem hanc diſertis verbis tribuit: quid mirum eſt Papiſtis idem ius eſſe, ſi modò præſcriptam à Chriſto rationem obſeruent,

ſeruent, licèt in multis Chriſtianæ religionis articulis hallucinentur? Sicut enim Baptiſmum non vitiant eorum in Sacramento Euchariſtiæ errores, vel additæ ipſi Baptiſmo quiſquiliæ & nugæ; ſic eorum in alijs rebus errores nihilo facient hunc actum deteriorem.

PHI. Hoc certè mirum videtur permittere Deum, vt Satanæ hoſpitio dehoneſtentur corpora fidelium.

EPI. Hoc eſt, quo meam de aſſumptis fidelium cadaueribus ſententiam probari modò dicebam. Nam ſi illi ius ſit viuorum corpora inuadere, animæ vnita; quanto magis per Deum licebit cadauera ripere, non iam hominem, ſed putrem hominis cápſam. *Nihil*, enim, teſte Chriſto, *hominem intrat, quod hominem inquinat; ſed quod de homine egreditur, id demum inquinat.*

Mar. 7.

CAPVT QVINTVM.

De quarto Phariorum agmine. quid ibi verum, quid apparens. Quouſque de rebus his agat Dialogus noſter, & cui bono.

PHI. REſtat iam de quarto Spirituum genere diſſeras.

EPI. Hic ille eſt erraticus Dianæ comitatus, à veteribus celebratus; noſtratibus *Pharij* dicuntur, & *Boni Vicini*; quo nulla crebrior ſub Papatu Satanæ impoſtura. quanquam enim Diaboli ope futura prædicere etiam tum nefas erat, qui tamen ab his auecti erant fortunatiſſimi probiſſimiſque mortalium habebantur. Ego fabulas hinc natas, de *Phariorum* rege & regina, de aula illa nimis feſtiua, & comitatu; & quòd decimas quaſdam ſuas prouentúſque annuos ex ſingulis rebus perceperint; quod equo, pede mearint commearintque, ederint, biberint, cæteráque fecerint, humano prorſus more; & eius farinę cætera commenta, Eliſijs Virgilij campis quàm veritati ſimiliora, ijs credenda relinquo, qui Chriſtiana non ſunt imbuti fide: etſi (quod antè monui) ita poſſit Satanas ſimplicioribus illudere, vt hæc & ſimilia, quæ nunquam fuerunt, & audiuiſſe & vidiſſe ſe putent.

PHI. Quî igitur factum eſt, vt tam conſtanter & ad mortem vſque confeſſæ ſint veneficæ, à *Pharijs* ſe auectas ad montem quendam veniſſe, quem, terrâ dehiſcente, ſubeuntes *Phariorum* reginam viderint, recens etiam enixam; vnde lapidem acceperint varijs præditum virtutibus, quem ſæpenumerò conſtat in iudicijs publicis apud nos exhiberi.

EPI. Dè his idem ſentio, quod priùs de Satanæ ecſtaticis, alto ſopore ſtupefactis ſenſibus phantaſiæ obijci montes domóſque, atque adeò omnem imaginariæ aulæ magnificentiam, & cætera impoſturæ ludibria; indi interea lapidem iſtum in ſomniantum manus, quem videntur ſibi miſeri apud *Pharios* aceepiſſe.

PHI. Quid verò, quod nonnullorum, quos ibi ſe vidiſſe autumant, mortes

mortes certò prædicunt? hoc verum ſanè inſomnium eſt, quod & vigilantibus ſibi aiunt videri.

EPI. Obtuſiùs mihi videntur philoſophari, qui eam reddunt diuinationis huiuſce rationem: nec apparet cur non æquè poſſit Dæmon illis futura prædicere, dum phantaſiæ illudit; ac aliàs, dum ſine fuco cum illis verſatur. Iſta igitur vaticinia nihil aliud ſunt quàm mania viſa, quibus Satanas, Dei æmulus, ſuam inter gentes (vt ante diximus) tuebatur dignitatem.

PHI. Iam cupio ſcire, an ſolis Veneficis hoc Cacodæmonum genus appareat?

EPI. Nonnunquam etiam poterunt in conſpectum fidelium ſe dare; vel terroris gratiâ; vel vt probitatis ſimulatione malam de ſe hominum opinionem eleuent. Veneficis autem innocentiæ prætextum ſuggerunt, quo apud ignarum Magiſtratum declinent pœnam, vt ante indicaui. Sed vt bonorum iniquiſsimam vexationem miſerationè proſequi debemus, ita horum improbitas (quos vaticinandi fiduciâ facilè dignoſcas) eandem cum cæteris veneficis meretur pœnam, fortè etiam maiorem, quia probitatem ſimulant.

PHI. Vnde verò iſta in Spiritibus nominum varietas?

EPI. A Satanæ nequitiâ. hac techná ille Necromantis imponit, aſſumptis ſibi & commilitonibus Angelis innumeris nominum titulis. *Satanam, Belzebub, Luciferum,* tres eſſe mentitur ſpiritus: quorum duo priora nomina rebellium Angelorum Principi tribuit Scriptura; quemadmodum Dæmonum Princeps Belzebub dicitur Chriſto, eo in loco, quo oſtendebam modo Dæmonia non poſſe ab hæreticis eijci. & Iohanni in Apocalypſi vetus ille tentator vocatur *Satanas*, malorum Angelorum Princeps. At in nomine *Luciferi*, crebrò in ſacris vſurpato, metaphora eſt à Phoſphoro, propter Satanæ excellentiam ante lapſum. Quin & Veneficis eâdem nominum varietate dat verba Diabolus; tanquam aliùs atque alius foret ſpiritus, quotieſcunque illi viſum eſt nouam laruam aſſumere.

PHI. Sed ego de *Pharijs* alia multa & mira ſæpe audiui.

EPI. Quam ego mihi viam in reliquo ſermone propoſui, eandem hîc teneo: quoniam enim colloquij noſtri occaſio ex tuâ illâ quæſtione profecta eſt, an forent venefici, & ſpiritus; & an vllam poteſtatem haberent; eò ſermonem meum omnem intendi, vt & eſſe & poſſe confirmarem; non pluribus adductis exemplis, quàm poſſe fieri per rationem demonſtrarem. nihil vltrò conor; multò minus, vt eorum omnium, quæ audiui hac de re vel legi, tibi commentarium exhiberem; quo nec fidem apud æquos rerum æſtimatores mererer, nec tam malas artes reprehendere (quod Chriſtiani hominis officium eſt) quàm docere & tradere viderer.

Caput Sextum.

De examine & pœnâ Veneficorum. quibus testibus possint conuinci. cur crescat hoc sæculo eorum numerus.

Phi. VT igitur, iam die in vesperam inclinante, finem faciamus; quo supplicio puniendi sunt Magi, & Venefici? nam video tibi æquè esse vtrosque reos.

Epi. Nempe ex iure diuino, & ciuili, & omnium Christianorum municipali, multandi sunt morte.

Phi. At quâ morte?

Epi. Passim obtinuit, vt crementur. quanquam in hac re sua cuique genti permittenda est consuetudo.

Phi. Nullum autem sexum, ætatem, ordinem morti eximis?

Epi. Nullum planè; modo à Magistratu id fiat. est enim supremus Idololatriæ gradus, in quo qui deprehensus est diuinâ lege nemo excipitur.

Phi. Ergo neque pueris ipsis parcendum putas.

Epi. Absit verò: nam eorum captum superat illiùs improbitatis exercitium. societatem verò vel taciturnitatem tenella rudisque ætas excusabit.

Phi. Conscios igitur quoscunque condemnas?

Epi. Haud dubiè. nam vt ante de Magiâ dixi, qui consulunt hos artifices, patrocinantur, conniuent, hortanturúe ad hoc nefas; in eâdem sunt causâ cum his, qui faciunt.

Phi. Nunquid igitur Principi, vel ei cui est potestas summa, graues ob causas hîc licebit conniuere, vel etiam alicui parcere?

Epi. Licebit sanè, inquisitionis causâ, quandiu oportunum ei visum erit pœnam differre. at verò penitus auferre, vel quem Deus ferit non ferire; non modò non liceat, sed par omnino sit flagitium cum *Saulis* in *Agabum* lenitate, nec leuius ipso veneficij crimine, vt tum Samuel monebat.

Phi. Cum igitur tam atrox sit huius sceleris pœna; etiam atque etiam videndum est iudici, ne quem nisi noxium condemnet. nec opinor in causâ tam graui pro testimonio sufficere vanissimam garrulæ anus vocem.

Epi. Videndum sanè: nam Salomone teste *par crimen est innocentem damnare, & nocentem absoluere.* Nec infamis personæ testimonium, idonea habetur in iure probatio.

Phi. Quid si plures eiusmodi testentur aduersus vnum?

Epi. Apud nos quidem duodecim iuratorum arbitrio res ea deciditur. At cùm in læsæ maiestatis crimine pueri, fœminæ, infames non repellantur à testimonij dictione; multò minùs in diuinæ maiestatis iudicio,

Digitized by Google

iudicio, mea ſententia, repelli poterunt. quorum etenim niſi Veneficorum teſtimonio deprehendentur Venefici?

PHI. Credo equidem viros probos ab illis in conſilium non adhiberi. at quid ſi imaginarijs interfuiſſe conuentibus nonnullos aſſeuerent, quo tempore ipſi erant ecſtatici, vt tu ante confirmabas?

EPI. Et illos aio pro noxijs habendos. eorum enim imagines, niſi conſentientibus ipſis, non mutuatus fuiſſet Satanas ad nefas. at lex conſenſum morte punit.

PHI. Ergo Samuel veneficus fuit. nam eius effigie vſus eſt Satanas: eiuſque perſonam egit reſpondens Sauli.

EPI. At enim Samuel diem ſuum antè obierat: proindéque à ſuſpicione malæ artis, ſi quiſquam, remotiſſimus. Non vult autem Deus, vt Satanas in flagitioſis illis conuentibus mentiatur innocentium imagines, ne immerita ſcilicet, fædæ Apoſtaſias infamia onerentur. tum enim etiam aduerſus optimos non deeſſet hoſti calumnia. Quod in ijs, qui à *Pharijs* dicuntur auecti, manifeſtò probatum eſt. hi enim neminem in ea aula ſe fatebantur vidiſſe, qui non poſtea iudicio publico veneficij compertus fuit: res nuper explorata puellæ confeſſione, quam ſagarum malignitas malis genijs exterruerat. hæc etſi varias vtriúſque ſexus imagines conſpiceret, à quibus vexabatur; omniumque nomina indicaret, quorum eæ erant imagines; nemo tamen eorum deprehenſus eſt innoxius, ſed nonnulli manifeſtâ ratione, pleriique autem ſuâ confeſſione damnati. Rarum quoque & inuſitatum arbitror, vt quiſquam à Veneficis conſcius nominatus fuerit, quem præſertim ſuis ſe oculis vidiſſe affirment in conuentibus Satanæ; qui non poſteà aut malæ artis reus peractus ſit, aut, eo crimine non perſpicuè demonſtrato, impiæ & infamis vitæ conuictus. tam ſollicitè hic Deus patrocinatur innocentiæ. Adhæc, duo ſunt non inepta huius examinis ſubſidia: prius eſt, nota Satanæ in corpore inuenta, partíſque notatæ ſtupor; poſterius eſt, eorum in aqua fluctuatio. Nam vt in homicidio occulto, ſanguis è cadauere, tangente homicidâ, erumpit, quaſi cælitus poſcens vltionem; quod Deus præter naturæ ordinem voluit eſſe ſecretæ immanitatis indicium: ſic non naturæ ope, ſed diuinâ voluntate inſtitutum videtur prodigioſę in Veneficis impietatis ſignum, fluctuatio hæc: tanquam aqua ſuum in ſinum eos non admitteret, qui excuſſâ baptiſmi aquâ ſe omni illius Sacramenti beneficio vltrò orbárunt. Quin nullis minis, nullis tormentis vnam illis lachrymam exprimas, donec pœnitentiam ceperint agere; Deo ſcilicet non permittente, vt fœdiſſimi criminis pertinaciam diſſimulent: quanquam notum ſit fœminis præſertim fluere ad imperium lachrymas, etiam falſas fictáſque; vt de crocodilo adagium obtinuit.

PHI. Diem iam noſtro hoc colloquio exeminus, & nunc digrediendum eſt nobis. itaque Deum Opt. M. precor, vt Diabolicas artes

hoc tempore inter nos quàm vnquam aliàs frequentiores expurget, proſcribat, aboleat.

EPI. Faxit Deus. at cur inter nos ita gliſcant hæc maleficia, prima ſanè cauſa eſt populi improbitas, quæ horrendam hanc apoſtaſiam ceu pœnam accerſit à Deo, qui noſtra flagitia iuſtè vindicat maiore flagitio.

Huc accedit mundi conſummatio, electorumque ſalus iam in propinquo; quibus Satanas breuis ſui regni conſcius magis magiſque in membris ſuis efferatur.

VALE.

ΒΑΣΙΛ.

ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ ΔΩΡΟΝ,

SIVE DE INSTITVTIONE PRINCIPIS AD HENRICVM *FILIVM.*

REGIS AD FILIVM EPIGRAMMA.

IVre vocat Deus ipſe Deos, ſceptriq; throniq;
Participes quos ipſe facit: quò iuſſa capeſſat
Regalemq; apicem veneretur ſubditus orbis;
At ſeruire Deo regum ſit maxima cura.
Quod ſi, nate, cupis populo cum laude præeſſe,
Diſce ſubeſſe Deo: quas noſtro iniunxeris orbi
Has leges accerſe polo; moderaris habenas
Non tu, nate, tuas, ſed ſummi auriga Tonantis.
Illius exemplo rectis da præmia, curua
Dirige ſupplicio; iuſtum verumq; tuere.
Quicquid agas, age teſte Deo, qui vindice dextrâ
Cuſtoditq; pios, perditq; oditq; profanos.
Dotibus his, fili, verè regalibus auctus
Cœleſtem referes hunc, qui regit omnia, Regem.

FILIO

FILIO MEO CHARISSIMO ET HÆREDI : HENRICO.

Vi æquè debeatur noſtra hæc Principis inſtitutio, quâ & Chriſtiani hominis in Deum, *& Regis propria in ſubditos officia cum laude exequaris; cui, inquã, charißime fili æquè ac tibi debeatur? te etenim filium mihi natu maximum, & coniugij mei,* Deo *largitore, primitias, probè & piè educare paternæ eſt meæ curæ: regiæ verò, etiam regijs artibus hæredem meum tempeſtiuè inſtruere; vt oneris grauitate præceptâ iam incipias cogitare, regno natum oneri potius natum eſſe quàm honori: neque ſic alijs anteſtare te dignitate, vt aßiduis & periculoſis laboribus, in eâ prouinciâ, quam tibi* Deus *Opt. Max. demandauit: vt ita dignitatem muneris & grauitatem oneris æquali lance compenſes; tum ſi olim (quod* Deus *omen auertat) illo faſtigio excideris, ex honoris celſitudine caſus magnitudinem eſtimes. Itaque vt memoriæ tuæ rectiùs conſulam; & quicquid repertu opus eſt ſine morâ euoluas, tractatum hunc in tres partes diſtinxi.* Prima *te Chriſtianâ pietate inſtruit in* Deum: ſecunda *verò regiâ prudentiâ in ſubditos:* tertia *denique, vt te gerere debeas in rebus adiaphoris, quæ, ſuapte quidem naturâ mediæ, ex vſu intelliguntur bonæ, ex abuſu malæ; at validæ in vtramque partem,*

prout

prout scilicet in ijs te gesseris, ad opinionem Principis in populo eleuandam, augendamue. Accipe igitur librum hunc, & tanquam præceptorem & consiliarium fidum amplectere, quem, quoniam mihi ipsi per occupationes semper adesse non licet, assiduum tibi monitorem esse volo: &, quùm hora mortis mihi vt cæteris incerta sit, pro testamento & suprema voluntate *haberi. tibique coram* Deo *& per patriam potestatem præcipio, vt non minùs tecum circumferas, quàm Alexander ille Homeri Iliada. Consiliarium inuenies & iniustitiâ & affectu vacuum, qui nec malè agenti adulatur, nec alieno tempore molestus sit. non accedet nisi vocatus, nec loquetur nisi interrogatus. & si sermones cum eo quoties vacat contuleris, dices cum Scipione, nunquam te minùs solum esse, quàm cum solus es. Itaque, si tibi à patre cupias benedici, etiam atque etiam vide, vt hæc præcepta pro virili parte exequaris. sin ab ijs olim deflexeris, hic liber aduersus te testimonium dicet; & in cælis ratas faciet diras illas, quibus ego te deuouero. nam (Deum testor) malo nullos mihi esse liberos quàm improbos, sed lætiora ominor, mihique spondeo te diuinâ benignitate, vnde mihi filius datus es, probum quoque piumque filium obuenisse, nullâ* Deo *obreperente benignitas suæ pœnitentiâ. Quem ego supplex veneror vt meam in te benedictionem, mi fili, ratam faciat. Vale.*

Tui amantissimus pater

I. R.

PROÆ-

Digitized by Google

PROOEMIVM AD LECTOREM.

EX aureis ſententijs, quas Chriſtus Saluator Apoſtolis ſuis loquutus eſt, hæc vna eſt; nihil latère quod non ſit reuelandum, nec abſcondi quod non ſit cognoſcendum: & quicquid in tenebris quis dixerit id audiendum in luce, & quod in aurem quis muſitauerit, id palàm in culminibus domorum prædicandum. *quæ ſententia, quum à fonte omnis veri & ab ipsâ veritate profecta ſit, fieri certè non poteſt, quin vera ſit. Quo magis viros bonos omni ope decet inſpicere, & quid occultiſsimè egerint, & quibus modis, quod cupierunt, effecerint. nam parum refert ſcopum etiam rectiſsimum proponere, niſi rectam quoque lineam & viam, quæ eo ducat, elegeris; quæ ſi praua fuerit aut obliqua, totus actus cum auctore deboneſtabitur. etenim in ipſis arcanorum noſtrorum receſsibus nihil eſt omnituenti numinis oculo impenetrabile; cui cogitationum noſtrarum tenebræ, etiam denſiſsimæ, pellucidæ ſunt.*

Cæterùm vt de humanâ communiter, ita de vitâ regiâ hoc propriè intelligendum venit. nam & auctoritate & officio publica eſt Regis perſona; & tanquàm in ſcenâ populo expoſita, defixis vndiquaque in illum ſingulóſque eius geſtus & motus ſpectatorum oculis. quo maiore curâ reges incumbere oportet, ne quam in animum cogitationem admittant, cuius olim eos pudeat in publicum prolatæ. nam tempus veritatis mater *certo certius aliquando pariet. Id mihi quoque in hoc regiæ vitæ ſtadio non ſemel contigit, licèt nunquam meo cum probro. Deo ſit laus, qui mihi dedit ſuo in conſpectu viuere, & intimas cogitationes antequam proferrem ſic expendere, vt publici examinis ſeueritatem olim non deprecarer. Cæteris autem arcanis meis præter opinionem vulgatis iure annumero hoc* Baſilicon doron; *ſcriptum à me & ingenij exercendi ſtudio, & filij erudiendi, quem mihi natu maximum Deus, vti ſpero, ſolij hæredem deſtinauit. Nam quum hic de Regis officio libellus nemini niſi Regi conueniret; & regius quoque hæres eſſet, cui pro monitore & conſiliario datus eſt; dedecere exiſtimaui, vt aut publici iuris fieret, qui erat vnius, & inter tam coniunctos internuncium agebat; aut archetypus, ad quem olim filij mores effigiandi erant, longè antè populo proſtitueretur, quàm filius per ætatem & cernendæ hæreditatis tem-*

pus

pus eo uti posset. Itaque ut occultior foret, typographo, taciturnitatis iureiurando prius obstrictō, non ultra septem exemplaria permissa; quæ inter ministrorum fidissimos ideò uolui distribui, ut nonnullis iniuriâ temporis fortè intereuntibus, unum certè uel alterum mihi superstes fieret, unde candorem meum paternúmque affectum & curam filius olim cognosceret. Nunc quum præter consilium & opinionem meam liber hic è mea potestate euaserit, iam omnium censuræ factus obnoxius, acerbæ, beneuolæ, ut suus quemque affectus trahit; cogor sanè, tum ut hominibus maleuolis obuiàm eam, qui uesparum more ex optimis herbis uenenum sugunt; tum ut probis quibusdam satisfaciam, qui quædam non capiunt satis; & uera huius libri exemplaria edere, quorum auctoritate quæ iam uulgata sunt labefactentur; & hac præfatione clariora facere, quæ, ob breuitatem dictionis, aliorsum atque ego uolui accepta sunt.

Duo sunt autem quæ ab hominibus maleuolis in meo libro carpi, & à probis minùs rectè capi intelligo. Alterum & præcipuum est, quòd ex nonnullis in eo locis dubitatio oriri uideatur de synceritate religionis, quam inde usque à teneris annis constanter professus sum. Alterum uerò, quod alicubi uidear occisæ matris iniuriam altâ mente reponere, & uindictam aduersus Angliam aut quosdam in eâ optimates meditari.

Prior calumnia, quâ nulla grauior, inde nata est, quòd paulò Puritanorum, & præcipitum quorundam concionatorum, ingenia moréſque acerbiùs paulò & satyricè depinxerim: qui laudi sibi ducunt Reges habere aduersarios, omniáque humana & diuina in Republ. miscere. Posterior uerò ex eo, quòd seuerè filio interdixerim, ne uel audiat uel ferat iactata in parentes & auos opprobria: fidissimos enim mihi in omnibus aduersis extitisse (nam hoc exemplo usus sum) qui fidem datam Reginæ matri nunquam fefellissent. Verùm candidus lector ex formâ materiáque operis facilè iudicabit, quantum mihi in utraque calumniâ oblatum sit iniuriæ. Nam in primâ parte, quæ agit de Regis pietate in Deum, tam syncerè religionem meam professus sum, eam nempe in quâ eductum atque edoctum me disertis uerbis testatus sum, quamque ut uerissimam & æternam Diuini cultus rationem filio commendaui; ut nec Momum ipsum, si ab inferis excitatus esset, inuenturum hîc credidissem, quod carperet. ita meo candore obturatum sperabam os inuidiæ. nisi fortè dicturi sint me mihi esse contrarium, quod professò in tantillo opere nimiam argueret & iudicij & memoriæ debilitatem. Secunda autem libri pars est in iuris & iustitiæ administratione. Tertia in rerum mediarum disciplinâ; quo nempe fœdere harum usus cum internis animi uirtutibus maritari debeat, ut interpretum uice fungantur, & abstrusum mentis habitum illis saltem aperiant, qui interiorem hominem inspicere nescij ex specie illum æstimant, quæ in sensus incurrit. Itaque uel sola libri methodus accuratius paulò considerata facilè priorem illam & longè grauissimam de religione calumniam expurgat; siquidem in primâ parte, ubi ex professo de religione agitur, sententiam meam sine ullâ circuitione eloquutus sim. Alibi autem, ubi mihi de ciuili gubernatione sermo est, non religio, sed mores & ingenia Puritanorum

notantur;

notantur; & quæ pœnarum exempla in eos ſtatui oporteat, cùm leges & ſupremi magiſtratus authoritatem contemnunt. Verùm vt contra omnia liuoris tormenta murum mihi excitem aheneum; ipſa verba, vnde tanta illis bilis commota eſt, excutere & examinare libet, ne qua in poſterum ſcandali materia hominibus maleuolis ſuperſit.

Ad nomen ipſum Puritanorum quod attinet, non diffiteor, tituli iure, infami Anabaptiſtarum ſectæ deberi, quæ Familia amoris *vocatur. hi enim ſe puros arbitrantur & quodammodo vacuos peccato; ſe eſſe veram Eccleſiam, ſolóſque dignos Sacramentis; cæteros verò mortales execrabiles eſſe, & Deo inuiſos. & de hac ſectâ præcipuè intelligi volo, quæ de Puritanis dicta ſunt. E quo genere nonnulli in Scotiam aliquoties venêre, nominatim* Brunus *&* Penrius, *vt ſuis zizanijs ſegetem Domini contaminarent. atque vtinam ex eâ ſemente nulla nobis meſſis metenda foret. Verumtamen eos quoque hoc titulo inſignimus, qui quùm illius ſectæ nomen reſpuant, eorum tamen moribus & erroribus affines ſunt. quales ſunt male ſani & vertiginoſi concionatores, eorum diſcipuli; qui magiſtratus contemptu & ſomniorum ſuorum & reuelationum credulitate communem Anabaptiſtarum regulam ſequuntur: propriam verò* Familiæ *diſciplinam in multis alijs æmulantur.* Nam prophanos æſtimant quotquot in eorum verba non ſunt iurati: & de minimis Politiæ eccleſiaſticæ quæſtiunculis tantum excitant turbarum, ac ſi de ſacroſanctâ Trinitate ageretur. conſcientiæ ſuæ Scripturam accommodant, non Scripturę conſcientiam: quiſquis minimum alicuius nugamenti apicem negauerit, ſtatim audit Ethnicus & publicanus, ipſo ſpiritu nedum ſacramentorum communione indignus: ſatius eſſe Regem legem, gregem pedibus conculcari, quàm horum quicquam attingi: & bellum ſacrum ex eiuſmodi cauſis excitatum impiæ paci eſſe præferendum. quin Chriſtianis Principibus non modo reſiſtendum, ſed pro illis ne orandum quidem eſſe. Orationem enim ex fide eſſe; at eorum conſcientijs iam eſſe reuelatum eiuſmodi preces Deo curæ non eſſe. *Penes lectorem eſto iudicium, an illius ſectæ nomen illis immeritò communicem, cuius errores imitantur. quid enim pudeat in nomen tranſire, quorum in familiam tranſiſſe non pudet? Hoc genus hominum ſeueriùs in libro meo perſtrinxi; adeóque filio meo, quoties legum authoritatem contemnunt & à ſeditionibus non abſtinent, cenſui puniendos. in quos eam quoque ob cauſam acerbius inuectus ſum, quòd multos famoſos libellos & probra ſparſerint in vulgus, non modo Chriſtianis Principibus contumelioſa, verumetiam noſtræ religioni, cuius prætextu edita fuere: quæ cum à Papiſtis duntaxat refutata ſint, qui eâ occaſione religionem quoque ipſam incurſant; non ſublata ſed geminata fuit ſcandali indignitas. Quod ad cæteros concionatores attinet, alioſue etiam, quibus ſimplex illa noſtræ Eccleſiæ politia Anglicanæ ceremonijs præfertur;* quibus Epiſcopalis dignitas Papalem faſtum redolet, & pileus quadratus & ſuperpellitium, & id genus alia, Papatus inſignia videntur; *hos (teſtor honorem meum) nunquam intellexi. imò verò tantum abeſt, vt de talibus rebus, quas ſemper adiaphoras æſtimaui, rixandum*

putem; vt vtriusque partis eruditos & graues assertores pari bonore & amore prosequar. Non nostrum est inter eos litem tam veterem componere. de fundamento fidei per Dei gratiam inter nos conuenit. Et ex polemicâ hac partium acerbitate pax Ecclesiæ turbatur, & schismatis occasione Papistis aperitur ianua, quâ redeant. Vna tamen his cautio est atque prouisio, vt suarum quisque opinionum conscientiâ domi & apud se contentus sit; neque in publicum, vbi legibus contrarium definitum est, eas producant; nedum vt pertinacitâ suâ schismatis aut seditionis in populo authores esse velint; sed legibus & patriâ consuetudine acquiescentes modestiæ & pacis studeant, & rationum momentis aut suam sententiam cæteris persuadeant, aut si alteram partem fortiorem senserint, positis opinionum præiudicijs, ne erubescant accedere.

Hic sensus ex meo libro colligendus erat, sine vllâ religionis meæ aut remissione aut rimâ, quemadmodum ex eo loco patet, vbi indicatis Ecclesiasticæ nostræ politiæ vitijs, filium hortor, vt bonis viris è Ministerio, de quorum apud nos frequentiâ Deo gratias egi, munificus esse velit: *hos tamen omnes Ecclesiæ Anglicanæ ritibus aduersari in confesso est. Quin tantum abest vt religionem vllatenus velim corrumpi, vt filium iubeam in Ministris ecclesiæ designandis sedulò prouidere, ne qua in receptam politiæ formam corruptela subrepat. Neque vniuersum Ministrorum ordinem vel Ministerium aliquando in crimen vocaui, sed* quosdam è Ministris, *quæ loquendi forma per totum illum librum mihi vsurpata est. Sed quæ, obsecro, vel Momo teste, est illa religionis [illegible], cùm filio multa denuncio incommoda, si fortè mihi superstes coniugem duxerit alterius religionis: quanquam profectò tam infrequens est Principum nobis consentientium numerus, vt haud facile sit illi prospicere de pari.*

Quod ad aliam illam calumniam attinet, quòd vindictam aduersus Angliam aut quosdã in ea Optimates ob maternam iniuriam mediter; *satis mirari non possum, vnde rei tantæ illis sit orta suspicio. Nam eo in loco Anglia nec disertis verbis mihi nominata est, nec tectis adumbrata: at Scotos mihi in mente fuisse, vel ex hisce verbis satis apparet, quibus eam disceptationis partem sic fere concludo:* me filij amore eo prouectum, vt quod sentio eloquar sine ambage: dum enim syncero veritatis indicio apud filium defungerer, quid rebellionum artifices aut patroni sentiant, parum referre. *quomodò, obsecro, hic intelligi possint Angli, qui vbi nullum debebant obsequium, maiestatis aut rebellionis rei esse non poterant? in memoriâ teneo illud Reginæ Angliæ, dum inauguraretur, scitissimum & vere regium apophtegma. Sed quid multis opus est, cum ex ipsius loci instituto facile appareat nullam aliam mihi mentem fuisse, quàm filio præcipere,* ne probra in maiores suos dici pateretur: *cui præcepto firmando meam de Scotis experientiam adiunxi; sic tamen, vt nullum iniunxerim vindictam. Quod si scelus Macedonica simplicitate scelus dixerim, non ideo retractata intelligitur concessa semel sceleri venia. Matri ego meæ vno gradu proximior sum quàm meus filius: nec ita adhuc mihi ipse vilesco, nec ita senio inualidus sum, vt Dauidicum testamentum condere necesse habeam: quin hastâ quàm pennâ iustam vindictam scribere magis regium semper æstimani. Sed*

ui. Sed nolim esse in re ingratâ prolixus : tantum voueo, vt ex præteritæ vitæ factis metiantur homines consilia futuræ.

Sic refutatis calumnijs, quantum satis est apud viros probos, inuidis autem relicto veneni sui pabulo; benignum lectorem obsecro, vt mentem meam hoc in libro benignè interpretetur. Non sum nescius, quanto illius desiderio plerique huius Insulæ homines flagrârint, dum alij, aut propter honestam quam de me opinionem conceperant, aut familiaritatis iure amici, studiosiùs legere cuperent, quicquid ab eo authore quem colerent & amarent profectum esset; quùm librum non ignorarent veram esse scribentis imaginem: alij verò, quibus vna est felicitas nouarum rerum notitia, huius quoque libri intuitu curiosos oculos satiare auerent, tantum ideo ne viderentur non vidisse: alij denique immeritâ authoris inuidiâ stimulati alimentum hinc quærerent malitiæ; nihil desperantes, quin quicquid hic boni succi reperirent in vitiosos & noxios humores facile conuerterent. Diuersis his eandem rem cupientium studys effectum est, vt maturiùs & sanè præter animi nostri sententiam liber ederetur. At tricipiti huic lectorum hydræ fert animus triplicem obijcere clypeum, euidentiam, patientiam, candorem. euidentiam, vt amicorum ingenuitati satisfaciam: patientiam, vt curiosorum imperitiam æquo animo feram: candorem, vt inuidiæ malignitatem non reformidem. Si omnibus placere nequeam, satis erit ijs non displicuisse quibus virtus placet: & horum quoque expectationi si non vbique pro rei dignitate satisfecero, velim expendant non omnia vni diuinitus data, sed æternâ iustitiæ lege varia variis; deinde verò pluribus oculis plura cerni: non eandem denique esse omnium censuram, sed quot capita tot sensus: quemadmodum etiam in vultu ea formarum est infinitudo, vt facilè ab altero quiuis secerni possit. Neque ego ab initio mihi proposui argumentum hoc, de Regis institutione, penitus exhaurire; adductis, quæcunque vel ab optimis authoribus, vel ab ingenio haberi poterant; sed tantùm de huius Regni gubernatione ea filio præcipere, quæ illi discere & mihi docere conueniret.

Si videar alicubi minora quædam scrupulosiùs sectatus, id ipsius argumenti necessitas exigebat; non quo Principem vniuersim formabam, sed quo filium in plerisque iuuabam; quæ nisi specialiùs fuissem prosecutus, vt regni nostri & morbos & remedia; minor profecto ex generali tractatione ad eum vtilitas redundasset. Eorum omnium cum mihi & theoria & praxis comperta esset, planius eloqui posse videbar, quàm vmbratiles isti Magistri, qui regnorum ideas in Scholis contemplantur.

Quod si alicubi obscurus sum, id breuitati tribuendum, quam & meâ & filij causâ sequi necesse erat. meâ quidem, propter infinitas muneris mei molestias & labores, illis quoque satis notos, quibus ego famâ ignotus non sum. filij verò, quia in tenellâ ætate (haud ignotam rem loquor) ita voluptate & ludo abripiuntur Principes, vt grandioris libri vix aspectum ferant: in maturâ verò, sic actiuâ officij sui parte distinentur, vt contemplatiuæ non liceat vacare. ita prolixior commentatio nec illi erat vtilis, nec mihi possibilis. Veruntamen eorum curiositati parum me sentio debere, qui prolixitatis (vt videtur) tædio, cum transcribendi oti-

di otium non haberent, nonnulla arbitrariè excerpſerunt; dumque dimidiatam ſententiæ partem præpropere arripiunt, parum penſi habuerunt alteram negligere. illi homini haud abſimiles, qui è Pſalmo citatis hiſce verbis, non eſt Deus, *antecedentia* dixit inſipiens in corde ſuo *omiſit. ex iſtis autem parecbolis confecto libello, formâ quidem [illegible], materiâ autem curto, titulus (ſi Dijs placet) inditus eſt,* Regis teſtamentum: *quaſi veteri & nouo teſtamento* Regium *hoc veluti* tertium *adiectum voluiſſem. fateor mihi alicubi filium compellari tanquam teſtamentum condenti: vt taceam ſcriptas de rebus opiniones, quæcunque demum authoribus ſuis ſuperſtites ſint, pro teſtamentis haberi. at à qualibet voce aut ſententiâ librum denominare nimis ſanè eſt ridiculum.*

Sed nouis hiſce alienorum operum Nomenclatoribus & interpolatoribus ſuæ inſcitiæ relictis; vereor vt nonnullis, præſertim è vicino Angliæ regno, haud ſatis excuſata ſit noſtra breuitas: qui quod in meâ Rep. feceram, id etiam fortè expectabant in ſuâ, vt vitia ſcilicet & remedia indicarem. ſed vnica inſtituti mei ratio erat filio optimum, & qui mihi experientiâ compertus erat, ſui regni regendi modum tradere. Angliæ ſtatus non ita mihi cognitus fuit, ideóque de limitibus alicubi agens excuſatum me haberi volui, ſi de illo regno nihil dicerem. Scio omni Reipub. ſuos eſſe nævos, nec ignoro quanti meâ interſit Angliæ proſperitas: & vel me tacente ſatis indicat origo mea: nihilominus cùm iure illîc rerum potiatur Regina, quæ prudentiâ & felicitate imperandi omnes inde vſque ab Auguſto (præfiſcinè dicam) ſuperauit; mihi & experientiâ & notitiâ multò minori non conueniebat ardelionem illic agere, & in meſſem alienam meam falcem immittere. quin per Dei gratiam contrà ſpero, antiquam illam viuendi regulam mihi ſemper cordi fore, Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris. *Neque vllus dubito, imò verò eius nomine ſpondere auſim (tanta mihi oboritur ex conſuetâ illius virtute fiducia) neminem ad bene monendum promptiorem fore, quàm illa ad id, quod prauum fuerit, corrigendum aut, quod ſuâ integritate exciderit, reſtituendum. longè à me ſit, vt eâ viuâ quicquam videar attingere.*

Sic ſcrupulis exemptis, qui vel in ſpeciem poterant offendere, reſtat mihi beneuolus Lector exorandus, vt fœtum hunc noſtrum magis æſtimet ex parentis candore, quàm ſuâ perfectione. Mea enim vna tantum hîc laus eſt, quòd nullibi ream peregerim virtutem, nullibi vitium abſoluerim. quòd ſi eam ornatus pompam non præ ſe ferat, at partium compoſitio nihil monſtri habet. Quùm verò ab initio clam conſcriptus fuerit nec niſi vrgente neceſſitate iam editus, par eſt ab omnibus accipi pro verâ mentis meæ imagine, próque illâ regulâ viuendi, quam mihi & meis præſcripſi; quæ vt præteritæ vitæ, quantum muneris mei ratio & tempora ferebant, directrix fuit; ita quoque index eſt & ſponſor futuræ, ne quid aliud à me expectent homines, quàm quòd hic meo chirographo & promiſſum & firmatum vident. quam mentem Deus Opt. Max. mihi cum vitâ & diademate ſimul indidit, & poſteris quoque meis propriam fore confido ad regiæ noſtræ functionis dignitatem & populi nobis ſubditi præſidium. Vale.

DE-

DE REGIS OFFICIO ERGA DEVM.

LIBER PRIMVS.

T alijs regendis impar cenſeri debet, qui ſuos ipſe affectus regere non poteſt; ita populo Chriſtiano præeſſe non meretur, qui non ipſe Dei notitiâ, & reuerentiâ, & amore præditus eſt. Neque verò impio Regi, quantumuis ſudet, bene cedere quicquam poteſt; vt nec ab impuro fonte quicquam purum manat. nam vt regius ait Propheta, *Ni Dominus domum ædificet, fruſtra laborāt qui ædificant: ni Dominus vrbem cuſtodiat, fruſtra vigilat cuſtos.* nec enim niſi Deo benedicenti ſucceſſus imputetur: *Paulus plantat, Apollos rigat, ſed Deus dat incrementum.* Diſce igitur ante omnia, mi fili, noſcere & amare Deum: cui duobus nominibus obſtrictus es; primò, quòd te hominem; ſecundò quòd inter homines Deum quoque te fecerit, vt illis imperes, & eius ſolio inſideas. Memento quantum ſupra cæteros eius benignitate euectus es, tantum illos ſuperes gratitudine. In tuo oculo trabs erit, quod in alieno eſt feſtuca; & in tuo corpore vitiligo, quod in alieno eſt vitium; & *venialia* quæ vocantur errata, in te erunt crimina. Noli putare dignitate tuâ minui delicta, nedum vt delinquendi licentiam inde natam exiſtimes. potius id cogita, honoris tui eminentiâ eorum grauitatem augeri. quicquid enim admiſeris non eſt lapſus vnius; quùm plus noceas exemplo, quàm delicto, tot mortales imitatione tui reos facturus. Memento igitur hunc humanæ gloriæ ſplendorem cælitus datum eſſe regibus, vt integritate & ſanctimoniâ vitæ populo præluceant; vt ſint tanquam faces, virtute & pietate accenſæ, dirigendis errantium ciuium veſtigijs. Meméto etiam ex cognitione & *timore Dei, quod principium eſt ſapientiæ*, tibi emerſura omnia, quæ ad tui muneris functionem pertineant, ſeu Regem agere oporteat, ſeu Chriſtianum. in Deo enim vt ſpeculo humanarum rerum, quarum ipſe creator & motor eſt, progreſſus omnes apparebunt.

Rectæ politiæ baſis. Pſal. 127.1. 1.Cor.3.6. Principum erga Deum gemina obligatio. Grauitas delicti regij. Vera principum gloria. Prou.9.10.

Ad hanc autem cognitionem vnica tibi via aperitur, aſſidua nempe Diuini verbi meditatio cum indefeſſâ prece, vt intelligas. *ſcrutamini ſcripturas*, inquit Chriſtus: *illæ enim teſtimonium de me perhibent.* Et, *vniuerſa Scriptura*, inquit Paulus, *diuinitus inſpirata eſt; vtilis ad doctrinam, reprehenſionem, correctionem, & iuſtitiæ diſciplinam, vt homo Dei ad omne opus bonum perfectus reddatur.* Maximè autem regum intereſſe hanc diuini verbi meditationem ex eo conſtat loco, in quo bonorum regum populi Iſraëlitici prima fit mentio; vbi diſertis iubentur verbis legem Dei voluere & reuoluere. Audienda eſt quoque ſacra doctrina cum attentione & reuerentiâ. nam (vt idem Apoſtolus ait) *fides eſt ex auditu.* Sed cautio hîc eſt, ne multorum more ſacras literas ad tuos ſenſus detorqueas, quemadmodum campanæ ſonum interpretari aliqui ſolent: ſed contrà ad expreſſam earum normam affectus tuos omnes exigas & componas.

2. Timot. 3. 16. 17.

Deut. 17.

Rom. 10. 17.

Circa quid verſentur ſacræ literæ.

In duobus potiſſimum verſantur ſacræ literæ, nempe in iubendis bonis & vetandis contrarijs. Tu in vtroque morem gere. nec ſatis ſit à malo abſtinuiſſe, ni bene agendo te exerceas. neu ſi multa bene egeris velari poſſe credideris, quæ admiſces mala. Vt autem in duobus illis verſatur ſacræ paginæ inſtitutio; ita in duobus quoque officijs poſita eſt noſtra obedientia. Prius eſt internum, aſcendenſque in Deum; nempe oratio per fidem: poſterius eſt externum, deſcendenſque ad proximum, nempe opera ex fide. quæ duo nihil aliud ſunt, quàm exercitium religionis in Deum, & æquitatis in proximum. Ego tibi religionis articulos ſingillatim enumerare non habeo neceſſe. hypocrita non ſum: meum ſequere exemplum, vel, quod idem eſt, educationem tuam. Deo ſit laus, nunquam me puduit, quid ſentirem, palam fateri; quantumuis de me mentiri auſa ſit hîc calumnia. Verùm ego religionem illam, quæ in regno meo iam palàm obtinet, nunquam vel gratiâ vel metu coram mundo profeſſus fuiſſem, ni conſcientia mea mihi dictaſſet eſſe veram; id eſt, diſertis ſacræ Scripturæ verbis fundatam: quibus quæcunque religio deſtituitur, ſuperſtitio eſt; quæcunque aduerſatur, abominatio eſt.

Cultus diuini duo gradus.

Exemplum non negligendum.

De æquitate in proximum ſuperſedeo iam dicere; quia in ſecundâ parte huius operis, vbi de Regis officio propriè agitur, ea tractanda eſt.

Religio.

Religio igitur noſtra, quæ eſt Dei cultus iuxta reuelatam eius voluntatem, in ſacris literis fundata eſt. fide illa animatur; cuſtoditur conſcientiâ. De Scripturâ in genere iam diximus: verùm vt ex ea facilius occurrat, quicquid ad inſtitutionem tuam vel ſolatium faciat, hanc breuiſſimam methodum memoriæ committe.

Methodus ſcripturæ.

Tota ſcriptura à Spiritu ſancto dictata eſt; vt verbo illo vitæ militans in terris Eccleſia vſque ad finem mundi inſtruatur regatúrque: conſtat duabus partibus *Vetere Teſtamento & nouo. Veteris* fundamentum eſt

lex

ſe quæ ſubſtantia eſt, & ſecundum genus. Hæc definitio eſt Porphyrii, quæ ſecundum genus eſt, ſecundum hoc quod eſt ſubſtantia, & ſecundum differentiam, quæ eſt ſubſtantialis, ſecundum hoc quod eſt ſubſtantialis differentia, & ſecundum accidens quæ eſt accidentalis, ſecundum hoc quod eſt accidentalis differentia. Et ſecundum hoc quod dicit, quæ ſecundum genus eſt, ſecundum hoc quod eſt ſubſtantia, ſecundum hoc eſt ſubſtantialis differentia, quæ ſecundum differentiam eſt, ſecundum hoc eſt accidentalis differentia. Et ſecundum hoc quod dicit, quæ ſecundum accidens eſt, ſecundum hoc eſt accidentalis differentia. Et ſecundum hoc quod dicit, quæ ſecundum genus eſt, ſecundum hoc eſt ſubſtantia. Et ſecundum hoc quod dicit, quæ ſecundum differentiam eſt, ſecundum hoc eſt ſubſtantialis differentia. Et ſecundum hoc quod dicit, quæ ſecundum accidens eſt, ſecundum hoc eſt accidentalis differentia. Quod ſic patet. Omnis differentia eſt differentia alicujus. Ergo differentia ſubſtantialis eſt differentia ſubſtantiæ, & differentia accidentalis eſt differentia accidentis

bus noſtris inſeritur, non niſi prece ali poteſt, quæ nihil aliud eſt, quàm familiare cum Deo colloquium.

Precandi regula optima.

Precandi magiſterium, ſecundum orationem Dominicam, abſolutiſſimam illam precandi regulam, pete è Pſalmis Dauidis, ex ijs tanquam è puriſſimo fonte hauſturus, quicquid à Deo vnquam petere neceſſe fuerit. Tibi autem hi magis accommodati ſunt, quàm cuiuis è populo; quia Regem habent authorem, cui notiſſimum erat, quibus egeant Reges, & quid ijs à Deo petendum ſit.

Precandi exercitia.

Conſueſce orare, maximè cùm ſolus es. at noctu caue ne quando intermiſeris, quantumuis interdiu frequenter orâris. nam publicæ preces exemplo non minus inſeruiunt, quam precantis bono.

Precandi modus.

Inter orandum nolo apud Deum nimis ſis hoſpes, vt ignara plebs, quæ Deum non alloquitur niſi è libro: neque etiam nimis familiaris, vt Phariſaici Puritani, qui ſupercilijs ſuis Deo videntur imperare. hinc naſcitur eius, quem oras, contemptus; illinc orationis tuæ languor & frigus. Tu Deum ſummâ cum reuerentiâ compella. nam ſi nec ſubdito aliter cum Rege agendum eſt, quantò minus mortalem vllum decebit cum Deo, tanquam ſodale, fabulari?

Quid petendum à Deo.

Petenda autem ſunt à Deo non modò ſpiritualia, ſed etiam temporalia bona, nunc maioris nunc minoris momenti; vt conceſſa recondas in mente ad fidei tuæ confirmationem, & Diuini erga te amoris arrham. Ora vti animus dictauerit, & pro re natâ. Sed caue ne rem iniuſtam ores, vt vindictam libidinem &c. ea enim oratio ex fide non eſt, & *quicquid ſine fide eſt peccatum eſt.*

Rom. 14. 13.

Quomodo oporteat precum noſtrarum euentus interpretari.

Compos voti factus age Deo animitus gratias. ſin è veſtigio res non ceſſerit ex voto, tu ne cede: ſed exemplo viduæ, quod non ſtatim conceſſum eſt, importunitate orandi extorque. at ſi tandem repulſam tuleris, ſcias, Deo ipſo iudice, quod petis tibi non conducere: atque adeò aduerſa rerum, quæcunque diuinitus premunt, in hanc ſententiam diſces interpretari. ſic non tantùm fortiter & abſque periculo pericula ſuſtinebis, verum etiam læto erectóque animo certam à Deo in medio certamine expectabis victoriam, qui omnia mala tandem vertet in bonum. quod ſemel expertus, cùm ad aliud periculum deueneris, priore experientiâ vtere pro clypeo; perſuaſus & hoc quoque eſſe à Deo, & tibi in bonum olim cedere, vt vt nubes inter pluendum tibi non tranſluceat.

Conſcientia religionis Cuſtos.

Conſcientia, quam religionis cuſtodem nominaui, eſt notitię illius, cordibus noſtris infuſæ, lumen; ſemper vigil, omneſque actus noſtros inſpiciens; cuius teſtimonio lætantur qui bene agunt: at in ſcelere perpetuum ſceleris ſenſum relinquit. ergo pijs non minori eſt ſolatio, quàm impijs tormento. Nec enim id parui eſt momenti criminum indicem nobiſcum circumferre, quæ nobis nouiſſimâ aut horâ

Totius vitæ index.

aut

aut die obijcientur. vnde, cum nobis libet, vel inuitimoneamur eorum, quæ ante mortem expianda ſunt: vt dum adhuc tempus eſt agamus pœnitentiam, & in magno illo die compareamus amicti ſtolis ſanguine agni dealbatis. Ante omnia igitur annitere, *mi fili*, vt puram ſerues & intaminatam conſcientiam: qualis hodie multis eſt in ore, oppidò paucis in corde. In primis verò à duobus morbis cauendum eſt, leprâ & ſuperſtitione: illâ atheiſmi, hac hæreſeos parente. Leproſa ea conſcientia eſt, quam Paulus *cauterio* dixit *inuſtam*: quia iam, ſecuritatis callo indurata, amiſit ſenſum peccati; quod Dauidi poſt adulterium & homicidium contigit, vſque dum Nathanis parabolâ compunctus ſenſum recepit. Superſtitioſam intelligo, quæ peregrinum Dei cultum ſequuta verbi authoritatem negligit, cui vera religio omnis innititur.

Reuel. 7. 14.

Morbi conſcientiæ.

1. Tim. 4. 2.

Lepræ protherapeuticon erit, ſi quotidie ante ſomnum omnia diei acta curioſè expenderis; in Chriſtiano tuo & regio munere quid feceris, quod omiſiſſe melius erat; quid omiſeris quod feciſſe decebat. quo in examine noli tibiipſi, cæco tui amore, blandiri, quo affectu omnes nimium laboramus; ſed in teipſum, velut in hoſtem, pronuncia. nam ſi vos ipſos iudicabitis non iudicabimini, ait Apoſtolus. tum verò iuxta ſeueritatem decreti corrige futura. At hæc æterna cautio eſt ne ſciens volénſque conſcientiam olim læſeris. Nam ſi, excuſſo conſcientiæ freno, vel leuiora delicta ſciens volénſque admiſeris; longè ea ſunt coram Deo ijs criminibus grauiora, quæ cæco quodam animi impetu & dormiente conſcientiâ deſignantur. Memineris igitur diem fore, quo tibi omnium ratio reddenda eſt. & vt totâ vitâ diſcas mori,

Leproſæ conſcientiæ protherapeuticon

1. Cor. 11. 31.

Dies ſupremi examinis.

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.

Horat. lib. 1. epiſt.

Nolo enim cum Papiſtis ſubitam & improuiſam depreceris mortem, ſed potius ſic viue, vt ſemper paratus ſis mori. ita veram fortitudinem conſequèris, ne mortem, cùm venerit, olim reformides. Caue etiam, ne mendacio aut iureiurando conſcientiam vulneres; vt vt id ioco factum poſſis interpretari. aſſuetudine enim diſcimus iurare: quod peccatum nec voluptate nec emolumento gratioſum eſt; eamque ob cauſam etiam apud homines excuſatione caret. Ex prauâ etiam conſuetudine, qua pudor è vita exulat, oritur mendacium. Ideoque nec tibi veritas vnquam neganda eſt: quod ipſum quoque mentiendi genus eſt, ſed tui ordinis hominibus vitatu facillimum. Nam propoſitâ quæſtione, cui nolis ſatisfacere; ſi reſponderis quærenti, nihil eam rem illius intereſſe; quis vlterius percontari audeat? quo reſponſo ſi ſubinde, & in rebus falſis pariter ac veris, vſus fueris; percontatores hi aliquoties fruſtrati deſinent tandem impudentiæ.

Vera fortitudo.

Abuſus iuramenti.

Vt autem ſuperſtitionis morbo liberam habeas conſcientiam; neque tuis ipſius inuentis, neque aliorum, licet doctiſſimorum, ingenijs confidere oportebit; verùm diſertis ſacræ Scripturæ verbis inniti. Con-

Contra ſuperſtitionem.

ſcientia

scientia enim, quæ scientiæ certitudine subnixa non est, aut ignorantia est aut arrogantia. duo igitur extrema tibi vitanda sunt, ne, scilicet Ecclesiæ authoritatem certissimæ tuæ scientiæ cum Papistis anteferas; deinde, ne tu tua ipsius commenta & insomnia cum Anabaptistis amplexeris.

Externarum internarumque rerum differentia.

Verùm hîc sedulò distinguendæ sunt res fidei ab adiaphoris; substantia religionis à ceremonijs; & Dei voluntas reuelata in verbo à traditionibus hominum. quicquid enim ad salutem necessarium est, in sacris literis habetur. Iam verò circa res ab ipso Deo iussas aut vetitas, vt vt eæ videantur exiles, nimium scrupulosus esse non potes. neque etiam populari lance hæc talia expendere conueniet, sed aureâ diuinæ voluntatis statêra. cætera, quæ æterno illo decreto sancita non sunt, retine, muta, euerte, prout temporis requirit necessitas. Cum igitur Pastores ecclesiæ ex diuino verbo tecum egerint, eos reuerere, vt Dei altissimi caduceatores; & fac omnino quod iubent. sin extra cancellos vagantes, sua aliqui commenta obtruserint, priuatisque affectibus zelum obtenderint; vanos homines & ab officio suo deuios eâ, qua par est, authoritate reuoca in sui muneris orbitam.

Rerum externarum æstimatio.

Tandem vt quod de conscientiâ cæpimus cum primâ huius operis parte finiamus, Deum in ore habeas parcè, in corde frequenter: intus illi soli viue, rigidus, seuerus: foris autem omnibus, affabilis, communis. & quod ames virtutem, oderis vitia, magis reipsa appareat quàm verbis; malisque esse, quàm haberi probus aut pius. siquidem in cælis, non in terris expectanda est horum merces. Quodque Christus de eleemosyna & precibus mandauit, vt clanculum ea fierent, id de totâ tua vita dictum puta. Ita non solum verâ & Christianâ humilitate intus ornabere, & aretalogo Pharisæo perquam dissimilis coram Deo fateberis, inutilem te seruum esse, cùm omnia feceris quæ potes; ipso Christo verba præeunte: verumetiam turpissimæ simulationis & dissimulationis, &, vno verbo, hypocriseos crimen coram hominibus vitabis.

Conclusio.

Luc. 10. 17.

DE-

DE OFFICIO REGIS IN SVBDITOS

LIBER SECVNDVS.

SED cum duplex tibi demandata sit prouincia, cauendum est, ne alterutrum remissiùs administres: neu dum Christianum hominem agis laudabiliter, regiam personam in æquitatis & iustitiæ procuratione exhibeas oscitanter. Æquitati autem & iustitiæ duplici ratione satisfeceris. primò si optimas leges & sanxeris & exercueris: nam in vsu est legis anima: deinde, si tuo ipsius & comitum exemplo populum ad bene viuendum inuitaueris. Ita enim inter homines comparatum est, vt simiorum more Regum suorum mores imitentur: quemadmodum diuinus Plato obseruauit, & Poeta his ex eo verbis expressit,

Officium Regis.

Plato in Polit.

Isocrates in Sym.

Plato in Polit.

Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, vt vita regentis.

Claudian in 4. Conf. Honorij.

Vt autem faciliùs intelligas, quæ tuæ sunt partes in legibus ferendis exercendísque, discrimen tibi inter Regem & tyrannum obseruandum est. contraria enim iuxta se posita magis elucescunt. Rex agnoscit se populo natum, & regno à Deo præpositum, cuius administrati ratio Deo quoque reddenda sit: Tyrannus populo se factum negat, immò verò omnia arbitratur in libidinis suæ & cupiditatis prædam iure cedere, vtpote magnanimitatis suæ præmia. Et vt scopum contrarium vterque sibi proponit, ita etiam contrariâ viâ ac ratione in illum feruntur. Rex bonus nihil putat laudatius, quàm cum laude suo munere defungi; ideoque bonarum legum sanctione & vsu, omnique præterea consilio & ope tranquillitati bonoque populi inuigilat; quemadmodum patrẽ patriæ & benignum Dominum addecet, cui ex ciuium fælicitate maxima oriatur voluptas, ex eorúmque amore vnica securitas; qui suos affectus & vota saluti populi postponat, & bonum publicum suam interpretetur

Regis & tyranni discrimen.

Plato in Polit.

Arist. 5. Polit.

Xenop. 8. Cyr.

Cicer. 5. de Rep.

Digitized by Google

pretetur opulentiam. Tyrannus nihil ducit glorioſum, niſi per fas & nefas ſuæ ambitioni inſeruire: nec niſi per factiones & inteſtina ciuium diſſidia ſe tutum arbitratur. tantiſper ille pietatem præ ſe fert, dum rerum potiatur: at compos voti leges aptabit affectibus ſuis, rempub. cupiditatibus: omnes faciet miſeros, vt ſe locet in tuto: denique vitrici & mercenarij more ex Reipub. diſpendijs rem priuatam faciet. Quàm autem diſpares ſunt vtriuſque mores, tam diſpar quoq; eos inſequitur merces. Nam bonus Rex, laudabili & fælici defunctus imperio, moritur ſine ſanguine; & ciuibus luctu, vicinis admiratione, omnibus verò virtutis ſuæ famâ relictâ æternæ fælicitatis coronam aſſequitur in cœlis. & licet etiam ex his nonnulli (quod rarò tamen accidit) ciuium ſuorum parricidio intereant, at certè neque eorum fama neque parricidarum infamia vnquam interibit: vt taceam ſupplicia, quibus in hac vitâ certo certiùs vindicatur ſceleris illius atrocitas. Turpis illa & maculoſa tyrannorum vita tragicè finitur. quos habere ſe putant ſubditos, faciunt carnifices: vltione (fateor) ſemper iniuſtâ & vltoribus indignâ; ſed quam ſui non dolent, exteri etiam rident. ita ille populo vixit inuiſus. Itaque ad ſcelerum memoriam in terris ſuperſtitem, & non morituram in inferno pœnam hoc quoque accedit calamitatis, vt iure cæſum ſanciat poſteritas.

Ariſt. 5 Polit. Tacit. 4. hiſt.

Boni regis exitus & merces.

Exitus Tyranni Ariſt. 5. Polit. Iſoc. in Sym.

Tu mi fili duobus hiſce propoſitis, quod melius eſt elige & imitare. regiamque illam & arduam virtutis viam ingredere: in qua ſi lapſus fueris non erit indecorus caſus, nec hominibus bonis indefletus.

De legum ſanctione.

Vt nunc igitur eò, vnde digreſſa eſt, reuertatur oratio; ſanctionem legum tuæ permitto prudentiæ, & prout noua in populo vitia, nouas corruptelas obſeruaris: nam ex malis moribus bonæ leges natæ ſunt. quanquam vereor, ne in hoc Regno iuſtior ſit de legum executione, quàm de numero querela. de illa igitur pauca præcipere eſt animus. Hoc vnicè caue, ne in comitijs, quæ legibus rogandis primò deſtinata fuere, priuatorum hominum negotia tractari permiſeris. Nam vt ille ordinum conſeſſus ampliſſimus cenſeri debet, Regis videlicet ſuprema Curia, & (ſi ex primæuâ inſtitutione cenſeatur) ad leges rogandas aptiſſima: ita ſi à vero vſu ad priuatas ciuium controuerſias trahatur, nihil illo cogitari poteſt iniquius. Videbis legum ſpecie aduerſus partes ſententias pronunciari grauiſſimas, & (quod peſſimum eſt) irreuocabiles; cùm interea ordines ipſi neſciant plerumque, cui noceant. Comitia igitur ne indixeris, niſi legum ferendarum cauſa, & id raro. nam in bene adminiſtratâ Republicâ paucę leges ſufficiunt, modo non otioſæ. De proſcriptionibus quoque in Comitijs agi ſolet: ſed id genus vltionis rarius cenſeo tentandum; nec niſi in criminibus atrocioribus, quæ proſcriptos veniâ & reſtitutione in integrum prorſus faciant indignos. Leuioribus delictis aliæ pœnæ ſatis acres conſtitutæ ſunt.

Comitiorum authoritas & verus vſus.

L. 12. Tab.

Cic. 3. de Legib. & pro D. ſ. & pro Sect.

Vt

Vt igitur quod leges imperant, vt oportet, exequaris ; reuoca tibi in memoriam, in eo quoque diſtingui tyrannum a Rege, quòd ſpecie probitatis fucum ille faciat populo, dum confirmet tyrannidem ; tum verò cupiditates indomitæ primò erumpent in neruum. Noli tu æmulari Neronis quinquennium, aut molle illud votum, *Vellem neſcirem literas* : quin potius in tranſgreſſores, quicunque demum fuerint, leges exerce. nec enim precariò, aut vi ; ſed ſucceſſionis & ſanguinis iure regnum adeptus es ; nec eſt quòd ſeditionum metu impunita dimittas ſcelera ; id quoque perſuaſus, maximam hominum partem naturâ ſuâ eſſe Iuſtitiæ amicos. Quemcunque autem punieris id iuſtitiæ amore feceris, non vt iuſtitiæ obtentu cupiditati tuæ ſatisfacias. nam coram Deo homicidij reus eris, etſi ille pœnam iure meruerit, quem punis. Nec enim tam reſpicit Deus quid egeris, quàm quo conſilio egeris.

De Legum executione.

Vſurpanda in principio regni ſeueritas. Sen. de cl.

Arist. 7. Polit.

Plato 2. & 10. de Repub. Cic. ad Qu. fr.

Seuerâ iuſtitiæ manu ſic firmato imperio ; cum populus iam ſenſerit poſſe te, vbi vſus eſt, ferire ; in poſterum licebit tibi iuſtitiam miſericordiâ temperare ; parcere aut plectere, prout nempe delinquentis error aut voluntas, aut ante acta vita videbitur mereri. Nam ſi ab initio clementiam oſtentes, creſcet in immenſum delinquentium numerus, creſcet tui contemptus : & cum punire volueris maior erit ſontium quàm inſontium numerus : nec promptum erit diſcernere, vnde facere oporteat initium pœnæ. atque ita multos perdes inuitus, quos tempeſtiuâ paucorum pœnâ ſeruare potuiſſes. Tu meo ex periculo potes hîc eſſe cautior. nam cum ego manſuetudine meâ inſtituiſſem populum trahere ad legum obedientiam ; contrà accidit, vt omnia plena facta ſint tumultibus, ego verò pro mercede ne grates quidem retulerim.

Laudabile temperamentum. Plato in Polit. & 9. de L. Sal. orat. ad Cæſar.

Exemplum domeſticum.

Quamuis autem ſeueritas hæc tua (vt iam dixi) temporaria futura ſit ; ea tamen eſt quorundam ſcelerum enormitas, vt nunquam ſine ſcelere condonari poſſint : cuiuſmodi ſunt Magia, homicidium deliberatum, inceſtus intra vetitos conſanguinitatis gradus, exhibitio veneni, adulteratio monetæ, pæderaſtia. Si quis in te deliquerit, aut tuam authoritatem læſerit ; tuo ipſius arbitrio, qui læſus es, & pœnam & veniam permitto, vt inſpectâ delicti indole, & delinquentis ingenio, ſtatuas, quod è repub. maximè eſſe iudicaueris.

Crimina ſine veniâ.

Crimen læſæ maieſtatis vel dignitatis regiæ.

Criminibus illis quæ extra ſpem veniæ conſtitui, vnum adhuc libens adiungerem, ni parci iudicis in hac cauſâ ſuſpicionem vererer. id tamen, mi fili, te non cælabo, vt vt eo indicio verecundiæ fines tranſire videar. Eſt igitur crimen illud, nonnullorum hominum in ſcribendo & loquendo aduerſus Parentes & Maiores tuos acerbitas. noſti diuinæ legis præſcriptum, *honora patrem & matrem*. Tu cui ea poteſtas data eſt, noli permittere, vt impunè vlli liceat parentes & Principes, maiores tuos inceſſere. Ad te quoque pertinet apud poſteros hoc exemplum. quicquid enim in deceſſores tuos licere voluiſti, idem quoque in te ſtatuent

Contumeliæ regij ſtemmatis.

Exod. 20. 12.

Plat. 4. de Legib.

Digitized by Google

viciſſim licere. Nemo noſtrum (fateor) eſt ſine crimine, quod & coram Deo agnoſcere & corrigere omni ope debemus: at publicæ dicacitatis materia ea eſſe non debet. Et quùm nemo hodie viuat Príncepſ, quicum maiorum nobilitate non audeas certare; coercenda eſt eorum malignitas, qui dum vitijs ſimulant ſe hoſtes, ſtirpem regiam ſatagunt infamare, & populi beneuolentiam à poſteris auertere. Nam quo pacto te ament, qui ſtirpem tuam oderunt? aut quare vulpium, luporúmque prolem etiam lactentem occidimus, niſi quia genus nobis inuiſum eſt? quare Neapolitani equi pullus cariùs vænit aſinino, niſi generis gratia? Prodigij ſimile eſt, ſi quis filium diligat & parentem oderit. imò nulla eſt ad illius contemptum procliuior via, quàm per huius infamiam. Quam rem meâ ipſius experientiâ poſſum confirmare. Vt enim ſupplicia taceam, quæ hiſce oculis inflicta in eos vidi, qui aduerſus parentes meos perduelles fuerunt; hoc auſim dicere, ex ijs, qui tum temporis adultæ ætatis erant, neminem mihi in anguſtijs fidum repertum, niſi qui parentibus meis fidelis fuerat. Eos præcipuè intelligo, qui Reginæ matri operam dabant. Modo enim tibi quod res eſt bonâ fide indicem, mi fili, quid perduellionis rei fautoréſque ſenſerint ſuſque deque habeo. Neſcio an effrenem hanc nobilium virorum licentiam, qua debiliores ſuperbè opprimunt & affligunt, inter priora crimina connumerem; cum iam primæ notæ hominibus virtus ea eſſe cæperit: certè vindicem Regis manum inter præcipua expoſcit. Tu ſedulò in iſtos inquire, & ſeuerè reprime; vt ponant tandem ſupercilia, & æquali iure viuant cum cæteris. Suſcipe cauſam pauperis & afflicti vt tuam: & id demum verè regium putato, ſuperbos deprimere. neque hic cuiuſquam gratiâ moueberis, neque tuo parces labori, vt miſerorum vindices iniurias. Veniat tibi in mentem, auo meo, laudatæ memoriæ, ſplendidum partum titulum, quùm, ob debiliorum patrocinium, *Rex pauperum* appellaretur. Et cum in priuatorum litibus componendis præcipua regij officij pars verſetur; meminiſſe oportet Dei thronum eſſe, cui inſides: vbi ad dextram aut ſiniſtram deflectere, vel diuiti fauere aut pauperis miſerari non licet. Iuſtitia oculis orba eſt & amicis. illîc tuis gratificandi, aut hoſtibus aduerſandi nullus eſt locus.

Tyrannica Procerum ſuperbia.

Ariſt. 5. Polit. Iſoc. de regno Cicer. de offic & ad Quin. fr.

Regis gloria.

Exemplar imitandum.

Deut. 1.

Plato in Polit. Cic. ad Qu. fr. Ariſt. 1. Rhet. Plat. in If.

Hîc res ipſa monet, vt de Montanorum, & Limitaneorum hominum exlege vitâ nonnulla ſubtexam. Montanos noſtros, linguâ & origine Hibernos, in duo genera diſtribuo. Vnum eſt eorum, qui Scotiæ continentem habitant, quibus in magnâ barbarie ſupereſt tamen aliqua humanitatis ſpecies. Alterum eſt Inſulanorum, omnino ferum & agreſte, omníque planè ciuilitatis expers. Priores facile erit in officio continere, ſi leges exerceas aduerſus Tribuum Principes, à me latas. Poſteriores domabis, ſi meo exemplo colonias è continente in inſulas deduxeris, idoneorum ciuium, vt eorum conuerſatione humanitatem diſcant,

De Montanis.

Digitized by Google

cant, quibus paulò melior eſt indoles. cæteri deploratæ feritatis aut è medio tollendi, aut aliò transferendi.

De Limitaneis, non eſt quod multa tibi ingeram; ſi totius Britanniæ imperium, quod tibi diuino humanóque iure debetur, olim fueris conſequutus illos tunc in medio poſitos legibus tam facile ac cæteros frænabis. ſin aliter (quod non ſpero) euenerit, tum verò nec Borealis huiuſce & ſterilioris Inſulæ partis, nec tuæ vitæ tibi ſecura erit poſſeſſio. De Limitaneis.

Vt igitur iuſtè prudentérq; populum regas, multùm ſcire expediet, quibus à natura morbis affici ſoleant: quemadmodum medici ægrotantium curationem non ante aggrediuntur, quam peccantis in corpore humoris indolem perſpexerint. At quibus præcipue vitijs ſinguli huius regni ordines tententur ipſe expertus notabo. de Anglorum moribus, inter quos nunquam vixi, nihil temerè pronunciabo; quanquam, Deo fauente, ſperem me hoſpitem in eâ Republicâ non moriturum. Res notatu digna vt bene regnes. Plato in Polit.

E tribus ordinibus hominum; in quos, antiquo huius regni iure, ſubditi omnes diuiſi ſunt; nullus eſt, qui non ſuis laboret vitijs, quæ longo iam vſu fere apud eos, pro virtutibus habentur. non quòd in ſingulis ordinibus nemo reperiatur purus contagione; bonos enim & malos vbique offendas; ſed quia mihi experientiâ notum eſt, eiuſmodi vitijs ipſos hominum ordines tentari. & ne videar Eccleſiæ prærogatiuam lædere, ea primas in hoc examine tenebit. Trium ordinum examen.

Hæreditarius ille morbus, qui à mundi initio Eccleſias afflixit & peſſumdedit, ab vnâ ad aliam tranſlato (vt Ioannes ait) candelabro, eſt ambitio mixta auaritiâ. vnde etiam noſtrâ & Parentum memoriâ Papatus inter nos, & alibi gentium ſubuerſus fuit. At verò religionis in Scotiâ reformatio non ſine arcano numinis auxilio peracta fuit. tam multa in populari tumultu, & rebellione ciuium perturbatè facta fuere, ab ijs, qui ſuis indulgentes affectibus Dei opus neſcientes promouebant (vt ex magnificentiſſimorum operum ruinis apparet) & hęc omnia abſque Principis iuſſu: contra quàm in Angliâ & Daniâ factum eſt; varijſque Germaniæ partibus. Eccleſiæ morbi. Occaſio Tribunitiæ poteſtatis Puritanorum.

Hîc è miniſterio homines nonnulli præcipites, ignei, audaces, in hac humanarum diuinarumque rerum confuſione, tam gratioſi ad plebem facti ſunt; vt, deguſtatâ dominationis dulcedine, ceperint Democraticam Reipub. formam ſibi ſomniare: & primò auiæ, deinde matris meæ ſubuerſione elati (& nimium ſanè blandiebatur ijs ſucceſſus) poſtremò pupillari meâ ætate ad Democratiæ ſuæ ſtabilimentum diu abuſi, iam poteſtatem tribunitiam ſpe certâ deuorauerant: vt in populari Republica, cum plebem, quò vellent, facilè circunducerent; omniũ negotiorum momenta ſoli temperarent. Itaque nulla in meâ pupillari ætate, vel poſt, ſeditio contigit, quin hos homines ſui furoris & amentiæ pa- Tales erant Athenis Demagogi.

Digitized by Google

tronos ſeditioſi facere conati ſint. Crebræ aduerſus me in tribunitijs concionibus calumniæ ſpargebantur; non quòd crimen aliquod deſignaſſem, ſed quia Rex eram, quod omni crimine peius habebatur. Ac quoniam hanc odij cauſam palàm profiteri pudor erat, ſollicitè in vitam meam moréſque inquirebant, minima quæque errata augentes in immenſum, rumoribus etiam falſis ad calumniam arreptis: & quanquam omnino videri volebant culpam ab officio, & vitium ab homine diſtinguere; larua tamen incautis nonnunquam decidebat; & conſilia, quæ tanto ſtudio tegebant, ſuo prodebant indicio; nempe omnes Reges & Principes Eccleſiæ libertati eſſe inimicos, & iugum Chriſti non ferre æquanimiter. hac doctrinæ ſalubritate ſuos illi greges paſcebant.

Regiæ poteſtatis oppugnatio.

Quoniam verò è Miniſterio viri eruditi & probi, quos temeritatis huiuſce & audaciæ pudebat, reuocare nitebantur temerarios ad conſilium, abnormes ad modeſtiam; nec minus exemplo, quam voce, malè ſanos corrigere; tum verò homines factioſi vnum furoris ſui præſidium in paritate collocârunt; qua freti homines improbi, audaces, imperiti, pios, ſapientes, & modeſtos redarguerent. Eſt hæc paritas mater confuſionis, inimica vnitatis, quæ eſt ordinis parens: quod genus ſi vt in Eccleſiâ ita quoque in Repub. obtineret, omnia certo certiùs miſceri neceſſe foret. Si vtramque ames, ex vtraque peſtem hanc egere; Puritanos inquam, quos nec beneficijs deuincias, nec iureiurando fidos facias, nec promiſſis conſtringas; ſine modo ambitioſos; ſine causâ maledicos; nec quicquam ſpirantes niſi ſeditiones & calumnias; quibus vna conſcientiæ regula eſt, non diuini verbi authoritas, ſed commentorum ſuorum vanitas. Teſtor illum magnum Deum (nec teſtamentum condenti fas eſt mentiri) nunquam inter Montanos aut Limitaneos noſtros latrones maiorem ingratitudinem, aut perfidiam reperiri poſſe, quàm inter hos phanaticos nebulones. nec patere, ſi pacatè viuere decreueris, vt hi eâdem tecum patriâ fruantur, niſi fortè patientiæ experiendæ ergò, vt Socrates vixit cum Xanthippe.

Paritatis obtentus.

Malum in Repub. ſeminarium.

Xanthippe.

Vna eſt contra hanc peſtem cautio; ſi è Miniſterio viros doctos & pios, quorum in hoc regno (Deo ſit gratia) ſatis magnus eſt numerus, ad Epiſcopatus, aliosque in Eccleſiâ honores ſelegeris, pudendâ illâ ANNEXATIONIS lege, niſi mea opera antiquatam inueneris, abrogatâ. ita, ſubrutis fundamentis, non modo imaginariam illam paritatem euertes, quæ cum legitima adminiſtratione Eccleſiæ, aut Reip. pace, aut Monarchiæ bene inſtitutæ legibus nunquam conueniat; ſed etiam in regni comitijs antiquum illum trium ordinum honorem reſtitues, id quod aliter fieri omnino non poteſt. Ego tibi hac in re (ſi Deus dederit) viam præmuniam; tu, quod reliquum erit, ijſdem veſtigijs perſequere.

Antidotus huius mali.

Paritatis & Monarchiæ oppoſitio.

Ad

Digitized by Google

Ad ſummam, id tibi de ordine Eccleſiaſtico conſultum velim, vt bonum paſtorem impensè diligas, ſuperbum Puritanum impensè oderis; nec vllum titulum ſplendidiorem putes quàm vt *Eccleſiæ nutritius* ſaluteris. Templa omnia paſtoribus, Scholas, eccleſiæ ſeminaria, Doctoribus inſtruas, annoniſque & ſalarijs ornes, doctrinam & diſciplinam ſine labe conſerues, faſtum deprimas, modeſtiam prouehas. ita, dum poteſtati ſuperiori debitus à Paſtoribus defertur honos, & Paſtoribus à grege, pietate, pace, literis florebit Eccleſia, tuque ex eà re ſummum capies oblectamentum. De Eccleſiæ conſilium.

Cæterùm non minus cauendum cenſeo à ſuperciliosis iſtis Romano Pontifici addictis Epiſcopis, quàm à Puritanis: vt quemque igitur ad dignitatem iſtam ſelegeris, ſtatim ijs legibus circumſcribere oportet, quæ omnem corruptelam facilè excludant.

Eccleſiaſtico ordini ſuccedat Nobilitas; cui licet in Comitijs regni ſecundus tribuitur locus, facilè tamen ſeu bene agere libeat, ſeu male, primas ea tenere cenſenda eſt. De moribus Procerum.

Ego proprium huius ordinis, & veluti hæreditarium obſeruaui vitium, inanem quandam magnitudinis & potentiæ ſuæ perſuaſionem. indeuſque à teneris annis peſtiferâ opinione imbuti ſunt, ſibi ſuam non conſtare dignitatem, ni triplici ſe nobilitarint iniuriâ. Prima eſt, quòd debiliores in ſeruitutem redigant; & vicinos, licet nullo ijs nomine obnoxios, ad obſequium cogant. ſecunda eſt, quòd clientes ſuos, quicquid demum contra leges admiſerint, omni ope defendant & tueantur. nemini enim vitio verti poteſt, ſi iuſtam amici cauſam, quantum poteſt, promoueat. tertia eſt quod aduerſus æquales, à quibus ſe læſos interpretantur, capitales inimicitias ſuſcipiant; eaſque, Deo, & Rege, & Republicâ inſuper habitis, inhumaniter & ſuperbè exerceant, homo contra hominem, & tribus contra tribum. quin & Regem ſuæ modeſtiæ non parum æſtimant debere, ſi, pacis publicæ ergò, in paucorum dierum inducias eius iuſſu conſenſerint: cum tamen ipſo naturæ iure teneantur legibus obedire, & pacem vel capitis ſui periculo ſarctam tectam conſeruare.

Hiſce malis vt obuiam eas, nobiles condocefacere oportet, vt legibus iuxta cum infimis pareant. quorum indignationes & iras, dum tibi bene conſcius es, ſecurus ſpernas. Nunquam enim iſtis Principum Reformatoribus res bene ſuccedit, niſi vbi inſignita quædam præceſſit regiminis deformitas. Ergo cum Baronum tuorum, & Nobilium probiſſimo quoque familiaritas tibi contrahenda eſt; tum honeſti loci atque ordinis hominibus, quibuſcunque demum, ea tui facienda eſt copia; vt affabilitatis fiduciâ coràm de rebus ſuis, metu poſito, tecum agant, neu Comitum tuorum interceſſione indigeant. Sanctorum enim mediatio eſt Papiſticæ ſuperſtitionis. Ita iſtorum faſtum ad mediocritatem & Horum malorum remedia. Ariſt. 5. Polit. Xen. in Cyr. Iſoc. in Eu. Cicer. ad Q. fr.

modeſtiam reuoces. Capitales autem inimicitias hoc pacto optimè compones, ſi leges aduerſus eas à me latas exerceas; initio quoque ab ijs facto, quos tibi præter cæteros deuinxeris, vt illi omnibus exemplo ſint, quibus ipſe maximè faues. Quùm à Veſtâ (vt dicitur) & à tuo lare emendationem inceperis, paulatim inde aduſque regni fines fœliciter perduxeris. Neque enim ceſſandum, dum harum inimicitiarum barbariem, quarum nomen etiam exteris ignotum eſt, penitus aboleueris. Tu etiam atque etiam videris ne leges meas, de Bombardis, & Piſtolis quas vocant vnquam otioſas eſſe patiaris. neque verò de illis, qui infame hoc armorum genus portare auſint, alia tua vox ſit, aut ſenſus, aut ſupplicium; quàm de ſicarijs & latronibus.

Verùm alterum extremum non minus ſollicitè deuita; ne nobilitatem tuam negligere, aut deſpicere videare, qui error auo meo cum mœrore mortem attulit. Conſidera, claritati generis vulgo comitem eſſe virtutem: & viris nobilibus, vel maiorum ſuorum gratiâ, cultum deberi. Qui igitur ex hoc numero legibus parent, patres & proceres regni agnoſce. & quanto fuerit aula tua his talibus ſtipatior, tanto maiori tibi ducito ornamento. horum, in maximi momenti negotijs, vtere conſilio & operâ: nec ſanè in hoc regno alia eſſe poſſunt aut Regum, aut Legum brachia. Ita obſequentibus te comem præbe, & contumacibus ſeuerum; vt ſummi perſuaſum habeant nihil fore ſibi maiori præſidio, aut honori, quàm ſi cum imis de obſeruantiâ Legis & Regis ineant certamen. hoc enim eorum auribus ſemper inculcandum eſt, nullum ſeruitij genus tibi fore acceptius, quàm ſi ipſi præſtent, & ab alijs præſtari faciant legibus obſequium, abſque quo cætera omnia quæcunque præſtare poterunt, ingrata fore.

Plato in 1. Al. in pol. & 5. de l. Ariſt. 2. œcon.

Xenop. in Cyr.

Sed nihil eſt quod legum vſum magis impediat, quam iuris regalis hæreditaria penes quoſdam nobiles poteſtas; vera totius regni calamitas. Nihil mihi in præſentia conſilij hîc ſuccurrit, niſi vt ſeueriſſimam a ſingulis exigas officij rationem, &, quantum leges permiſerint, ceſſantium caſtiges ignauiam. & ſi quis poteſtatem hanc ſuo vitio amiſerit, nemini poſt illum hæreditario iure eam conceſſeris. Verum ad laudabilem Angliæ conſuetudinem omnia hæc paulatim aptare ſtudebis, quod tibi factu erit facilius, quum ibi quoque (vti ſpero) rerum potitus fueris.

Iuriũ regalium hæreditas.

Nunc ad tertium illum Ciuium ordĩnem veniamus (nam minorum gentium Barones nobilibus accenſemus) ij è Mercatoribus, & opificibus mixti ſunt, quorum vtrique ſuis laborant malis.

Mercatorum mores.

Mercatores Rempub. ideo inſtitutam putant, vt ipſi locupletentur; & ex populi incõmodis diteſcere is verò eſt legitimus eorum quæſtus. res neceſſarias exportant, reportant verò interdũ inutiles, interdũ nullas. Viliſſimas nobis merces emunt, quas cariſſimè diſtrahunt: & quanquã annonæ

annonæ pretium, pro copiâ & inopiâ, mutari ſoleat, nunquam tamen mercium pretia apud eos mutantur, niſi in maius. tanta illis eſt in malâ conſuetudine conſtantia, ac ſi pragmaticâ ſanctione ſtabilita foret. Horum culpâ monetæ etiam bonitas degenerat: noſtram enim exportant, alienam ad nos referunt, quacunque ipſis libitum eſt æſtimatione. Aduerſus hos, & ſimiles eorum mores, leges habemus, quas tibi cenſeo exercendas: ſed tria hæc ſedulò curato: vt, honeſtos, induſtrios, & paucos conſtituas inquiſitores (remiſsè enim fiunt quæ fiunt à pluribus) quibus Fiſcalem, virum fidum & acrem præficies. Deinde externos ad te negotiatores inuites; vt optimas merces à primis venditoribus emas viliſſimè. Pretia denique idonea rebus conſtituas, obſeruatâ aliarum regionum æſtimatione; cui ſi noſtri ſtare nolint, liberum eſto alienigenis quibuſcunque ea mercium genera aduehere. Plato 2. de Repub. & 11. de leg.

Et quia facta eſt pecuniæ mentio; ex puro auro argentóque eam fieri volo; nec pondere illudi populo, ſed ſatisfieri bonitate. ita Rempub. ditabis, & ſi belli aut aduerſarum rerum ingruat neceſſitas, inſtructum habebis ærarium. Nam vilioris metalli mixtione quæſtum quidem facere poſſis; ſed nollem id à te fieri, niſi aliàs vitare nequeas. De moneta conſilium.

Ea eſt opificum noſtrorum de ſeipſis opinio, vt nec pretia, quæ ſtatuſunt labori, patiantur minui; neque etiam argui inſcitiam. ſi alterutrum feceris, ægre illi ferent atque indignabuntur. Tu nihilominus hac in re Angliæ ſequutus exemplum; quæ poſtquam peregrinos artifices admiſit, mirum in modum floruit; non tantum copiam veniendi facies, ſed vltro etiam exteros inuitabis. quod ſi ex voto ſucceſſerit, tum tuorum aduerſus illos inuidiam ſeueriſſime coercebis; vt in primo illo exterorum opificum aduentu in Angliâ factum nouimus. De artificibus. Plato 11. de legib. Angliæ prudens factum. Plato 9. de legib.

Vnum reſtat vitium, quod plebem noſtram & ruri & vrbe peruaſit; effrenis de principe loquendi, & iudicandi temeritas. Reſpubl. his architectis formatur noua, præſentium faſtidio, & deſiderio futuri, licet ignoti. Cuius petulantiæ medela (ſi leges iam latas excipias) nulla mihi videtur oportunior, quàm ſi ità officio tuo fungare, vt vanis atque impudicis hominibus os obſtruas: tantáque ſollicitudine populi bono inuigiles, vt ne Momo quidem ipſi ſuperſit calumnia: & ſic cum ſeueritate miſceas clementiam, vt & procacibus iſtis capiſtrentur ora, & modeſtioribus non modò ſua conſtet incolumitas, verumetiam ex tuâ benignitate commendationis & præconij oriatur occaſio. Eam ob rem, & vt mutuam inter ciues foueas concordiam, non abs re fuerit ſpectaculis, & ludorum celebritatibus, & armis tractandis anniuerſarios dies inſtituere; & vicinos ad conuiuiorum feſtiuitates cogere. Nec enim video, quî maior ſit ludorum in Maio, vel epularum in natali Chriſti die ſuperſtitio, quàm ieiunij quadrageſimalis, aut abſtinentiæ à carnibus diebus Veneris; cum Papiſtæ vtrumque pari diligentiâ Morbus populi. Sal. in Iug. Ariſt. 5. Polit. Iſocr. in Paneg.

Digitized by Google

gentia faciant: si modò diem Dominicum, ludicris istis exemptum, Deo soli consecremus. Tu istam populo placendi rationem, quæ in omni bonâ Repub. honestissimè obtinuit, si reduxeris; Vetus illud merebere,

Horat de art. poet. *Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.*

Vides, mi fili, vt, desiderio tibi omnia syncerè indicandi, non dubitarim paulò magis esse Satyricus; & omnium in meo regno ordinum vitia acriùs perstringere. sed testor Deum paterno in omnes animo id factum, & solius vitij odio; quùm in singulis ordinibus bonos viros reperiri quamplurimos non ignorem.

Vt autem deprauatos hosce hominum mores facilius emendes, multum vtique interierit, populi ingenia, immò verò vniuscuiusque tractus, & territorij nosse consuetudines. Itaque illius regni, in quo mansurus es, præcipuas partes tibi censeo quotannis obeundas: neu pigeat regna tua omnia, quæ per dei gratiam consequêris, tertio quoque anno lustrare, vt querelas tuorum ciuium, & preces eorum coram inspicias, non omnia Proregum tuorum arbitrio permittens: & quanquam in singulis regnis sua institues dicasteria, suumque ex indigenis Senatum; non erit tamen alienum præcipua tibi ipsi reseruare negotia, de quibus, ipse, quùm eò venies, ex æquo, & bono statues.

Plato in Polit. & Min. Tacit. 7. annal. Mart.

Prohibendas esse exterorũ iniurias. Xen. 8. Cyr. Arist. 5. polit. Polyb. 6. Dionys. Halic. de Romul.

Neque modò tibi annitendum est, vt ciues tui nullam inter se patiantur iniuriam, verumetiam, vt ab exterorum vi securi sint. nec enim tibi gladius datus est, vt solas tuorum inter se iniurias vindices, sed & ab exteris illatas. Nam iusta sunt bella, honestis modò de causis suscepta. ideóque ante omnia prospice, vt tuis à partibus iustitia sit.

Quomodo cùm exteris principib. agendum. Isocr. in Plat. & Parag.

Cum alijs Principibus, tanquam fratribus tuis, iustitiam & beneuolentiam colito. quicquid promiseris, vel cum tuo damno præstato; humanitatis & officiorum quasi inito cum singulis certamine. Vt enim apud omnes, ita maximè apud hos cãdoris, & fidei laus tibi quærenda est; & Christianæ charitatis præceptum seruandum, vt alteri facias, quod tibi factum cupis. Ergo rebelliones aduersus alios Principes, exempli metu, tuas putabis iniurias. eiusmodi perduellibus neque mittes auxilia, nec quicquã credes: sed afflictorum Principum calamitatibus succurres. Quòd si quis tibi, aut populo tuo vltrò fecerit iniuriam, quem neque officio neque merito ad sanam mentem reuoces; tu absque omni ferociâ compensationem petes; & ex æquo & bono controuersiam deceptabis: tum verò, si nullâ honestâ conditione persuadere poteris, vt desinat nocere, aut restituat ablata; vltimum sane erit refugium, vt innocentiam tuam Deo commendes, sed amicitiâ per fœcialem priùs palam renunciatâ.

Arist. ad Alex. Varr. 11. de V. P. R. Cic. 2. off. Liu. lib. 4.

Liu. l. 2. Cic. eod.

De bello.

Vetùm cum bellandi ratio à multis tractata sit; & vsu potius quam lectione

Digitized by Google

lectione diſcatur, quid à te hîc fieri velim pauciſſimis monebo. Præcipuum tibi ſit in æquitate cauſæ præſidium, deinde cætera ad eam tuendam legitima conquire ſubſidia. nam Necromantas vel hariolos conſulere, quam ſit impium, docet funeſtus Saulis exitus. ab aruſpicinâ, & profanâ diuinationum vanitate, penitus abſtinendum eſt, iuxta legem Domini, fuſiùs à Ieremiâ explicatam. Neque vnquam ſingulari certamine controuerſiam decideris. præterquam enim, quòd totum hoc genus illicitum videatur, in quo exitus litis quaſi ſorti & aleæ permittitur, cuius nullum eſt fundamentum in ſacris literis poſt vetuſtæ legis abrogationem; in Rege ſanè in primis illicitum putandum eſt; qui publicam gerens perſonam, ſui ipſius poteſtatem non habet. eius enim ſalus vel interitus cum Reipub incolumitate aut pernicie, vt capitis & corporis coniuncta eſt.

Properat. eleg. Lucan. 7. Varr. 11. de V. P. R. 1. Sam. 31. Deut. 18. Plut. in Sert. & Ant.

Priuſquam bellum ſuſceperis, Regis illius à Chriſto deſcripti prudentiam æmulare, prouiſis omnibus, quæ ad bellum gerendum neceſſaria ſunt; & inprimis pecuniâ, belli neruo. Ductores ordinum ſenes elige expertóſque militiæ, milites verò iuuenes & robuſtos.

Luc. 14. Thucyd. 2. Sal. Iug.

Quin & ſeuerum militaris diſciplinæ exactorem te volo, non modò ordinis ſeruandi causâ, cuius non minor in bello vſus eſt, quàm fortitudinis; & deſidiæ puniendæ, qua nonnunquam totus exercitus periclitetur: verumetiam vt ſeditiones auertas, vnde certa in bello pernicies. Hiſpanos intuere, quorum tantos vbique ſucceſſus ſoli militaris diſciplinæ cuſtodiæ adſcripſeris. ſæpe enim in bello non eſt, niſi ſemel errare.

Cic. pro leg. Man Demoſt Olynt. 2. Liu lib. 30. Veget. 1. Cæſ. 1. & 3. de bell. ciu. Pro in Thraſ.

Parùm ſomno indulge, multùm labori: & hîc vt in cæteris rebus, peritiſſimos adhibe in conſilium.

Cæſ. 1. de bell. ciu. Liu lib. 7.

Cum militibus vt commilitonibus agendum eſt, vt eorum ſtudia inuites; ideoque & ſine modo ijs largiendum. nullus enim hîc parſimoniæ locus eſt. In deliberando lentum te volo & ſagacem; definiendo conſtantem; faciendo promptum & acrem. Caſtra tua bene munito: hoſtem, niſi rei gerendæ ſe offerat occaſio, ne adoritor. eum neque ſpernendum tibi conſulo, neque metuendum. In Stratagemate excogitando ingenioſus ſis, idemque honeſtus; non parùm hinc eſt ſubſidij, ſi adſit taciturnitas. Licebit tibi in conflictu periclitari, ſed ſemel, aut bis. partâ autem fortitudinis & magnanimitatis opinione, pone militarem audaciam. nec quibuſlibet te periculis obijcies, ſed omnium te ſaluti conſerua, quorum maior habenda cura eſt, quàm tui.

Xen. 1. & 5. Cyr. & de diſcip mi. Plut. in Ageſ. Polyb. 5. Xen. 1. Cyr. Thucyd 5. Iſoc. ad Phil. Plat. 9. de legib. Liu lib. 22. & 34. Tacit. 2. hiſt. Plutar. de fort.

Ne temerè bellum ſuſciperes modo conſului; nunc conſulo, ne temerè pacem facias. Priuſquam tranſegeris, vide vt per pacis conditiones ſuſcepti belli cauſæ compenſentur, tuæque & populi ſecuritati proſpiciatur. aliàs honeſtum bellum ignominioſæ paci præferendum.

De pace. Iſocr. in Arch. Polyb 3. Cic. 1. off. & 7. Philip.

Verùm non ſatis eſt ad boni Regis laudem, ſeueritate legum coercere,

Tacit. 4. hiſt.

cere,& vi armorũ populum protegere; ni ipſe, cum ſuâ familiâ,integritate vitæ omnibus prẹluceat, eoque exemplo populum ad amorem virtutis & fugam vitiorum inuitet. Cum igitur,mi fili,omnes naturâ imitentur Regem, caue ne olim dicaris, aliud populo iuſſiſſe, aliud ſequutus,vt facta cum dictis non conueniant. ſed è contra ſit vita tua ſubditis inſtar perpetui edicti; & ſpeculi, in quo legum vſum obſeruent; & ex eâ imagine viuendi exemplum capiant.

Vita Regis eſt pro exemplo. Plat in polit & 4. de legib.

Et huius vitæ tuæ exemplum è duabus partibus compono; prior eſt aulæ & comitum tuorum diſciplina, ſecundum pietatem & probitatem: altera,tuiipſius, iuxta eas virtutes,quibus cæteros dirigas & emendes. nec enim ſufficiet ingentes virtutes mentis ergaſtulo captiuas concludere,niſi eorum bono,quos Deus tuo credidit imperio, eas in lucem proferas & exerceas. Virtutis enim omnis laus in actione conſiſtit.

Plat in Theæt. & Euth. Ariſt.1.Eth. Cicer.in off.

De aulâ verò & aulicis regendis Rex Dauid longè optima, & prudente Chriſtianoque Principe digniſſima tradit præcepta. Nam vt in ſubditis ingentem, ita in aulicis regendis geminam oportet curam adhibere,Oeconomicam nempe & Politicam.

De aulâ. Pſal. 101.

Nemo ferè eſt ex omnibus, qui non aulicum bene,malèue agentem libenter ſequatur. nec vllum eius eſt, ſi conniues, tam enorme flagitium,quod non alijs idem facientibus ſit inſtar iuſtæ excuſationis. Itaque circa familiam duo omnino præcipio, nempe vt prudenter eligas, & prudenter regas quos elegeris.

Cic.ad Qu fr.

Sunt qui ad vitam aulicam à naturâ prorſus ſunt inepti. quanquam enim educatio altera ſit natura, eaque cum conuerſatione coniuncta ad mores emendandos multum poſſit, vt tamen in veteri eſt prouerbio,

Plat.5.de leg. Ariſt.2. œcon.

Naturam expellas furcâ licet, vſque recurret.

Summa ergo in ſeruorum tuorum & Comitum delectu cautio adhibenda eſt: nam

Turpius eijcitur, quàm non admittitur hoſpes:

Ouid.5.de triſt.

& idonea ſatis eſt cauſa non admittendi, quæ dimittendi minus idonea eſt.

Qui aulam ſequuntur, aut immaturæ ſunt ætatis; vt nobilium virorum hæredes, educationis gratiâ; & aſſeclæ ob miniſterium: aut adultæ, qui ijs funguntur officijs, quæ prudentiam & iudicium exigunt. Priores illos, ſi antequam plenè adoleuerint,& ex honeſtiſſimis probiſſimiſque familijs, & in fide parentum (vt fit in baptiſmo) elegeris, tuo officio rectè defunctus videbere. Licet enim anima non ſit ex tradu-ce, ſed à Deo creata & infuſa, certum eſt tamen, virtutem & vitium vna cum patrimonio ſæpenumero deuolui ad poſteros; nec minus animi quã corporis morbos in quibuſdã familijs hęreditarios inueniri. Igitur ephebos iſtos ex ijs familijs eligere conueniet,quę,probitate & fide prẹter cæteras inſignes,nullâ vnquam perfidiâ vel proditione notatæ ſunt.

De miniſtrorum delectu. Ariſt.1 & 5. Polit. Cicer ad Qu. fr. Teſtis familia Gaureana. Plat. 6.de leg. Ariſt.2.œcon. & 1.Polit.

Priuſ-

Digitized by Google

Priuſquam illos maturæ ætatis miniſtros elegeris, vide vt illæſæ ſint & intaminatæ famæ : alioqui populo nihil aliud ſentiendum relinquis, quàm electos eſſe, quos tuo maximè conuenire ingenio perſpexeris, & vitiorum amore cæteris omnibus prætuleris. Populus enim, qui te intus nec nouit nec diſcernit, ſolâ hac comitatus tui & conuerſationis externâ ſpecie ducitur, quæ ſola plebeijs ſenſibus obuia eſt. Tum vide vt eiuſmodi præditi ſint virtutibus, quæ ſuis muneribus obeundis ſint neceſſariæ. erit enim hoc iudicij tui ſpecimen non vulgare, ſi vnicuique eam demandes prouinciam, ad quam regendam eſt aptiſſimus. Ad ſummam, in ſeruorum delectu ſequere Dauidis conſilium, & ad comitatum tuum optimos quoſque & fidiſſimos oculis deſignes.

Plat. 6. de legi. Iſoc. in Pan. Ariſt. 5. Polit. Demoſt. 2. Phil.

Plat. 7. de Rep. & in 3. de legib. Ariſt. 5. & 6. polit.

Pſalm. 101.

Atque hîc committere non poſſum, quin te moneam, vel pro patriâ poteſtate etiam iniungam, eos præcipuè in tuam familiam adſciſcas, qui mihi fidelem operam nauauerunt. ſin ex eo numero quoſdam emeritos inueneris, præmijs ornatos dimitte: exque eorum ſobole, vt notiſſimâ, miniſtros lege. Ita non modo tibi de præſtantiſſimis ſeruis proſpicies; cum neceſſe ſit te ament qui parentes tuos amârunt, ſi verum eſt, quod modò oſtendimus, te illis acceptum nunquam fore, qui parentes tuos oderunt : ſed etiam oſtendes gratæ eſſe apud te memoriæ patrem tuum. & veteres miniſtri, cùm paternum in te animum ſenſerint, benedicent tibi. ſin diuturni ſeruitij merita neglexeris, eorum preces vertent in vota pro me, in diras aduerſus te. Me mortuo his vtere, vt ſint teſtes tui erga me amoris : & quorum ego fidem ſenſi maximam, hi apud te gratiam ineant potiſſimam. Neque tamen eos fidiſſimos iudicabis, quibus ego plurimum dedi (nam in præmijs dominatur fortuna, cuius etiam ea dicuntur bona) ſed quibus plurimum credidi; vt cui ſæpius occaſio defuerit multis gratificandi, quàm voluntas. Nec tantùm volo conſtanter ames qui me amârunt; ſed quos ego odi, eodem gradu & conſtantiâ etiam oderis : neque vnquam meos exules reuoces, aut reſtituas proſcriptos. aliàs & mei contemptum prodes, & tuam ipſius leuitatem. quo enim pacto conſtabit eorum fides in filium, quorum perfidia nimis nota fuit in parentem?

Benevolentia ad hæredes tranſmittenda

Sed vt ad inſtitutum noſtrum reuertamur : ſi ita, vt præcepi, ſeruos elegeris, facile ea vitabis incommoda, in quæ pupillaris mea ætas incidit. Tunc enim, qui omnia poterant, pro arbitratu quoque ſuo familiam meam ſupplebant; adlectis non quos noſtris miniſterijs credebant idoneos, ſed quos rebus ſuis maximè oportunos ſperabant : id quod in primâ illâ aduerſus me concitatâ rebellione manifeſtò apparuit, vnde & familiæ meæ ingentem mutationem facere coactus ſum. nihilominus mali exempli re diu poſtea ab ijs vexatus ſum, qui ſeruos mihi tradere ſtudebant, ſuo ſanè magis quàm Domini bono. Meum igitur ſequutus exemplum, famulos adſciſce, non alijs, ſed tibi oportunos.

Exemplum domeſticum.

Et

Et quum communis omnium parens esse debeas, ex omnibus regni plagis promiscuè adsciscè; delectu facto non secundum aliena arbitria, sed seruientium ingenia. nam cum ad omnes tuum pertineat imperium, æquum est ex omnibus tua eligi seruitia.

Aristot. 2. Polit.

De muneribus publicis. Plato de Rep. Cicer. ad Q. fr. Isoc. in Pan. ad Nicoc. & de pace. Thuc. 6. Plutar. in Pol.

Sed summa est in eorum delectu cautio, queis publica regni negotia crediturus es. in cæteris tuum, in his verò euehendis populi bonum spectandum est; cuius ratio Deo olim exactissima reddenda est. Eiusmodi igitur officia hominibus notæ prudentiæ, probitatis & pudoris credideris, earum rerum, quas tractaturi sunt, imprimis peritis, & ab omni factione partiúmque studio alienis; sed ante omnia adulatione vacuis, teterrimâ illâ Regum & Rerumpubl. peste.

Plat. in Phæd. & Men. Arist. 5. Polit. Isocrates in Syn. Tacit. 3. hist. Curt 8.

Nam si æquum erat in primâ huius operis parte monere, vt ab intimo illo adulatore, quem in sinu circumfers, omni ope caueres, scilicet φιλαυτίας; quanto magis ab externis illis, nec vllo sanguinis vinculo tibi iunctis, vt tibi tute es, metuendum fuerit, qui ideo putidissimam exponunt mercem, vt ex tuo exitio viam sibi muniant ad opes? sic te Deus amet, si neminem magno in Republ. loco, nisi virtutis causâ, dignabere. Ante omnia rei pecuniariæ probos viros & industrios præficies, & qui soluendo sint: at conditione mediocres, vt, absque vllo seditionis periculo, accepti & expensi rationem exigas, quantumlibet seueram. Ex hoc errore præcipuè euenit, vt parum mihi fæliciter hactenus cesserit negotium argentarium. Sed nihil tibi magis cauendum est, quàm ne peregrino homini publicum munus committas; quæ res seditionem in populo haud dubiè ciebit, & publicam aduersus te illúmque inuidiam armabit. Sed (vt antè monui) quum regnorum tuorum, Deo fauente, hæreditatem cernes, ex indigenis ipsis curiam statues in singulis.

De Quæstoribus publicis.

Arcanum imperij. Arist. 5 Polit. Cicer. ad Qu. fr.

Et vt meo consilio, de seruorum tuorum delectu, tandem finem faciam, volupe sit in famulitio tuo nobilissimos quosque habere: præterquam enim quod ex eorum ministerio parum inuidiæ, beneuolentię plurimum oriatur, contrà quàm euenit in hominibus nouis; videbis plerumque nobilitati generis comitem datam esse virtutem; quod & ante monui.

Plat. in 1. Al. in Pol. & 5. de legib. Arist. 2 œcon.

Vt autem prudenter regas, quos prudenter elegisti (quæ monitionis meæ altera pars erat) aulam, & comitatum tuum populo statuere oportet pietatis, & probitatis exemplar. itaque tuorum moribus assiduè inuigila, vt legum præscripto ad vnguem respondeant. Quo pacto enim legibus parebitur foris, si negliguntur domi? Adeoque familiarium tuorum, quam reliquorum delicta grauiore pœnâ cohibebis. Verùm, quod præter cætera tibi iniunctum volo, caue, ne quis apud te gratiâ suâ abutatur ad subditorum aliquem vexandum, aut opprimendum. prout mores sunt aut merita cuiusque, ita te illi austerum exhibe vel familiarem. Hominem rixosum tui comitatus pestem puta. Inti-

Aulæ administratio. Isoc. in Areop. Idem in Pan.

Arist. 2. polit. Tacit. 1. hist. Val. lib. 2.

mæ

mę admiſſionis miniſtros & præſertim à cubiculis ſelige manſuetiſſimos & fidiſſimos. nemo eorum alienis ſe immiſceat negotijs, ſed quod de Turcici imperatoris Ianizaris circunfertur, patrem alium non nôrint niſi te, negotia non nouerint niſi tua. Quod ſi quis ab amicorum ſuorum litibus abſtinere noluerit, eum tibi cenſeo dimittendum. Regi enim, qui ipſe nullius eſt tribûs, nullius agnationis, ſed omnibus aut ſoli virtuti æquus, in comitatu ſuo miniſtros habere factioſos & partibus addicto, non conuenit. Ne altum illi ſapiant, ſed tibi morem gerant. & vt eorum nemo, niſi meruit, retinendus eſt; ita nemo, niſi commeruit, mutandus. Eorum operam vt & cæterorum præmio aut pænâ compenſa, in quo politicæ adminiſtrationis baſis eſt. Pro modo peritiæ in rebus agendis, ſingulorum vtere induſtriâ: ſed omnia vni mandare non conuenit, ne ſuperbiat, & cæterorum inuidiæ ſubiaceat. Candidos illos & ingenuos magis ama, quique veritatem cognationibus ſuis anteferant. Maledicos ne patere, vel eorum etiam, quos oderunt, calumniatores. Et omnes, qui tui ſeruitij nexu coniuncti ſunt, fraterni amoris vinculo connecte. In ſummâ, apud te foueatur concordia, alatur modeſtia, perditus luxus exulet, exulet liuor, deijciatur ſuperbia: iſque modus & decorum in ſingulis miniſterij partibus obtineat, vt exteri aulam tuam viſuri cum regina Shebæ, prudentiam tuam, gloriam domus tuæ, & ordinem ſeruorum tuorum admirentur.

Curt. 4.

Demoſt. & Phal. in Cat. Liu. 22.

Tacit. eod. & in 1. Ann.

Regnandi baſis. Ariſt. 5. Polit. Tacit in Ag. Dion. li. 52. Xen in Ageſ. Iſoc. in Sym. & ad Ph. Idem. de perm. Cic. ad Qu. fr.

1. Reg. 10.

Sed præcipuum conſortij bonum ex pia & pudica vxore tibi ſperandum eſt: ea enim quocunque alio tibi proprior eſt; caro de tua carne & os de tuis oſſibus; quod de Eua ſua dixit Adamus. & quoniam fortaſſe funus noſtrum prius duces, quam vxorem; breuiter meum tibi conſilium ſuper hac re exponam.

De Coniugio.

Gen. 2. 23.

Primum igitur conſidera, in hac vita nihil eſſe melius coniugio ſi Deus fortunet; nihil peius, ſi ille aduerſetur. Quùm igitur abſque Deo nullus ſit coniugij ſucceſſus, tibi enixè danda opera eſt, vt in eius meditatione, electione, vſu Deum facias propitium. Meditari ita oportet coniugium, vt futuræ vxori, cui ſoli debetur, caſtum cuſtodias & incorruptum corpus. Nam quo iure ipſe inceſtus caſtam poſtules virginem? aut cur in vno coniugij dimidio requiritur puritas, ſi in altero toleratur pollutio? Licet enim probè ſciam, quàm leue ſit hominibus, & veniæ proximum hoc ſtupri delictum; tu tamen, quid de conſcientia ſupra à me dictum fuerit, in memoriam reuoca: non eſſe iuxta popularis opinionis vanitatem æſtimanda delicta noſtra, ſed iuxta Dei legiſlatoris & iudicis prudentiam. audi ex ore Pauli Apoſtoli diuinum interdictum, *abſtine à fornicatione. mœchus enim* (inquit) *regnum cœlorum non poſſidebit*. audi ex ore Ioannis fornicationem adnumeratam flagitijs, quæ reos è ſpirituali & cæleſti Hieruſalem ad canes & porcos relegant. Cogita quæſo, ſi quis ſemel auſit id leue iudicare, quod Deo graue eſt;

Meditatio Coniugij.

1. Cor. 6. 10.

Apoc. 22. 15.

& veniæ affine, quod proximum eſt pœnæ; atque ita vnum genus peccati non conſcientiâ, ſed ſuo affectu metiatur; quid impediet, obſecro, quò minùs in altero, ad quod eum aliqua animi perturbatio impulerit, idem faciat, cum eadem ſit cæterorum ratio? atque ita pergat, donec omnium regulam, excluſo Deo, ſuam faciat cupiditatem? tum verò, quid de eo aliud fiet, quàm vt prauis affectibus, quibus ſe dediderit, intereat? Sed quoniam ita cum omnibus comparatum eſt, vt plus cognatis percellamur exemplis; vide quàm diuerſum coniugijs noſtris Deus ſucceſſum dederit, meo, inquam, & aui mei. Ille incontinentiæ ſuæ, quam ego prauæ educationi tribuo, grauem pœnam perpeſſus, duos ſpecioſiſſimos ſimul amiſit filios; relicta filiola hærede, cui benedicere ante obitum illi non licuit, nec videre quidem. Ita ille deceſſit, patriâ gemino malo multatâ; prole recèns natâ, quæ regnaret; eaque ſequioris ſexus. Quàm mihi Deus fuerit propitius, & continentiæ dono conceſſo, & bonis quæ continentiam ſequuntur; tu ipſe, & alij, eiuſdem tecum ſanguinis, teſtes ſunt ſatis locupletes. quam fælicitatem & mihi & poſteris, eâdem numinis annuente clementiâ, ſpero fore propriam. Ne erubeſcas igitur, vtut in contrarium rapiant vanæ illecebræ, corpus tuum, Spiritus ſancti templum, purum & incorruptum ſeruare; non incertis hominum opinionibus, ſed ſua ex indole vitia & virtutes diſcernens.

Incommoda ex noſtris affectibus.

Exemplum domeſticum.

1. Cor. 6. 19.

In delectu coniugis tres cauſas reſpice, ob quas ab initio coniugium inſtitutum fuit; quibus tria accidentia adiunges, & ea non negligenda, modo prioribus illis nihil derogetur.

Tribus enim de cauſis inſtitutum fuit à Deo coniugium, libidinis ſiſtendæ, & ſobolis procreandæ, & mutui adiutorij gratiâ. Noli itaque differre coniugium in ſenectam, cuius finis eſt coercere libidinem iuuentæ. Regi verò maturiùs vxor ducenda eſt propter bonum publicum. At tu noli committere, vt vllius rei gratiâ fœminam ducas creandis liberis vel ætate, vel naturâ, vel caſu inhabilem: gemino enim peccato & tibi & populo noceres. Moroſam etiam vel male educatam fuge. nam fœmina adiumento eſſe debet marito, non impedimento.

Tribus de cauſis inſtitutum coniugium. Ariſt. 7. Polit.

In eod.

Tria accidentia, quorum etiam eſt habenda ratio, ſed ita, vt præcipuis cauſis nihil derogent; ſunt forma, opes, amicitiæ, omnia bona & à Deo. Nam forma vxoris non patitur amorem mariti decreſcere, aut aliò vagari: opibus & amicitijs inſtructior fiet vxor, vt maritum iuuet. Quòd ſi hæc tria, tribus illis primis & præcipuis neglectis, ſectatus fueris (quod nimis ſæpe fieri amat) tum verò vt licitus eorum vſus cedit in bonum, ita abuſus iſte in magnum vertet malum. Cui enim bono ſunt iſta humana, cùm Furiam habes, indiuiduam thori comitem, tuò ſemper lateri affixam? tum ſerò ſenties venuſtatem ſine veritate, opulentiam

Cauſæ coniugij acceſſoriæ. Ag. Ro. 2. de reg. pr.

Digitized by Google

am ſine prudentia, amicitiam ſine gratia ſplendidas eſſe miſerias; & (vt verbo dicam) ingentium calamitatum laruas.

Tu, mi fili, trium cauſarum rationem habe, propter quas coniugium inſtitutum fuit: & cætera omnia adijcientur vobis. Ideoq; nihil mallem, quàm fæminã tibi ſociari vt loco & dignitate parem, ita religione etiam non diſparem. Licet enim (quod doleo) pauci ſint Principes opibus florentes, qui idem nobiſcum in religione ſentiant, adeoque durius paulò & difficilius hoc conſilium videri poſſit, cogita tamen, mi fili, atque apud animum tuum diſquire, quo pacto cum vxore tua vnam in carnem coaleſcere & concordem vitam tranſigere poſſis, quæ alterius & contrariæ Eccleſiæ membrum eſt; diſſidio in ſacris diſſidium in moribus neceſſariò creante. Quid quod illius concionatores diſſidentes a tuis turbas in populo parient, animis hominum, tuæ familiæ exemplo, in partes & factiones diſtractis: nec tu prauæ educationis periculum facilè a liberis auertes. Quòd ſi rem facilem arbitrabere fæminam ad arbitrium tuum formare, & fingere; cogita Regum ſapientiſſimum, Solomonem, eadem in re fruſtrà fuiſſe. rarior enim paulò eſt perſeuerantiæ herba, nec vbique germinat.

Mat. 13.

Præcipua in coniugio cautio.

Succurrat tibi, è grauiſſimis huius vitæ negotijs eſſe matrimonium; maximámque eſſe in prima vxore cautionem, quæ ſi infra ſortem tuam fuerit, vix eſt, vt vnquam eam labem redimas. denique, quod de ſeruis præcepi, idem in vxoris delectu obſeruandum eſt; vt ex integra ſit puráque domo, & ab hæreditarijs animi corporíſque morbis libera. Si etenim de canum equorumque genere non ſumus incurij, quanto maior eſſe debet de noſtra ſobole ſollicitudo? Hæc ſi in coniugio legendo ſeruaueris, & tuæ conſcientiæ & poſterorum tuorum dignitati & bono quam rectiſſimè conſules.

De incorrupta vxoris origine.

Plat. 5. de Rep. Cic. 2. de diu. Ariſt. de gen. anim. Luc. 4.

Vxore iam ducta, votum in nuptijs factum Deo ſanctè exolue, vnâ nimirum re facienda, altera fugienda. Nam ea in rebus omnibus vti vxor tractanda eſt, & dimidium tui: tui verò corporis vſura (quod iam tuum non eſt ſed illius) alteri communicanda non eſt. Confido nihil eſſe neceſſe adulterij flagitium tibi diſſuadere. veniat modò in mentem, quid in coniugio Deo promiſeris; cuius promiſſi gratiâ cum tui tibi ſuccedant liberi, quod aliàs illis non liceret, ratio ſanè efflagitat, vt tu pro virili parte quàm ſanctiſſimè cuſtodias. Eſt Deus periurij ſeueriſſimus vindex: Neque verò ioculare illud iuſiurandum cenſeri oportet, quo liberis noſtris ampliſſima regna cedunt in patrimonium. Pone tibi ante oculos Regis aui mei exemplum, qui filiæ ſuæ vnicæ & hæredi creauit exitium, genito filio notho, cuius rebellione & ſoror & Regina euerſa eſt. Quantæ verò calamitates in poſteros eius ex infami illa ſpuriorum ſobole redundârint, Bothuelij molitiones ſint argumento. Si vis igitur vt coniugio tuo Deus benedicat,

Plat. 11. de Legib. Iſocr. in Sym.

Cic. 2. de Leg.

Digitized by Google

nedicat, quod feciſti in coniugio ineundo votum optimâ fide exolue.

Quomodo autem erga coniugem te geras, è ſacris literis diſcendum eſt: eam vt corpus ama, vt adiutricem foue, vt pupillam rege: illa hęc in re iuſtâ ferat repulſam, nec tamen alienis tractandis affluęſcat. Tu caput es, illa corpus; tuum eſt leges dare, illius accipere, ſed eâ imperandi ſuauitate, vt promptior illa ſit obſequij, quam tu imperij; aut certè non minus ad ſequendum procliuis, quam tu ad præeundum. Ita illi vni tuum amorem oportet eſſe deuotum, & omnes illius affectus tuæ voluntati obnoxios.

Arist. 8. Eth. & 1. Polit. Xen. & Arist. in œcon.

Ad ſummam tria cum vxore obſerua: inprimis ne quam Reip. partem attingat, ſed regendæ familiæ tota intenta, nihil etiam ibi faciat abſque tuo conſilio: deinde, ne cum eâ conuerſari patiaris, niſi honeſtiſſimos & caſtiſſimos: lubricior enim eſt hic ſexus. deniq; ne quando ſimul ambo commoueamini; ſed eâ iraſcente tu bilem reprime, quia, ſedatâ iſtâ mentis perturbatione, tu de illius errore rectiùs iudicabis; & illa, cum ad ſe redierit, offenſam ſuam meliùs intelliget, & tuam monitionem reuerentiùs admittet.

Arist. 1. Rhet. Plut in Men. Ægid R. de reg pr. Pla. 5. de Rep. & 7. de leg.

Liberorum regiorum cura.

Si te liberis Deus beauerit, honeſtè & piè educato. diligito quoque vt par eſt; ſed amorem hunc patriũ vide ne ſentiant, niſi quatenus eorum indoli expedire cognoueris. ita amore, pudore, metu eos in officio continebis. Et quando diuinâ bonitate tria hæc regna tibi obuenient, natu maximum filiorum ſcribes regnorum tuorum ex aſſe hæredem: reliquis priuati patrimonij modus ſufficiat. ſi regna diuiſeris, diſcordiarum & bellorum ſemina poſteris relinques, id quod huic Inſulæ accidit à Bruto patre tribus filijs diuiſæ, Locrino, Albanacto, & Cambro. Sin nullâ te auxerit ſobole diuina benignitas, proximum hæredem, quæcunque tua de illo fuerit opinio, iure ſuo non fraudabis. Regnorum enim collatio eſt penes Deum, vſus fructus tamen noſter eſt: nec magis penes Regem eſt, quàm populum, iure ſuo exturbare legitimum hæredem.

Plut. in Theſ. 4 & 5. de rep. 6. & 7. de leg. Arist. 7. polit.

Diſſidiorum inter fratres præcautio. Polid. lib. 1. Sceptrum eſt extra commercia.

Quemadmodum autem comitum tuorum eſt bene agendo populo præire; ita tuum eſt comitibus tuis præferre facem ad virtutis viam, vt nihil prius aut antiquius habeant, quàm viſas in te animi inſignes dotes æmulari.

De quatuor Cardinalibus virtutibus tam trita res eſt, vt nolim eſſe moleſtior: Vnum tibi mando, vt reliquarum reginam ſtatuas Temperantiam. Neque verò eam intelligo, quæ vulgari notione duobus ſenſibus, tactus & guſtus, leges præſcribit: ſed illam, quæ tibi det iura, &, reginæ inſtar, omnes affectus ſubijciat rationi, & ſingulas vitæ partes condiat ſalubri mediocritate. Itaque non modo affectus tuos, ſed & ipſos virtutum actus moderationi ſubmitte. Licet enim prima & deſideratiſſima Chriſtiani hominis virtus, ſit pietas; vt quæ ex timore &

Vſus temperantiæ Arist. Polit. 6. Cic. 1. off. 2. de inuent. & in parad.

notitiâ

Digitized by Google

notitiâ Dei oriatur : meminiſti tamen, opinor, quo pacto, ſub libri primi finem, omnibus externis actibus à pietate profectis moderationem cenſuerim adhibendam. quod ipſum de Iuſtitiâ confirmo, earum virtutum, quæ Regis propriæ ſunt, omnium maximâ.

Vtere iuſtitiâ, ſed eâ cum moderatione, ne tyrannidi affinis ſit nam ſummum ius ſumma iniuria. Vt ſi quis notæ probitatis ſolus inciderit in multos latrones, perditę vitæ notęque infamiæ homines; eorúmque aliquem cum moderamine inculpatæ tutelæ occiderit; ideone tamen, quia illis aquâ & igne interdictum non erat, neque ex vllo oculato teſte conſtare poteſt de impreſſione & vi, vir probus è veſtigio ceruicem ſubijciet ſecuri? Præterea legibus noſtris ſub graui mulcta interdici poteſt alicui, ne vicinum diuexet, ne fines eius agróſque ingrediatur; quid ſi eius equus, rupto quo tenebatur capiſtro, pratum vicini ingrediatur, gramen conculcet & depaſcat; continuone mille aureos equinæ ferociæ aut debilioris capiſtri pænam ſoluet Dominus? minimè verò. leges enim ciuilis ſocietatis regulæ ſunt, non innocentiæ laqueus. Vnde & earum interpretatio non tam ex verborum cortice, quàm ex legiſlatoris mente petenda eſt. nam ratio eſt anima legis.

Plat. 4. de leg. Ariſt. 1 mag. mor. Cic. 1. off. & pro Rab. & ad Quint. fr. Sen. de Clem. Ariſt 5. Eth. 1. Rhet. Cic. pro Cæcina.

Quod de Iuſtitiâ dixi idem de clementiâ, magnanimitate, liberalitate, conſtantiâ, humilitate & cæteris virtutibus regijs dicendum eſt. nam in mèdio ſtat virtus. Satanæ tamen aſtu factum eſt, vt vitia, quæ extrema virtutem circumſtant, ſæpe virtutis nomine honeſtentur, quùm nihil habeant virtuti ſimile; immò verò, contraria vitia iam poſita in ſummo, inter ſe coincidant. nam in infinitis omnia concurrunt. Quid enim differt ſumma illa tyrannis, cui humani generis interitus oblectamento eſt, ab extremâ leuitate, per quam licet vnicuique quod libet? quid differt ſumma prodigentia, quæ omnibus abſumptis nihil poſſidet, à ſummâ auaritiâ, quæ, omnibus reconditis, nihil fruitur, haud abſimilis aſino, qui frumento onuſtus inediâ abſumitur & carduo veſci contentus eſt? Quid intereſt glorioſi Nebuchadnezaris ſuperbia præpoſteræ Puritanorum humilitati, qui dum paritatem ſuam aſſerunt, & teſtantur in publico, Omnes homines eſſe vermes; Regibus tamen leges dare volunt; at à nemine accipere, à nemine redargui. Certè plus eſt ſub nigro huius pileo ſuperbiæ, quam ſub Alexandri Macedonis diademate, vt de Diogene in ſimili caſu dictum fuit.

Extrema vitia non ſunt id quod videntur: ſed coincidunt.

Verùm ſupra omnes virtutes tua tibi ars diſcenda eſt, vt regnes. quod cum præcipio, omnium artium notitiam tibi commendo. Quo pacto enim omnes corrigas & redarguas (quod tui eſt officij) niſi omnes noueris? Itaque præter cæteram educationem, lectione & rerum bonarum veſtigatione neceſſe eſt te oblectes; ſed duplici hac cautione: nempe, vt ſucciſiuis id facias horis, & quibus datum eſt à muneris tui functione feriari. Deinde verò, vt finem tibi proponas, non otioſam

An regia imprimis colenda. Polit. Polit. 5. de Rep. & epiſt. 7. Cic. ad Q. fr. & de Or.

nedicat, quod feciſti in coniugio ineundo votum optimâ fide exolue.

Quomodo autem erga coniugem te geras, è ſacris literis diſcendum eſt: eam vt corpus ama, vt adiutricem foue, vt pupillam rege: illa hęc in re iuſtâ ferat repulſam, nec tamen alienis tractandis aſſueſcat. Tu caput es, illa corpus; tuum eſt leges dare, illius accipere, ſed eâ imperandi ſuauitate, vt promptior illa ſit obſequij, quam tu imperij; aut certè non minus ad ſequendum procliuis, quam tu ad præeundum. Ita illi vni tuum amorem oportet eſſe deuotum, & omnes illius affectus tuæ voluntati obnoxios.

Arist. 8. Eth. & 1. Polit. Xen. & Arist. in œcon.

Ad ſummam tria cum vxore obſerua: inprimis ne quam Reip. partem attingat, ſed regendæ familiæ tota intenta, nihil etiam ibi faciat abſque tuo conſilio: deinde, ne cum eâ conuerſari patiaris, niſi honeſtiſſimos & caſtiſſimos: lubricior enim eſt hic ſexus. deniq; ne quando ſimul ambo commoueamini; ſed eâ iraſcente tu bilem reprime, quia, ſedatâ iſtâ mentis perturbatione, tu de illius errore rectiùs iudicabis; & illa, cum ad ſe redierit, offenſam ſuam meliùs intelliget, & tuam monitionem reuerentiùs admittet.

Arist. 1. Rhet. Plut in Men. Ægid R. de reg pr. Pla. 5. de Rep. & 7. de leg.

Si te liberis Deus beauerit, honeſtè & piè educato. diligito quoque vt par eſt; ſed amorem hunc patriũ vide ne ſentiant, niſi quatenus eorum indoli expedire cognoueris. ita amore, pudore, metu eos in officio continebis. Et quando diuinâ bonitate tria hæc regna tibi obuenient, natu maximum filiorum ſcribes regnorum tuorum ex aſſe hæredem: reliquis priuati patrimonij modus ſufficiat. ſi regna diuiſeris, diſcordiarum & bellorum ſemina poſteris relinques, id quod huic Inſulæ accidit à Bruto patre tribus filijs diuiſæ, Locrino, Albanacto, & Cambro. Sin nullâ te auxerit ſobole diuina benignitas, proximum hæredem, quæcunque tua de illo fuerit opinio, iure ſuo non fraudabis. Regnorum enim collatio eſt penes Deum, vſus fructus tamen noſter eſt: nec magis penes Regem eſt, quàm populum, iure ſuo exturbare legitimum hæredem.

Liberorum regiorum cura.

Plut. in Theſ. 4 & 5. de rep. 6. & 7. de leg. Arist. 7. polit.

Diſſidiorum inter fratres præcautio. Polid. lib. 1. Sceptrum eſt extra commercia.

Quemadmodum autem comitum tuorum eſt bene agendo populo præire; ita tuum eſt comitibus tuis præferre facem ad virtutis viam, vt nihil prius aut antiquius habeant, quàm viſas in te animi inſignes dotes æmulari.

De quatuor Cardinalibus virtutibus tam trita res eſt, vt nolim eſſe moleſtior: Vnum tibi mando, vt reliquarum reginam ſtatuas Temperantiam. Neque verò eam intelligo, quæ vulgari notione duobus ſenſibus, tactus & guſtus, leges præſcribit: ſed illam, quæ tibi det iura, &, reginæ inſtar, omnes affectus ſubijciat rationi, & ſingulas vitæ partes condiat ſalubri mediocritate. Itaque non modo affectus tuos, ſed & ipſos virtutum actus moderationi ſubmitte. Licet enim prima & deſideratiſſima Chriſtiani hominis virtus, ſit pietas; vt quæ ex timore & notitiâ

Vſus temperantiæ Arist. Polit. 6. Cic. 1. off. 2. de inuent. & in parad.

Digitized by Google

notitiâ Dei oriatur : meminiſti tamen, opinor, quo pacto, ſub libri primi finem, omnibus externis actibus à pietate profectis moderationem cenſuerim adhibendam. quod ipſum de Iuſtitiâ confirmo, earum virtutum, quæ Regis propriæ ſunt, omnium maximâ.

Vtere iuſtitiâ, ſed eâ cum moderatione, ne tyrannidi affinis ſit nam ſummum ius ſumma iniuria. Vt ſi quis notæ probitatis ſolus inciderit in multos latrones, perditę vitæ notęque infamiæ homines; eorúmque aliquem cum moderamine inculpatæ tutelæ occiderit; ideone tamen, quia illis aquâ & igne interdictum non erat, neque ex vllo oculato teſte conſtare poteſt de impreſſione & vi, vir probus è veſtigio ceruicem ſubijciet ſecuri? Præterea legibus noſtris ſub graui mulcta interdici poteſt alicui, ne vicinum diuexet, ne fines eius agróſque ingrediatur; quid ſi eius equus, rupto quo tenebatur capiſtro, pratum vicini ingrediatur, gramen conculcet & depaſcat; continuone mille aureos equinæ ferociæ aut debilioris capiſtri pænam ſoluet Dominus? minimè verò. leges enim ciuilis ſocietatis regulæ ſunt, non innocentiæ laqueci. Vnde & earum interpretatio non tam ex verborum cortice, quàm ex legiſlatoris mente petenda eſt. nam ratio eſt anima legis.

Plat. 4. de leg. Ariſt. 1 mag. mor. Cic. 1. off. & pro Rab & ad Quint. fr. Sen. de Clem. Ariſt 5. Eth. 1. Rhet. Cic. pro Cæcina.

Quod de Iuſtitiâ dixi idem de clementiâ, magnanimitate, liberalitate, conſtantiâ, humilitate & cæteris virtutibus regijs dicendum eſt. nam in mèdio ſtat virtus. Satanæ tamen aſtu factum eſt, vt vitia, quæ extrema virtutem circumſtant, ſæpe virtutis nomine honeſtentur, quùm nihil habeant virtuti ſimile; immò verò, contraria vitia iam poſita in ſummo, inter ſe coincidant. nam in infinitis omnia concurrunt. Quid enim differt ſumma illa tyrannis, cui humani generis interitus oblectamento eſt, ab extremâ leuitate, per quam licet vnicuique quod libet? quid differt ſumma prodigentia, quæ omnibus abſumptis nihil poſſidet, à ſummâ auaritiâ, quæ, omnibus reconditis, nihil fruitur, haud abſimilis aſino, qui frumento onuſtus inediâ abſumitur & carduo veſci contentus eſt? Quid intereſt glorioſi Nebuchadnezaris ſuperbia præpoſteræ Puritanorum humilitati, qui dum paritatem ſuam aſſerunt, & teſtantur in publico, Omnes homines eſſe vermes; Regibus tamen leges dare volunt; at à nemine accipere, à nemine redargui. Certè plus eſt ſub nigro huius pileo ſuperbiæ, quam ſub Alexandri Macedonis diademate, vt de Diogene in ſimili caſu dictum fuit.

Extrema vitia non ſunt id quod videntur: ſed coincidunt.

Verùm ſupra omnes virtutes tua tibi ars diſcenda eſt, vt regnes. quod cum præcipio, omnium artium notitiam tibi commendo. Quo pacto enim omnes corrigas & redarguas (quod tui eſt officij) niſi omnes noueris? Itaque præter cæteram educationem, lectione & rerum bonarum veſtigatione neceſſe eſt te oblectes; ſed duplici hac cautione: nempe, vt ſucciſiuis id facias horis, & quibus datum eſt à muneris tui functione feriari. Deinde verò, vt finem tibi proponas, non otioſam

Ars regia imprimis colenda. Polit. Polit. 5. de Rep. & epiſt. 7. Cic. ad Q. fr. & de Or.

Digitized by Google

Cic. 1. de fin. Idem 1. off.

ſcientiam; ſed actuoſam imperandi prudentiam, & vt illam ſtudio quęſitam notitiam omnibus officij tui partibus exprimas: Aſtrologis planè diſſimilis, qui interdiu noctúque ſiderum motibus ſe fatigant, ideo tantùm, ne ignorent. Sed quùm omnes ſcientiæ quodam quaſi communi vinculo & cognatione coniunctæ ſint, coeuntibus nempe in vnum omnium principijs, vnde etiam factum eſt vt nouem Muſæ Poëtis dicantur ſorores; omnibus volo des operam, vt ex earum harmoniâ cæterarum rerum, facultatúmque haurias notitiam, vt omnes contineas in officio, & omnes ad finem optimum architectonico dirigas conſilio. leue enim eſt ſcientiæ onus, nec humeros ferentis degrauat.

Scriptura. Deut. 17.

Primam igitur & præcipuam ſacris literis da operam (vt primo in libro monui) non tantum tuæ ſalutis gratiâ, ſed vt cuſtos vtriuſque tabulæ Eccleſiam intra ſui officij metas coerceas. Non minima hæc eſt officij tui pars, eos in officio rectè continere. Itaque in concionibus vide, ne à contextu ſuo vagentur: & ſi pax publica tibi cara eſt, caue, ne ex eo loco Rempublicam attingant. quin cæteris in exemplum ſtatue qui primus eo genere auſit delinquere. Nihil abſque ratione aduerſus eos feceris, parciùs tamen cum ijs diſceptaueris. nam meæ facilitatis illis obortum eſt faſtidium & nauſea; nec profectò eorum conſuetudo eſt, cedere. Conuentus autem celebrare aut alicubi congredi, tuo iniuſſu haudquaquam illis liceat.

Leges municipales.

Secundam operam dabis patrijs legibus. nam quomodo iuxta illas dices ſententiam, ſi tibi fuerint ignotæ? in ijs, vti in iudiciario ordine & proceſſu, ſtude quantum potes breuitati & perſpicuitati. quorſum enim prolixitas, niſi vt omnia incerta fiant obſcuraque, & aduocati cæterique id genus ex populi ſpolijs ditentur, cum è contrario breuiſſima via hîc tutiſſima ſit & certiſſima? Volupe ſit in forum venire, vt iudiciorum ordinem inſpicias; & ſi quos largitionibus corruptos offendas, ſeueriſſimo (nimio enim non potes) ſupplicio vindices. Dabis quoque gratiæ quorundam præſentiam tuam, vt per te celeriorem videant litis exitum: quanquam hoc maxime pauperibus dandum eſt, quibus nec vacat morari, nec, ſi vacaret, inter tot locupletes litigatores locus datur agendi. Cum autem ibi fueris, memineris Dei thronum eſſe cui inſides, ne gratiâ vel aliâ de causâ deflectas à vero. non ibi locus eſt (vt ante monui) aut amicis gratificandi, aut inimicis aduerſandi, ſed iuris reddendi, iuſtitiæ colendæ. Diſce etiam, quomodo differat æquitas à iuſtitia: nec, miſeratione pauperis, diuiti, quia minus eget, extorquebis ſuum; ſed minori homini, ad quem pertinebat, maiorem adiudicabis tunicam, contrà quàm Cyrus iunior fecit. Iuſtitia enim iuxta leges ſuum cuique tribuit: æquitas verò, quod accipienti maximè conuenit, quùm danti res arbitraria eſt.

Plat 4. de Rep. 6. de Legib. Ariſt. 1. Rhet. Cic. 1. de Or. Senec. in Lud. Præſentia Principis in foro.

Plat. in polit. Ariſt. 1. Rhet. Cic. ad Q. fr. Plut. in If.

Xenop. 1. Cy. Præſentia Regis in ſecretiore Concilio.

At ſecretiori Conſilio crebro, & tanquam vnus ex aſſeſſoribus interſis.

Digitized by Google

terſis. publicis enim negotijs hic conſeſſus inſtitutus eſt, & ad frænandam potentiorum impotentiam & vim. Morem huius iudicij fac ſimplicem, quantum potes, & breuem. Apage hinc aduocatos, cum ſuis ampliationibus & dilationibus; pro ſe quiſque cauſam dicat: nec te pigeat oppreſſorum ciuium querelas audire, aut pigeat ſanè Regem eſſe. Lites alienas ſuis remitte iudicijs, vt vitetur confuſio. at tuum erit à ſingulis ſeueram exigere officij obiti rationem. Cic. ad Q. fr. Tacit. 1 hiſt. Plut. in Dem.

Poſt leges tibi res geſtas populorum & annales commendo; imprimis autem tuæ gentis hiſtoriam, cuius exempla te propius tangunt, ne domi peregrinus videare. hiſtoriam, inquam, non illos Buchanani & Cnoxi libellos famoſos, quos qui in tua vſque tempora aſſeruârit, ſentiat ille mearum legum pænas. Etenim vnâ hac in re non diſſuadeo quin Pythagoreus fias, & ſeditioſas horum ſcriptorum animas in illos credas tranſire, qui horum libros recondunt, vel opiniones defendunt. At authenticarum hiſtoriarum lectione ſine tuo periculo experientiam colliges, præterita nimirum conferens cum præſentibus, cum nihil ſit ſub ſole nouum. ita ſphærarum cæleſtium exemplo, quæ ſemper eædem voluuntur & reuoluuntur, in orbem feruntur omnia humana, quæ volubilitas per rotas in viſione Ezechielis exprimitur, & à Poetis in *fortunæ rotâ* adumbratur. Hic quoque non exiguus eſt hiſtoricæ notitiæ fructus, vt cum exterorum Principum Legatis, prout te dignum eſt, verſeris; deque aliarum gentium ſtatu & politiâ non incommodè loquaris. At inter prophanas hiſtorias pati non poſſum, quin tibi Commentarios Cæſaris optimâ de notâ commendem, & propter orationis ſuauitatem & materiæ dignitatem. ſemper enim in eâ mente fui, neminem Ethnicorum Principum aut belli ducum rei militaris peritiâ cum Iulio Cæſare poſſe comparari. Lectio hiſtoriarum. Plat. in Men. Ariſt. 1. Rhet. 1. polit. Plut. in Tim. Cic. 2. de Or. Eccleſ. 1. Ezech. 1.

Liberalium artium ſtudijs imbutum te volo quantum ſatis eſt Regi, non excultum quantum exigitur à Profeſſore. accuratiori enim minutiarum tractatione a muneris tui functione auocaberis; & hoſte vrbem diripiente fortè cum Archimede deprehenſus in puluere inglorium populo tuo exhibebis ſpectaculum. De artib. liberalibus. Sen. epiſt. 84. Liuius l. 24. Plut. in Marc.

Non diffiteor præter cętera tibi deguſtandam eſſe matheſin, & vt caſtra munias, & aciem inſtruas, & propugnacula excites, & tormenta dirigas, & vniuerſim rei militaris aliquam notitiam haurias: Sed quod Iacobus de fide dixit, caue ne mortua & ſterilis ſit hæc cognitio; ſed in quotidianâ vitâ fructus ferat vberrimos. De Matheſi. Plato 7. de legib. Ariſt. 2. Met. Iac. 2. 17.

Magnanimitatem cole, non vindictę cupidine, quo pacto eam publicus error definire ſolet; ſed tui ipſius coercitione: tanquam irâ indignum iudicares, qui in te peccauit, vt tuis imperes affectibus, &, dum iram tuam rationi ſubijcis, triumphes; ſapienter diſpenſans fortitudinis tuæ & animi impetum, vt domi quidem ſeruiat eorum ciuium, qui a forti- De Magnanimitate. Ariſt. 4. Eth. Sen. de clem. Cic. 1. Of. Virg. 6. Æn.

Digitized by Google

a fortioribus opprimuntur, calamitatibus vindicandis; foris autem iniurijs hostilibus iusto bello reprimendis. Atque ita vbi insignita occurret iniuria, permitte laxas iracundiæ tuæ habenas. Regis enim ira est similis Leonis rugitui.

Prouer. 20.

De humilitate

Vera & superbiæ expers humilitas tibi cordi sit, non modò apud Deum; siquidem infimum de plebe materiâ non superas, sed vsu, & id quidem merâ Dei ordinatione, verumetiam apud parentes. Et si forte mater tua mihi supererit, sic paternæ benedictionis compos sis, si illam vt par est honores. Beershebam in solio à dextris tibi collocato; caue, ne vllâ offensâ eam violes, nedum iniuriâ: sed memineris eam esse, vnde carnem tuam & sanguinem sumpsisti,

Plat. 4. de legi. Xen. 2 de dict. & fact. Soc.

cui longa decem tulerunt fastidia menses:

Noli æmulari iuuenes nostros Barones & Comarchos, qui defunctis patribus primam aduersus matres actionem intentant: sed tu matris tuæ benedictionem omni ope studebis mereri. Nec te ipse communi multorum errore decipias, quasi parentum imprecationes, ni merearis, susque deque habendæ essent. Ah, parce naturæ ordinem inuertere, nec de maiore potestate, tuâ præsertim in causâ, sententiam feras. & persuasum id habeas, precibus hisce parentum, bonis malisue, pæne vaticinij certitudinem esse coniunctam. Et vt nihil aliud expectandum foret, vel ideo parentes honora, vt longæuus sis: quod Deus in lege promisit. Eos quoque honora qui tibi sunt loco parentum, rectores tuos, nutritios, præceptores: quibus si debitam retuleris gratiam & præmia, nihil ab officio vel æstimatione feceris alienum.

Exod. 20.

Xenop. 1. & 3. Cyr.

Nec tamen hæc ipsa, quam suadeo, humilitas impedimento esse debet, quò minùs in publicos illos oppressores, si quando se ausint coràm sistere, excandescentiam tuam exeras: tunc enim legitimum est indignandi tempus. Quòd si iuris specie vim debilioribus illatam defenderint (vt nimis multi faciunt) quod legibus emendare non potes, id gratiæ tuæ & fauoris subtractione emenda: & tandem aliquando, quùm tuâ ope opus habent, vicissim preme & afflige; vt, iuxta Christi de duobus debitoribus parabolam, quod alijs fecerunt, ipsi sentiant.

Cic. ad Qu. fr.

Arist. 5. Polit.

Matth. 18.

De cõstantia. Arist. 4 Eth. Thuc. 3. 6. Cicer 1. offic. & ad Quin. fr. Brut. ad Cic.

In beneuolentiâ erga probos constantem te volo, & in rebus aduersis fortem & inuictum; non stoicâ illâ ἀπαθείᾳ, qua multi, dum prauâ veteris illius sectæ imitatione hoc sæculo venantur honorem, vitæ & morum leuitate professionem suam traducunt. Nolo interea te stipitem, vt non sentias mala; nec tenellum nimis, ne nimio sensu victa ratio optimam remedij viam in aduersis non inueniat.

De liberalitate.

Verâ vtere liberalitate, bonis beneficus, quin & honoris tui causâ munificus; eâ tamen ratione & modo, vt cuique secundum dignitatem

Digitized by Google

tem beneſiat, ordinis, meriti, & neceſſitatis non neglecta menſura. Sed vide, ne ipſe egeas dum nimium profundis. Præſertim verò ſtatos regni prouentus, vnde & tua & ſucceſſorum tuorum regia dignitas alenda eſt, caue ne vllâ liberalitate minuas, nedum vt fontem hunc liberalitatis exhaurias: id enim ſacroſanctum eſt & extra commercium. Cum tuo etenim & ſucceſſorum damno alijs benefacere, non liberalitatis eſt, ſed profuſionis. Ante omnia caue ne populum vt diteſcas tributis graues; ſed populi opulentiam tuas opes cenſeas. At ex delinquentium peccatis, quæ nullâ cautione auerti poſſunt, nihil vetat, quin tuum facias quæſtum. Quod ſi ad bellorum aliarumue neceſſitatum ſubſidia populo oporteat tributa imperare, id tamen fac quàm potes rariſſimè; & fidus populi depoſitarius pecuniâm exactam in præſtitutos vſus impende.

Cic. 1. & 2. off. Sal in Iug. Sen. 4. de ben. Iſoc. epiſt. 7. Xen. 8. Cyr. Phil. Com. 10. Ariſt. 5. Polit

Præcipuè autem prudentiam adhibe, vt calumniam diſtinguas a vero. Primùm itaque delatoris ingenium inſpicies: deinde quid eius interſit conditio illius, quem detulit, proſpera vel aduerſa; tum quid eâ in re ſit veriſimilius: denique mores & vitam illius, qui defertur. Suſurronem & garrulum, ſi inueneris, eijce ex ædibus. Et quanquam illud veriſſimum ſit, nihil magnum a Principibus abſque taciturnitate fieri; præſtat tamen ſæpenumero delationem excutere, quàm credulitatis vitio viros probos ſuſpicionibus lædere. nàm cum tyrannorum morbus ſit *ſuſpicio*, ægræ conſcientiæ ſymptoma, tu potius in alteram partem peccato, vt neminem ſuſpectum habeas, qui nullo eiuſmodi crimine vnquam notatus fuit. Sin lubrica hominis fides ante id comperta eſt, tum verò priore monitus experientiâ tibi proſpicito.

De delatoribus. Iſoc. ad Ph. in Panath. & de per. Cic ad Q. fr. Plut. de cur. Iſoc. de pac. Cic. 3. off.

Et vt conſilio meo tandem finem faciam, quo pacto erga ſubditos te geras; cogita Deum, infuſo hominum animis omnium virtutum amore, eſſe virtutum omnium authorem: id quod in veterum Romanorum integerrimâ vitâ apparuit. Populo igitur tuo vt loci dignitate, ita morum honeſtate præluce; vt bene agendi conſuetudo ſucceſſu temporis tibi vertat in naturam; & ſubditi legibus tuis auditis, & vitâ inſpectâ, ſimul oculis atque auribus ad virtutis amorem & vitiorum fugam alliciantur.

Cicer. 3. Tuſc.

DE-

DE REGIMINE PRINCIPIS IN REBVS MEDIIS.

LIBER TERTIVS.

VEtus illud circumfertur & verum, Regem esse instar actoris in scena, cuius singulos gestus & motus populus vndiquaque curiosis oculis obseruet. Quantumuis enim seuerus fuerit officij sui à seipso exactor, populus tamen, qui exteriora tantum videt, ex circumstantijs substantiam dijudicat, & ex specie illa exteriore, si paulò discinctior videatur aut leuior, de mente & ingenio opinionem anticipat; quam etsi successu temporis res ipsa refutat, contra ac ipsi sperauerant, interim tamen patitur iustus; & sæpe ex præiudicatis opinionibus contemptus, & ex contemptu rebellio nascitur, & rerum confusio. Ad hæc autem, certum est, omnes illos hominum actus medios & neutros ab aliqua virtute aut vitio pendere, pro vario eorum vsu & regimine. Nam inter illa non magis assignari potest medium, quàm inter eorum præmia, cœlum & infernum.

Cic. de leg. Ouid. ad Liu. Quint. 4. decl.

Atist. 5. polit.

Actiones adiaphoræ earumque momenta. Plat. in Phil. & 9. de legib.

Da igitur operam, mi fili, vt hos medios actus gestusque ita formes & instituas, vt internis animi tui virtutibus ornandis commendandisque inseruiant.

Neutrorum bina genera.

Ego hæc media in duo genera distribuo; quorum prius, consuetudo hominis in rebus necessarijs, victu, somno, amictu, sermone, scriptione, & gestu. alterum est consuetudo eius in rebus non necessarijs; non illicitis tamen nec indecoris; ludo, exercitatione, sodalitio.

Prius genus, & quo pacto illud neutrum sit.

Hæ res necessariæ quanquam ea ratione non sint adiaphoræ; quatenus sine ijs esse non possumus, vel quatenus à medio ad extremum, dum absque moderatione vsurpantur, deflectunt; qualitas tamen earum, vtendique ratio, virtutem redolere potest aut vitium: multumque omnino in vtramque partem valent.

Vt igitur à rebus necessarijs initium faciamus, nihil est ex omnibus magis

Digitized by Google

magis publicum, aut plurium oculis, exterorum præſertim, obnoxium, quàm Regis mores geſtuſque in menſa. Quum igitur conſuetudo Regum iam obtinuerit publicè cibum capere, in te vtique indecora eſſe non poteſt, ſed potius ex dignitate tua: partim, vt ſuſpicionem eam declines, quaſi hominum congreſſus vitares, quod Tyrannorum proprium eſt: partim, ne ideo credaris priuatim cibum ſumere, vt priuatim gulæ indulgeas, cuius puderet in publico. Sit apparatus menſæ ſplendidus: at tu paucis ferculis ſatisfacias fami, iunioris Cyri exemplo; quod & ſalubrius eſt, & à cupediæ vitio remotius, quæ ipſa quoque eſt gulæ ſpecies. Cibis autem veſcêris, non lautis illis & exquiſitis, ſed communibus; tum vt in omnem pacis belliue euentum corpus habeas firmatum ad patientiam laboris; tum vt alacriore animo te tui ſubditi hoſpitem excipiant, cibis nempe parabilibus & è medio ſumptis contentum; quod aliàs tibi verteretur faſtui & lautitiæ, tuique apud tuos faſtidium crearet. Simplex ſit victus, abſque illis operoſis condimentis, quæ medicamentis quàm alimentis ſimiliora ſunt: quorũ vſus apud veteres Romanos gulæ vitio imputabatur, quia ad guſtus blanditiam, non ad naturæ neceſſitatem comparata ſunt: quo nomine ciuem ſuum Apicium, inſignem illum catillonem, oderunt. At nomen ipſum Philoxeni, qui ſibi fœda cupiditate collum gruis optauit, ignominioſæ fuit apud Græcos & Romanos memoriæ. Ergo aduerſus illa nauſeantis ſtomachi incentiua illud antiquum valeat, *Optimum condimentum fames.* Cibi potuſque nimietatem fuge, turpe eſt in quocunque ebrietatis vitium, ſed in Rege turpiſſimum; quod eam ob cauſam ſollicitiùs vitandum eſt, quia eſt ex ijs flagitijs, quorum voluptas creſcit cum ætate. Edendi geſtum nec ruſticum volo & rudem, tanquam inuerecundi Cynici; nec affectatum & concinnum, tanquam delicatulæ Dominæ; ſed virilẽ, & honeſtum. In menſa nihil minus decet, quàm vel negotiorum vel curarum meminiſſe: nihil magis, quàm aperta & ſerena frons. Tum iucundiores hiſtoriæ legendæ, vt capiatur voluptas mixta vtilitate: vel ſi id minus arrideat, ſermones cædendi, vrbani, arguti, honeſti.

Mores in menſa.

Xen 1. Cyr.

Plut in Apophth.

Sen ep. 96.

Sen. de conſol.

Iuuenal. ſat. 2. Ariſt. 4. eth.

Xenop. de dictis & factis Socr. Laert. in Soc. Cic. 5. Tuſc. Plat. 6. de leg. Plin. l. 14.

Cic. 1. off.

Studendum eſt vt ſomnus, qui è cibo oritur, moderatus ſit, in quo magnam habet vim conſuetudo. neque tibi illud excidat, ſi vitam in quatuor partes diſtribuas, tres ex ijs cibo, potui, ſomno, alijſque exercitationibus non neceſſarijs impendi.

De ſomno.

Plat. 7. de leg.

Quanquam autem edendi & dormiendi ſua ſint & ſtata tempora, ita tamen te ipſe aſſuefacito, vt qualibet è vigenti quatuor horis pro arbitrio his vaces; quò victum tuum negotijs, non victui negotia accommodes. Neque verò voluptatem & mollitiem in lecto magis, quàm in menſa ſectaberis, in primis ſi bella ingruant.

Victus ratio optima.

Plat. 6. de legib.

Tempore quietis cubiculum turbâ hominum ne inquietetur tam decori

Mores in cubiculo ſeruandi.

Val. 2. Cur. 4. Plat. 6. de leg.

decori causâ, quàm ne quid eliminetur foràs. Fidi sint & taciturni, quos cubiculi honore dignaris. nam sæpe vsus erit Regi suorum taciturnitas. Cæterum in rebus maximè arcanis ita te geras, ne erubescere opus sit, si vel in foro præconis voce publicarentur. Præ ceteris autem prospice, vt, qui tibi sunt à cubiculis, integræ sint & illæsæ famæ.

Negligenda insomnia.

Noli mentem aduertere insomnijs. nam vaticinia, visa, insomniaque prophetica, omnia in Christo consummata sunt. itaque in somnijs, aliisue in rebus, superstitionum ineptias deuita. est enim ex inscitia natus error, & Christiano homine indignus, cui persuasum esse debet,

Rom. 14. Tit. 1.

omnia esse pura puris (vt Paulus ait) omnesque dies, & cibos Christianis esse promiscuos.

De vestitu. Isoc. de reg.

Proximum est vt de veste loquamur, quæ post somnum induitur. In hac quoque modum serua; nec luxurioſus vt prodigus; nec sordidus, vt auarus; nec comptus, vt meretrix; nec rusticus, vt colonus; nec ineptus, vt Cretensis miles, aut aulæ tyro; nec seuerus nimium, vt concionator. sed aptus, mundus, honestus, incurioso quidem sed non in-

Cic. 1. off.

decoro habitu, media quadam inter Togatos & Paludatos via, inter

Plat. de reg.

horum leuitatem & illorum grauitatem: vt vestis ipsa significet ex vtroque Regem esse compositum, Togatum, scilicet, ob iuris sanctionem & dictionem; Paludatum, ob gladij potestatem: vti etiam è ciuili & ecclesiastica dignitate dignitas regia mixta est. Neque enim merè Laicus est Rex, vt Papistæ & Anabaptistæ somniant, cui errori etiam Puritani nimium sunt affines. Sed, vt ad rem redeamus, vestimenta ad primæuæ institutionis vsum reuocanda sunt; cuius tres erant causæ, nempe vt essent pudoris & nuditatis velamenta; deinde, corporis ornamenta; tum verò, contra caloris & frigoris iniurias munimenta. si pudori occultando; tum certe, quod in corpore nostro pudendum est, indecorâ vestium formâ non debet representari. si corpori ornando; certè nimia concinnitate non debent esse inuitamenta luxuriæ, vt comæ adscititiæ, & impudicarum mulierum offuciæ. si deniq, frigoris & caloris arcendis iniurijs; certè non debent homines, tanquam lapides, anni tempora, spreto Dei instituto, negligere, vt de calore & frigore videantur triumphare. Et quanquam in Principe laude non careat, immò verò necessaria sit hæc algoris & æstus patientia, quum bellum sub dio gerendum est: conuenire tamen magis arbitror, vt armatus & vestitus prodeas, quàm nudus; nisi forte vt te ad fugam expedias; quanquam ignauis id satis est, *metus addidit alas*. In summa, vestes cum ætate & anni temporibus mutato, de forma nihil sollicitus, cuius

Cic. 1. off.

magistram sequeris consuetudinem; interdum splendidior, interdum communior, vt occasio fert, nullâ seruatâ perpetuâ regulâ. Nam si

Arist. ad Alex.

circa hæc vana rerum curioſus videbere, in cæteris iudicabere otioſus; & inter comptos iuuenes numerabere, non sine aliquo indolis tuæ & mentis

mentis contemptu: ſed nihil magis, quàm fæmineam in veſtitu mollitiem vita, ſuffitus, odoramenta, & id genus alia. In bello, veſtium vultúſque nitore & magnificentia fac omnes ſuperes. Enormi capillorum aut vnguium longitudine ne te exponas ludibrio. excrementa enim hæc ſunt naturæ, quibus qui ita abutuntur, produnt ingenium aut vindictæ cupidum aut leue. Circa res externas & inanes, vt cibum & veſtem, nulla vnquam voti religione obſtringitor.

Neque tibi neque comitibus tuis arma vulgò permittes, niſi quæ equeſtris ordinis honorem deceant, cuiuſmodi ſunt gladij & pugiones. tumultuoſa enim arma in aula nihil arguunt ſani in regno. Itaque non illa modo Sicariorum arma, quæ offenſioni nata ſunt, vt tormenta aliaque id genus, ex aula proſcribes; verum etiam quæ defenſioni; cuiuſmodi ſunt thoraces occulti, manicæ hamis conſertæ &c. Præterquam enim, quòd malo animo hæc talia geſtari ſuſpicio ſit, neutrum præſtant ſui generis vſum. neque enim vim excludunt, neque hoſtium oculos ſuo fulgore præſtingunt; & tantum abeſt vt globorum impetum repellant, vt potius augeant periculum: nec ſpecie ſui hoſtem exterrent, ſed ſecreto ſuo inuitant, & nihil metuentem quaſi fide data ſupplantant. Cum igitur perfidiæ causâ facta ſint, non decet viros probos inſignia geſtare eius criminis, à quo longiſſimè volunt abeſſe; aut aliud præ ſe ferre, aliud reuera eſſe. Aduerſus quæ omnia non inuenio quid reſpondere poſſint, niſi fortè antiquam hanc eſſe Scotiæ conſuetudinem; quæ ſi peruerſa ſit, non magis propter antiquitatem probanda veniet, quàm Miſſæ nugamentum patribus noſtris vſurpatum.

Arma in aula quæ.

Proxima deinde ſermonis cura tibi habenda eſt, cui pronunciationem, & geſtum loquendi, adiungo; Oratoris dotem præcipuam. geſtu enim & pronunciatione oculos auditorum alloquitur, quemadmodum aures linguâ. Tu in vtroque ſerua ſimplicem illam rationem, & à natura præſcriptam, non artis lenocinio fucatam. vt fiat illud, *rien contrefait fin*: quicquid igitur eſt in alterutro affectatum deuita.

De ſermonê & geſtu. Ariſt. 3. ad Theod. Cic. ad Q. fr. & ad Br. Cic. 1. off.

In ſermone apertus, honeſtus, ingenuus, decorus, breuis, neruoſus; vtrumque extremorum fuge, & ruſtici idiomatis vilitatem, & librariæ concinnitatis affectationem, verba, inquam, nimis olentia lucernam: ſed tenera & effæminata tanquam ſcopulum declina. Tuæ eloquentiæ præcipua laus ſit in aperta illa, ingenua, & probabili ſenſuum tuorum explicatione, certis & idoneis ſubnixâ rationibus, admixtâ nonnunquam ſententiarum grauitate, argutijſque, & lepore, pro rerum aut temporum conditione: nullis è Theologia petitis facetijs, vt inter ſcyphos ſacras literas ſcurriliter profanes, quod hodie nimis ſæpe fieri amat.

Idem eod.

Cic. ad Q. fr. & ad Br.

Idem tibi in geſtu obſeruandum eſt, vt ſit vultus non miſerabilis

Idem 1. off.

Digitized by Google

aut ærumnoſus, velut pædagogi; nec mobilis atque peregrinus, velut tranſmarini Equitis; ſed ingenuus & grauis, ad patrium morem compoſitus. In ciuilitatis ritibus nec nimis parcus ſis, id enim ruſticitati & faſtui imputabitur; nec nimis profuſus, crebriore capitis aut corporis demiſſione. nimia enim popularitas ambitioſum aliquem Abſolonem magis deceat, quam Principem. Tu rebus præſentibus tuos aptabis geſtus; dum pro tribunali ſedes vel Legatos audis, ad grauitatem maieſtatémque vultu compoſito: dum priuatim cum ſeruis verſaris, ad familiaritatem: dum ludorum aut ſermonum amænitati indulges, ad lætitiam: at in bello, acre quiddam ſpiret, atque animoſum. Vnum illud te iterum monebo, vt ſermonem perſpicuum & probabilem ſequaris. præterquam enim quòd mentis nuncia ſit lingua, debiliorem argueret in Rege animum ſermonis obſcuritas; at falſitas multò magis, tanquàm metu cuiuſpiam non auderet verum dicere.

Phil. ad Alex. Cicer. 2. off.

Ariſt. 4. eth. Cic. Att.

Iſoc. in reg. & in Euag.

Cic. 3. off.

At memento aliud eſſe orationis genus cùm diſputas, aliud cum pro tribunali ſententiam aut ius dicis, vel cætera officij tui exequeris. Diſputandum etenim eſt placidè & moderatè, & quaſi tantiſper poſitâ Regis perſonâ: nam contrâdictionem ſi impatientius tuleris, tuam ſine ratione pertinaciam prodideris. In muneris tui functione, priuſquam ſententiam dixeris, conſulto opus eſt; vbi dixeris, contradicendi licentiam, qua & tuæ authoritatis maieſtas eleuetur, & lites fiant immortales, præcide: quod & ab omnibus inferioribus iudicibus & magiſtratibus obſeruandum eſt.

Cic. 1. off.

Diſputandi ratio.

Iudicandi ratio.

Iſoc. ad Nic.

Cic. ad Q. fr.

In ſcriptione, quæ nihil aliud eſt quàm ſermo literis conſignatus, ſtilo vtere perſpicuo, breui, & ſplendido, cum in Edictis tum in Epiſtolis, præſertim ad Principes exteros. Quòd ſi te ingenij impetus ad aliquod opus ſcribendum ferat, ſiue ſoluta ſiue ligata oratione; hoc genus exercitij non poſſum non probare. id ſolum prouide, ne ſuſcepti operis prolixitate ab officio auocere.

De ſtilo Principis.

Cæterum hîc noli tibi ipſe adblandiri; ſed priuſquam aliquid ediderís, peritiſſimorum in ea re, quam tractas, artificum experire cenſuras. Et cum ſcripta tua tanquam mentis totidem chirographa ſint ad poſteros, impudicitia & turpitudine vacua eſſe decet. omniáque, ametra, emmetra, *premantur* (vt ait ille) *in nouum annum*; dum primus ille furor, quo inter ſcribendum incalueras, ſenſim deferueat; tuque iam, velut alienus iudex & cenſor, omnia priùs ad ſeueriorem limam reuoces, quàm publici iuris fiant, quia —— *neſcit vox miſſa reuerti*. Si dignè aues ſcribere, elige materiam te dignam, non de nugis, ſed de virtute; obſcuritate, quantum pote eſt, vitatâ. Si quid ligata oratione ſcripturus es, ſcias non eam eſſe ſummam Poematis laudem, vt ad numerum omnia aptè cadant, verborúmque inſignis ſit delectus; ſed vt, omnibus in proſam ſolutis, appareat inuentionis acumen & ſimilitudinum

Cic. 1. off.

Hor. de arte.

Idem. ibid.

Ariſt. de arte poet.

dinum rerumque nitor plus quam oratorius, & vt in prosa maneat species Poematis. In scribendo autem vtere patria lingua. nam Græcè & Latinè nihil non iam dictum est; & è scholastico puluere hîc reperias æquales. ad hæc, suam linguam polire & celebrare alienum non est à regia dignitate; qua in re, vti in cæteris, quæ honestiorís sint notæ, omnibus subditis par est regem antecellere.

Inter res non necessarias, quæ licent tamen & expediunt, primum sibi in Principe adolescente locum vendicant corporis exercitationes & ludi, sed qui faciant ad sanitatem & robor. Licet enim animi cultus, qui otij rubigine solet hebescere, maximè omnium conueniat Regi; corporis tamen hæ recreationes sua laude non carent; queis profligatur otium, vitiorum omnium mater, & ad laborum patientiam corpus ipsum firmatur; in Rege res admodum necessaria. asperiora tamen & violenta, vt pilam Scoticam, quæ pede propellitur, luxandis potiùs, quàm firmandis ludentium artibus comparatam; petauristarum volutationes, funambulorum periclitationes, quæ histrionibus & agyrtis ad panem lucrandum inseruiunt, ex hoc numero prorsus expungo. Quibus autem te vti velim, nec tamen vt artificij laudem sed corporis recreationem petas, sunt cursus, saltus, lucta, digladiatio, tripudium, pila reticularis, follis pugillatorius, arcus & sagitta, & id genus alia, amæna & campestria certamina; sed præ cæteris equestria. Nam Principi laudi ducitur, si eques omnium peritissimus sit & splendidissimus: vt mihi id de te olim liceat dicere, quod Alexandro pater Philippus, αγωνίσαι ὦ παῖ χαρίεν. Sed ea hîc frequentabis certamina, quæ in equo doceant vsum armorum; torniamen nempe decursúmque ad annulum, vt hastæ; & humilius illud equitandi genus, vt gladij facultatem pares.

De corporis exercitat. Xen. in Cyr. Plat. 6 de leg. Arist. 7 & 8. Polit. Cic. 1. off. Plat. ibid. Xen. in Cyr. Hoc. de inv. Plut. in Alex.

Non possum hîc venationem omittere, eam, quæ canibus venaticis exercetur, quæ species laudatissima est & nobilissima. Nam sagittis aut globis in feras grassari illiberale est & furtiuum: & canis leporarij ministerium, nihil habet tam generosum ac militare. Sed ne suspectus videar venationis laudator, ego tibi Xenophontem laudo authorem veterem & illustrẽ, qui causas alterutri nostrum adulandi procul habuit. Is pulcerrimâ Principis educandi rationem sub Cyri nomine proponit.

De venatione. Cic. 1. off. Cyri pædia.

Aucupium, quod per accipitres & falcones exercetur, non damno; parcius tamen laudo: quia non ita militiam refert vt venatio, quæ equitem audacem, omniumque locorum peritum facit. infortunijs quoque magis est obnoxium aucupium, & (quod omnium est deterrimum) bilem, cæteráque animi perturbationes supra modum irritat. sed in vtroque moderatio tenenda est, ne horas muneri tuo obeundo destinatas, quæ tibi religiosissimè semper seruandæ sunt, vnquam negligas; siquidem illa omnia ad hoc instituta sint; vt ad munus illud, cui natus es, fias expeditior.

De aucupio. Arist. 10. eth.

Digitized by Google

De ludis domeſticis. Ariſt. 8. polit.

Ludos autem domeſticos, quibus tempus fallentes ipſi velocitate temporis fallimur, etſi neque corpori neque animo conducant, non tamen omnino cenſeo improbandos; quùm eam noſtri partem occupent, quæ ſi vacua foret, malis cogitationibus vacaret, quia nihil poteſt eſſe vacuum. Nolo itaque quorundam noſtra tempeſtate doctorum virorum curioſitati aſtipulari (licet aliàs eruditionis & pietatis nomine eos ſuſpiciam) qui folia luſoria & aleam, omneſque eiuſmodi fortuiti euentus ludos prorſus condemnant. In eo enim errárunt, quòd ex principio malè intellecto rationem ſuam deduxerint? nempe hoc genus ludorum genus eſſe ſortilegij, ideoque illicitum: in quo ſanè decepti ſunt. nam inſtitutæ ſunt ſortes, vt veritas in rebus obſcuris, quæ alias expediri non poterat, enoteſceret; ideoque vaticinij quædam ſpecies erat: at nemini in hiſce propoſitum eſt veritatem latentem eruere, ſed iactu aleæ pecuniæ quantum libet periclitari: haud ſecus ac de equi aut canis celeritate ſponſionem facere quis poſſet. atque ita ſi ludi illi illiciti ſint, nulla ſponſio erit licita. Nec tamen ego aleatorum, & nepotum in me patrocinium ſuſcipio, qui aſſiduè ludendo tempus profundunt, cuius iactura longè eſt cariſſima; & vnà patrimonium dilapidant; quin mallem penitus abrogari, vbi hæc tanta incommoda vitari nequeunt: tantum tibi vitio vertere non poſſum, ſi quando à grauioribus negotijs (quod bono Regi rarius contingit) feriaris, aut lectionis obrepit tædium, aut corpore male affecto, aut cælo minus ſereno; ſi tùm, inquam, vel aleæ vel foliorum luſu animum reficias. Solâ autem aleâ abſque alueolis certare perditiſſimos milites magis deceat, in extenta tympani membrana: quod genus & fortunæ & nebulonum impoſturis nimis eſt obnoxium. Latrunculorum ludus diſplicet: eſt enim nimis conſulta & philoſophica ſtultitia. Cùm etenim omnes ludi eum in finem inuenti ſint, vt tantiſper animos auocent à negotiorum moleſtijs, hic ludus, operoſo nugarum apparatu, magis intendit animos, quàm priores curæ.

Dan. de luſ. al.

Cic. 1. off.

Obſeruanda in luſu.

Sed circa luſum tria hæc tibi propono obſeruanda. primò ex luſu nihil præter animi recreationem captes, de nummorum, quos ponis, iactura nihil ſollicitus. Secundò, ne amplius ponas, quàm inter aſſeclas libenter ſpargeres. Tertiò, vt ludas ingenuè; ne doli aut mendacij conſuetudo etiam per iocum obrepat. Hæc tria ſi nequeas ſeruare, proximum eſt conſilium, vt prorſus ab his ludendi generibus abſtineas. nam neque iracundia ex damno, neque perfidia ex lucri deſiderio *luſus* nomen meretur.

Delectus Sodalium.

Iſoc. de reg.

Cic. 1. off.

Iam verò non licet modò, ſed etiam expedit ſodales habere rebus aptos, ſeu res ludicras tractare libeat, ſeu ſerias & graues. nam iuxta rerum occaſiones diſtinguenda ſunt & tempora & ſodalitia. Noli in concilio, aut inter publica negotia, cum venatoribus tuis ſermones habere; aut

Digitized by Google

aut inter venandum ludendumue negotia conficere. Cum ætate quoque varianda est sodalitij, lususque oportunitas. vnamquamque enim ætatis partem suus maximè decet genius, insolitis vtique & illicitis vitatis; nec vt senex eat in militiam, nec iuuenis in senatum. Id verò accuratè prospiciendum est; vt integræ vitæ sint colluſores tui, nec infamiâ notati, nec vitijs corrupti, nec qui obscena iocosis misceant. corrumpunt enim bonos mores praua colloquia. Dominas presertim, mera libidinis irritamenta, ante nuptias deuita. neue vnquam inte ipse ita peccaueris, vt scurras tuos velis esse a consilijs, vel histriones & mimos sæpe esse in tuo comitatu. Constat tyrannos illo genere maximè delectatos, qui tragędiarum ac comediarum auctores actoresque ipsi fuerunt. Vnde quod Philoxenus poeta tyranno Syracusano indignabundus respondit, nunc in prouerbium euasit, ***reduc me in latomias***. & hæc vnica erat morituri Neronis gloriatio, *qualis artifex pereo?* quòd scilicet cytharædus eximius & tragædus periret. & certe tota illius vita & mors nihil aliud fuit, quàm vna tragędia.

Aristot. 2. ad Theod. Menand. Plat. 3. de Rep. Arist. 7. & 8. Pol. Sen. 1. epist. Suidas. Suet. in Nero.

Noli ipse psallendi peritiam affectare, ijs præsertim organis, quibus vulgò victus quæritur. fuge mechanicis in rebus artifex haberi, *leur esprit s'en fuit au bout des doigts*, ait Bartassius: in cuius scriptis, vt Principe & quouis Christiano dignissimis, te cupio bene esse versatum. quin in hilari consortio hic quoque interdum vsus est, vt importunos declines. Te rationi æquum est cedere, quâ homines distinguntur a bestijs, non importunitati.

1. Sep.

Qua de causa, & ad maiestatem augendam, meum exemplum non sequeris, vt omnibus omni tempore tui copiam facias: neque tamen vt Reges Persarum secluſus statis horis duntaxat adeuntibus parebis.

Cur. 8. Liu. 35. Xen. in Ages. Cic ad Q. fr.

Et quùm te diuina benignitas pluribus regnis destinârit, quod sæpe ante iam dixi, ita tuos ipsius & comitum tuorum mores in rebus adiaphoris compone; vt ad illius, quod humanitate, moderatione, & obedientia primum iudicaueris, instituta & mores cætera regna perducas. etenim in rebus hisce medijs magna est ad virtutem illecebra. Caue tamen, ne potius eò homines cogere, quàm ducere videare. Itaque successu temporis & paulatim id fiat; quotidianæ vitæ consuetudine, & mutui coniugij fœdere deuinctis inter se populis, vt non ægrè tandem coalescant. Quod inter has duas gentes eo facilius confieri potest, quia eandem tenent Insulam, ac religionis & linguæ vnione iam continentur. ita hæreditario & prope naturali eorum odio, quod ex diuturnis bellis, cruentisque & crebris ortum est prælijs, succedet ex hac politiæ vnione, rerumque & mercium communione firmissima & indiuidua eorum inter se concordia. cuius amicitiæ redeuntis (Deo sit gratia) longe suauissima iam quoque sentimus initia, ex hoc, inter Re-

Regula politiæ optima. Commoda vnionis.

ginam ſororem meam chariſſimam & me, diuturno fælicique fœdere, quod inde vſque, ex quo regnare vterque noſtrum cæpit, integrum & inuiolatum permanſit.

Epilogus operis.

Vt autem ſummam manum huic operi imponamus; vide, mi fili, vt ex vera conſtantique in Deum fiduciâ fælicitatem in tuo munere obeundo expectes. vide, vt illius exterior functio interiorem animi rectitudinem teſtetur, vtque tui in rebus adiaphoris mores tui exprimant ingenij imaginem. & cum magnum tibi onus incumbat & graue, cognoſcendo patiens ſis, præiudicatis opinionibus liber, definiendo maturus, ſentiendo conſtans. Præſtat enim vel ea in ſententia permanere, cui error adiunctus ſit, quàm ſemper mutando nihil promouere, iudicio huius rei ſumpto ex corporis tui microcoſmo. In quo bini oculi prouidentiam ſignificant, attentámque rerum omnium inſpectionem: binæ aures patientiam audiendi, etiam vtramque partem. at vnam duntaxat linguam habes, vt ſententiam dicas planam, perſpicuam, vniformem. caput item & cor vnum, ne mutes conſilium, quod rectum exploraſti. duas denique manus, duoſque pedes cum multis digitis, vt inſigni hoc inſtrumentorum apparatu, quæ placuerunt celerrimè peragas.

Thuc. 6. Dion. 52.

Hor. 1. epiſt.

Sed vide nequid prius definias, quàm ira, quæ eſt furor breuis, reſederit; quam tu iuxta Apoſtoli præceptum temperabis, *iraſcimini, ſed ne peccetis.* In eo te oblecta, vt viros bonos non modo præmijs ornes, verum etiam honoribus; at neminem vltrà, quàm Reipub. vires ferre poſſint. malos autem afficias ſupplicijs, at vt quiſque pro ſe pœnam luat, non pater pro filio, nec frater pro fratre; nedum vt ob vnius noxam totam familiam oderis. Nam noxa caput ſequitur.

Ephes. 4.

Arist. 5. Polit. Dion. 52. Plat. 9. de leg.

Tanti vnumquenque facias, quanti ab eo virtutem fieri perſpexeris. nec tuum amorem cuiquam vltrà obſtrinxeris, quàm ille bene agendo mereatur. Vide ne quis iuſtæ vltionis obtentu veniam impetret iniuriæ. Priore enim iniuriâ ſubditus læditur, at ſi læſus ſe vindicet poſterior fit tibi, cuius officium iniuſtè vſurpatur, vt cui ſoli gladius datus eſt ad omnes omnium iniurias vindicandas.

Non abhorrebit, ſpero, ab his præceptis tua indoles, mi fili; nec tuam ipſius experientiam, quæ ex ſera pœnitentia ſtultorum cognoſcitur magiſtra, ſed tibi aliorum exemplum, ſapientium virorum Pædagogum, propones;

Fælix quem faciunt aliena pericula cautum.

Sic te Deus amet, & paterna mactet benedictione, ſi tui officij magnitudinem perpetuo habeas ob oculos, & tuorum omnium laborum finem in recta illius functione conſtituas; cætera, niſi quatenus

Plut. in pol. Cic. 5 de Rep.

huc

huc ducunt, leuia & inania exiſtimes. hoc extremum eſt, quod mandò. Alij alijs ex rebus laudem petant, tu è regnandi ſcientiâ. quemadmodum apud ſublimem illum & heroicum Poëtam, Anchiſes poſteris ſuis conſulit & mandat:

Excudent alij ſpirantia mollius æra:
Credo equidem, & viuos ducent de marmore vultus:
Orabunt cauſas melius: cœlique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Vir. 6. Æneid.



Digitized by Google

IVS LIBERAE MONARCHIÆ,

SIVE

DE MVTVIS REGIS LIBERI ET POPVLI nascendi conditione illi subditi *Officijs.*



PRAEFATIO.

Quod vobis offero, chariſsimi Ciues, tam gratanter, obſecro, admittite, quàm vobis amanter inſcriptum eſt. nolui ſimul inanis eſſe, & prolixus: breuitatem ſaltem ſpondeo, ſi abeſt rerum grauitas. Quòd ſi nonnulla etiam prætermiſſa videbuntur, ſcitote mihi propoſitum fuiſſe veritatis fundamenta ſternere, non refutandis aduerſarijs tempus impendere. veruntamen, quæ apud eos firmiora ſunt hîc quoque (ni fallor) inuenietis aut contrarijs rationibus aut tacitis obiectionibus, obliquè licèt & latenter, conuulſa. Conſilium erat non irritare, ſi qua pote eſſet; ſed inſtruere & docere. Ego operæ pretium retuliſſe videbor, ſi vos, iuxta hanc viuentes normam, ad virtutem Regisque obſequium in poſterum firmetis animos; tum, quoties cum factioſis hominibus, qui rebellionum tumultus hîc vel alibi excitatos laudare vel excuſare auſint, vobis res erit, his tuti præſtaijs Sirenum cantus contemnatis; hac trutina ſingula eorum exempla expenſuri. Ita de factis omnibus quàm rectiſsimè iudicabitis; hoc eſt, iuxta eorum indolem, non veſtram de eorum auctoribus opinionem. Dulcis mihi labor erit, vnde hic vobis naſcatur fructus. ſed ne ex Præfationis ore nimis hiante totus libellus exeat atque euadat, precor vobis numen benignum, & mihi veſtram cenſuram propitiam.

(***)

IVS

IVS LIBERAE MONARCHIÆ.

POST Dei Opti. Max. notitiam ſicut nihil eſt in vlla Republ. neceſſarium magis ſcitu, quàm fidei & obſequij ratio Magiſtratui iuxta leges debita; præſertim verò in monarchia, quæ vnitatis particeps, deitatíſque æmula, conſenſu prudentũ cæteris perfectior ſemper iudicata eſt: ita inſcitia rei tantæ, & (quod peius eſt) vulgi error ab ijs profectus, qui ſapientiæ Magiſtri haberi volunt, florentiſſimis Rebuſpubl. exitium, cæteris exitij metum attulere. Blandiens fortunæ impietas, quæ non rarò ſeditiones aduerſus Reges concitatas proſpero donauit ſucceſſu, permultos in hoc errore confirmauit; quanquam (vt poſtea oſtendemus) nihil ſit fallacius, quàm ex euentu de cauſa ferre ſententiam. Nulla autem eſt fuitúe Reſp. cui magis conducere poſſit huius rei notitia, quàm noſtræ, infinitis ſeditionum miſeriarúmque fluctibus iamdiu agitatæ: quæ mala permulti quidem ſentiunt, pauci oppidò intelligunt, aut cauſas veſtigant. Patriæ amor, malorumque diuturnorum miſeratio, mihi tandem ſilentium rupere; vt bonæ mentis imperio defungerer, voſque ad eius rei notitiam perducerem, ô populares, ex cuius inſcitiâ veſtræ ſine fine exortæ ſunt calamitates. ita intellectâ cauſâ vitabitis effectus; oſtenſaque radice, fructuum, quos toties guſtaſtis, amaritudinem purgabitis. Statui igitur breuiſſimo hoc tractatu Regis liberi & populi ſubditi mutua deſcribere officia; miſſis contrarijs opinionibus, queis tanquam veneno lectorum ſuorum animos nonnulli ſcriptores imbuere, ſuamque ad poſteros ignominiam propagare non erubuerunt: quorum ſi ſingula refellerem, & veſtrâ abuterer patientiâ, & auctores ipſos, eo quo digni ſunt, ſale fricare neceſſe haberem: lectores quoque meos, vt ſua quemque libido ferret, in partes diſtraherem, potiùs quàm in vnica veritatis via firmarem: quem ego mihi in hoc tractatu (teſtor

cum

cum qui corda ſcrutatur) vnum ſolumque ſcopum propono.

Cum Monarchia igitur diuinæ poteſtatis quædam imitatio ſit, eius primò è ſacris literis ſubſternam fundamenta: deinde verò è vetuſto regni noſtri iure, quod nobis chariſſimum eſſe debet; tertiò è lege naturæ per varias ſimilitudines omnia confirmabo: ad grauiſſima denique & in ſpeciem validiſſima aduerſariorum argumenta reſpondebo.

Regis erga ſubditos officium paſſim è ſacris literis, & ex iureiurando, à bonis Principibus tempore inaugurationis præſtari ſolito, ita notum eſt, vt prolixa deſcriptione nihil opus habeat.

Pſalm.82.6. Reges *Deorum* titulo ornantur à Rege Vate, quia Dei ſolio in terris inſident, & Deo ſoli ſui reddunt officij rationem. Eorum autem officium eſt *iudicijs præeſſe, & ius populo reddere*, vt idem ait: *bonos euehere,* Pſal.101. *malos deprimere,* eodem auctore: *bonas leges ferre earumque iuſſa facere*, Pſal.101. 2.Chr.18. vt à Iudæorum Regibus permultis factum nouimus. *pacem populi ſar-* 2.Chr.19. *ctam tectam ſeruare,* vt idem Dauid præſcribit: *controuerſias omnes popu-* 2.Reg.22.23. *li dirimere,* quod Solomon fecit: *Dei miniſtros eſſe, eorum bono, qui bene* Pſal.72. *agunt; eorum ſupplicio, qui malè,* vt Paulus ait: *egredi & ingredi coram po-* 1.Reg. 3. *pulo, vt Paſtorem decet,* quod 1. Sam. habetur; vt iuxta Ieremiam ex Rom.13. regia proſperitate pax populi oriatur.

Noſtri autem Reges, vt cæteri Chriſtiani Principes, dum inaugurantur, iuramento ſe obſtringunt, cuius hæ ſunt partes: religionem patriam iuxta patrias leges defendere: nouatores omnes & turbatores punire: bonas leges à maioribus latas, earúmque exercitium tueri; delinquentes verò & contumaces ex earum præſcripto caſtigare: regni denique & Ordinum immunitates & priuilegia ſancta tecta conſeruare, ſiue aduerſus hoſtes, ſiue inter ſe: in ſumma, populi bono & ornamento ſtudere: & ad eam rem non ſolum veteres leges defendere, earúmque iuſſa exequi, & nouas, ſi ita mali mores exigant, ſancire; verumetiam imminentia præuidere pericula, & quibuſcunque rationibus ea præcauere: concordiam, opulentiam, humanitatem inter ciues fouere: ijs, vt patres & excubitores decet, maiore cura proſpicere, quàm ſibi; quùm ſciant ſe eorum gratiâ factos eſſe, non contra; nec ignorent Deo reddendam eſſe omnium rationem, qui Regibus ſuam vicem ea lege mandauit, vt ſi propriam ſalutem amarent, populi ſibi crediti ſalutem vnicè quærerent, corporibúſque & animabus (quantum pote eſt) inuigilarent. Ex hoc iuramento inaugurali potiùs, quàm vlla lege quantumuis antiquâ & ſanctâ, regij officij definitio petenda eſt.

Rex igitur, dum coronatur, iure naturæ fit ſubditorum pater. paternæ enim incumbit curæ liberos alere, educare, honeſtè inſtruere: Regis erga ſubditos eadem eſt ſollicitudo. Parentibus labor omnis pro liberis ſuſceptus ſuauis cenſetur: nec piget facere quicquid in eorum commodum

commodum & bonum redundat: bonus Princeps erga ſubditos eodem modo affectus eſt. Pij parentis eſt omnia, quæ liberis accidere poſſunt, incommoda proſpicere, & cum ſuo etiam periculo eorum pericula amoliri: ita Regis eſt populo ſuo conſulere. Ira quoque & pœna, qua liberorum caſtigantur offenſæ, merè paterna eſt, & dum reſipiſcentiæ ſpes ſupereſt manſuetudine temperata: Regis eſt in ſubditorum delicta, quæ illum non tranſcendant modum, ſic prorſus animaduertere. Summa denique patris eſt voluptas, liberorum commodis obſequi: ideoque de eorum bono afficitur lætitiâ, de aduerſis & malis miſeratione & mœrore; eorumque ſecuritatem ſuo redimit periculo; quietem labore; ſomnum vigilia; & in ſumma fælicitatem huius vitæ magis in illis ponit, quàm in ſe ipſo: ita boni Principis animus eſt in populum.

Altera huius mutui & reciproci vinculi pars eſt Subditorum officium & fidelitas in Principem. cuius fundamentum petam ex verbis Samuelis à Spiritu ſancto dictatis, quùm ille populo petenti Regem diuino iuſſu daturus erat. & quoniam ea ſcripturæ pars tam eſt noſtro inſtituto accommodata, ipſa verba hiſce noſtris inſerere viſum eſt.

9 *NVnc itaque auſculta voci illorum: verumtamen quùm ſedulò conteſtatus fueris contra eos, & indicaueris eis rationem iſtam Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos.*

10 *Itaque indixit Schemuel omnia verba Iehouæ populo, petentibus a ſe Regem:*

11 *Ac dixit: hæc erit ratio ipſa Regis, qui regnabit ſuper vos; filios veſtros accipiet, vt ſibi diſponat in curribus ſuis, & in equitibus ſuis, & currant ante currum ſuum.*

12 *Et ad diſponendum ſibi chiliarchos, & præfectos quinquagenis, & ad arandum arua ſua, & ad metendum meſſem ſuam, & ad faciendum inſtrumenta bellica ſua, & inſtrumenta curruum ſuorum.*

13 *Similiter, filias veſtras accipiet, in vnguentarias, in coquas & in piſtrices:*

14 *Etiam agros veſtros, & vineas veſtras, ac oliueta veſtra optima accipiet, & dabit ſeruis ſuis.*

15 *Semina quoque veſtra, & vineas veſtras decimabit, & dabit aulicis primoribus ſuis & ſeruis ſuis.*

16 *Seruoſque veſtros, & ancillas veſtras, ac iuuenes veſtros præſtantiſſimos, & aſinos veſtros accipiet, adhibebitque ad opus ſuum.*

17 *Greges veſtros decimabit, denique vos eritis ei ſerui:*

18 *Adeo vt clamaturi ſitis die illa propter Regem veſtrum, quem elegeritis vobis, ſed non exaudiet vos Iehoua die illa.*

19 *Renuerunt tamen populus auſcultare voci Schemuelis; & dixerunt, nequaquam, ſed Rex præerit nobis:*

20 *Vt simus nos quoque sicut omnes istæ gentes, & vindicet nos Rex noster, & procedens ante nos gerat bella nostra.*

Quòd verba hæc & sermocinatio Sâmuelis cum populo à Sp. Sancto sint, alia probatione non eget, quàm quòd pars quædam hæc sit sacræ scripturæ, quæ tota teste Paulo θεόπνευστος est: quod principium nemo mihi vnquam Christianus negauerit. vnde necessariò efficitur non esse ista verba è Samuelis ambitione nata, quasi habenas, quas tam diu rexerat, ægrè poneret è manibus; & regium imperium faceret inuisum, vt populum à Regis flagitandi importunitate absterreret. nam ille (vt ex contextu euincitur) populum iam in vnum conuocauerat, vt eorum petitioni libens annueret, quemadmodum illi disertis verbis Deus mandauerat,

Ausculta (inquiens) *voci populi.*

Dissuadere autem id velle, cuius concedendi gratiâ accesseris, vix Sapientis esse putem, nedum Prophetæ Dei altissimi. Præterea ex toto vitæ sequentis instituto satis apparet, non illum ambitione percitum tamdiu populo dissensisse. hanc ille suspicionem longissimè à se remouit, quùm pro Saule assiduis apud Deum precibus intercederet; nec etiam post indicatam à Deo Saulis reprobationem orare desineret, donec Deus ipse, crebra eius interpellatione commotus, vetuit tandem, ne id vltra peteret. Quòd verò hæc verba nòn eò loquutus sit Samuel, vt Saulis primi eorum Regis defectionem prædiceret, ex multis colligitur: tum quia tyrannum illum vel oppressorem euasisse non est proditum in sacro codice, in quo tanquam in perfectissimo eorum omnium, quos exhibet, Regum speculo hoc peccatum, si fuisset, vnà cum cæteris apparuisset. tum quia ob virtutem & dotes imperio dignas electus est Saul à Deo, vt regeret Israèlem. Quòd autem postea defecerit, id deprauato ipsius ingenio, non Deo imputandum est: qui contra sentiunt Deum veluti vitricum populi sui accusant, qui eis Regem elegerit, quem ad regendum sciuerit ineptissimum: siquidem illius Regis electio à solo Deo proximè profecta est. Samuel igitur (vt consideranti perspicuum est) in eum finem hæc populo loquutus est, vt eorum animos ad Regis, quem Deus daturus erat, obsequium præpararet. quamobrem vt se patientia armarent, & diuinæ institutioni cederent, enormia illa vitia, in quæ nonnulli è futuris Regibus incidere possent, enumerat vates, quasi diceret: Quùm intempestiuis vestris precibus Deus Opt. Max. dato Rege satisfecerit, cauete, ne vt diuinum iugum temerè nunc excussistis, Rege ante tempus petito, sic iugum regium, quod Deus vestris precibus victus vobis imponet, vtut graue videbitur, pari temeritate excutere conemini: hic enim error priore grauior futurus est. nam vt Regem nonnisi diuino permissu iussuque potu-

istis

iſtis conſequi, ita cum ſemel vobis præfectum, nonniſi eodem Deo auctore poteſtis abdicare. idcirco in tempore vos ipſos patientiâ & modeſtiâ armate, quoniam penes eum ſolum eſt Regem deijcere, qui euexit. Nihil vobis relinquitur niſi parere, & ferre æquo animo quæ prænuncio incommoda. Dei enim eſt hic digitus, quem vobis veſtro arbitratu depellere nefas eſt.

Quod ſi ipſa contextus verba eo, quo poſita ſunt, ordine expendere libeat, qualis debeatur Regibus obedientia perſpicuum fiet.

Primò enim duo imperat Deus Samueli; vnum quidem, vt petenti populo Regem concedat: alterum, vt mala, quæ à Regum nonnullis paſſuri erant, prædicat; ne fortè, quùm illa euenirent, in hæc aut ſimilia verba indignantes efumperent: Si Deus, cum Regem peteremus, indignæ huius ſeruitutis, quæ iam nimis ſed ſerò nota eſt, nos præmonuiſſet, nullum vnquam Regem admiſiſſemus. & hæc eſt eorum verborum mens:

Nunc itaque auſculta voci illorum: veruntamen quùm ſedulò conteſtatus fueris contra eos, & indicaueris ijs rationem iſtam Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos.

Deinde exequitur diuinum iuſſum Samuel & hæc duo præſtat: primò oſtendit, quibus iuſtitiæ & æquitatis legibus violatis Rex populo futurus ſit grauis. Secundò priſtinæ libertatis ſpem illis omnem præcidit; vtut iugo illo, quod ſua importunitate à Deo accerſiuere, ſe opprimi ſentiant. Æquitatis leges à Rege violandæ his verbis habentur.

11 *Ac dixit: hæc erit ratio ipſa Regis, qui regnabit ſuper vos; filios veſtros accipiet, vt ſibi diſponat in curribus ſuis, & in equitibus ſuis, & currant ante currum ſuum.*

12 *Et ad diſponendum ſibi chiliarchos, & præfectos quinquagenis, & ad arandum arua ſua, & ad metendum meſſem ſuam, & ad faciendum inſtrumenta bellica ſua, & inſtrumenta curruum ſuorum.*

13 *Similiter filias veſtras accipiet, in vnguentarias, in coquas, & in piſtrices:*

Leges iuſtitiæ à Rege violandæ illis verbis habentur:

14 *Etiam agros veſtros, & vineas veſtras, ac oliueta veſtra optima accipiet, & dabit ſeruis ſuis.*

15 *Semina quoque veſtra & vineas veſtras decimabit, & dabit aulicis primoribus ſuis, & ſeruis ſuis.*

Quaſi diceret: florem ipſum veſtræ nobilitatis ſeruilibus circa ſe officijs dehoneſtabit. nec ſuo contentus patrimonio, ex agrorum veſtrorum, & vinearum, & hortorum opimis, exque pecore veſtro, luculentos ſibi colliget prouentus. Ita ille inuerſo naturæ ordine, inuerſo Regis officio, vos ipſos, & poſteros veſtros, agroſque, & opes ſuæ mancipabit libidini.

Digitized by Google

Præmonitio autem illa, quòd iugum ipsorum importunitate à Deo impositum, quantumuis grauarentur, nunquam tamen excuterent, his verbis exprimitur:

Adeò, vt clamaturi sitis die illa propter Regem vestrum, quem elegeritis vobis: sed non exaudiet vos Iehoua die illa.

Quasi diceret: quùm hæc omnia quæ prædico, olim ingrata experientia vobis comperta fuerint, fremite & indignamini vt libet, non licebit tamen potestatem excutere, quæ & diuina institutione & vestra electione vobis præest. volentes etenim, excidistis priuilegijs, quibus pristinam vestram libertatem olim repetatis: nec Deus permittet euerti quod se auctore vobis orantibus stabilitum est. ac ne forte crederent rescindi olim posse contractum, quem ipsi vnanimi consensu firmârunt, Samuel, vt omnem illis excusationis prætextum auferret, postquam huius iugi grauitatem & onus multis ostendisset; quid illis animi sit interrogat, & an libenter illud susciperent? Illi autem susceperunt, vt his verbis apparet:

Renuerunt tamen populus auscultare voci Samuelis, & dixerunt: nequaquam, sed Rex præerit nobis.

Quasi dicerent: neque sermonum tuorum, neque conditionum durities à nostro voto nos absterret. nostra erit ista bonorum malorumque sors. neque nos, quod cæteræ gentes ferunt, à nostris Regibus impositum onus detrectabimus. Quin si Reges nostrorum bellorum duces esse voluerint, huius beneficij gratiâ æquissimo animo, quicquid oneris iniunxerint, feremus.

Nunc igitur, quùm omnibus Christianorum regnis tanquam exemplar quoddam proponi debeat Monarchia Iudaica, quæ ab ipso Deo instituta nullas leges habuit, nisi diuino editas oraculo; cur, obsecro, turbulenti & factiosi homines in Christianorum Principum regnis libertatem sibi vendicent quæ Dei populo non debebatur? præsertim quùm nullius vnquam Regis maior fuerit enormitas, aut superbia, quàm populo Israelitico hîc prædicta est: nisi fortè tyrannidis nomen non mereatur hæc hominibus illata vis, & filijs, & filiabus, & ministris; hæc nobilium familiarum, & vtriusque sexus procerum ad indigna, & seruilia munia compulsio; hæc agrorum, opumque ad vnius hominis commoda, eiusque aulicorum & Comitum fastum expilatio. omnis tamen rebellio hæc passuris interdicta fuit.

Et vt huius dogmatis in sacra pagina fundati veritas ex perpetua in eodem libro experientiæ obseruatione amplius eluceſcat, nunquam legimus, suadentibus Prophetis, aduersus Regem quantumuis impium fuisse olim à populo rebellatum.

Quùm huic ipsi Sauli denunciasset Samuel Deo ità visum esse illi sceptrum adimere, & alteri dare; quod reuera nihil aliud erat, quàm Regem

Regem in ordinem cogere, & dignitate regiâ exuere; ſtatim inde domum ſe contulit Propheta, & multo fletu diuinam pro Rege miſericordiam ſollicitauit. tantum abeſt vt quicquam turbarum dederit.

Et Dauid, cùm iam Rex ſuffectus vindicare iure poſſet iniurias, quas à Saule, cui honeſtiſſimè & ſine vllo maleficio ſeruierat, perpeſſus fuit, tantum aberat, vt vnctum Domini occideret, quùm poſſet; vt ægre ſibi perſuaſerit veſtimentum eius attingere, nec id quidem, niſi ſumma cũ religione, imò capitalis hoſtis benedictione. Poſtea quùm nõ nemo Saulem à ſe occiſum falsò iactaret, Dauid, neglecto iudicij more, neglecto delicti examine, illud ipſum linguæ flagitium è veſtigio morte vindicauit.

Et quamuis Achabo nemo vnquam vixerit dirior tyrannus, rebellio tamen aduerſus eum ab Elia nulla alia concitata fuit, quàm quòd in deſertum fugerit, vbi alimenti inops à coruis paſceretur. nec quiſquam, opinor, dubitabit, quin Samuel, Dauid, Elias; ſi viſum modò illis fuiſſet ſeditionibus aduerſus Reges concitandis operam & auctoritatem ſuam impendere; apud populum tam gratioſi fuerint, quàm quiſquam noſtra tempeſtate è factioſis illis concionatoribus, cuiuſcunque demum ſectæ fuerint, vel hîc vel in Gallia; quibus vnum hoc negotium datum eſt, religionis obtentu rebelliones ciere. hactenus veritatis amor ſed (teſtor) ſine perſonarum odio acerbum me fecit.

At ſi quis extraordinarijs illis in ſacro codice Regum abdicatorum aut occiſorum exemplis populares ſeditiones voluerit tueri, quale erat facinus Iehu & id genus alia: Reſpondeo, præterquam quòd parem auctoritatem iſta non habeant, ſi extraordinaria ſcripturæ exempla in quotidianam vitæ conſuetudinem trahi debeant, tum verò dicemus homicidium commiſſum per fidem, vt in Ahûde & Iaele, & furtum, vt in Iſraelitis digredientibus ex Ægypto; & mendacia apud parentes in fratrum damnum, vt in Iacobo, actus eſſe è virtute profectos, nec minore laude dignos, quàm rebelliones aduerſus Principes. & vt ſummatim dicam, ex perpetua Scripturæ praxi conſtat populum legi illi paruiſſe.

Iudicibus conuicium non dices, nec de populi Rectore loqueris malè.

Itaque vt dogmatis huius petita è ſacris literis fundamenta abſoluam, duo inſignita & propria exempla, vnum ſub vetere lege, alterum ſub Euangelio in medium adducam. Ieremias ſub lege propter rebellionem aduerſus Nebuchadnezarem, Regem Babylonis, Dei populo minitatur exitium: cui Regi, & idololatræ, & crudeli, & peregrino, & tyranno, & libertatis Iudaicæ prædoni ideo cenſuit Propheta à Iudæis parendum, quia ſemel illum Regem admiſerant, & agnouerant. quin & pro illius fælicitate preces eſtimauit fundendas, addita ratione, quòd eius fælicitate eorum pax ſtaret. Ieremi. 27.

Mais dequoy sert-il de parler de la sorte, & de confesser ouvertement, que nous ne pouvons rien faire de bon sans la grace, puisque d'autre costé on nous dit, que nous devons de nous-mesmes nous disposer à la grace, & que nous ne pouvons pas estre sauvez sans elle? Ne sont-ce pas des contradictions manifestes, que de dire, que nous ne pouvons rien faire de bon sans la grace, & que neanmoins nous devons de nous-mesmes nous disposer à la grace? Car si nous ne pouvons rien faire de bon sans la grace, comment pouvons-nous nous disposer à la grace? Et si nous ne pouvons nous disposer à la grace, comment pouvons-nous estre sauvez? Ne voit-on pas clairement, que ces deux propositions sont directement contraires l'une à l'autre, & qu'elles ne peuvent subsister ensemble? Et neanmoins, Messieurs, ils ne font autre chose que cela dans tout leur livre. Ils disent, & ils ne disent pas; ils nient, & ils n'osent nier; ils font voir, & ils font semblant de ne point voir; ils se contredisent eux-mesmes, & ils ne veulent pas qu'on les contredise. Voilà, Messieurs, comme ils en usent dans leur livre. Ils font tout ce qu'ils peuvent pour ne point estre entendus, & ils ne veulent pas neanmoins qu'on les entende. Ils font tout ce qu'ils peuvent pour ne point estre entendus, afin de pouvoir dire, que nous ne les entendons pas. Et ils ne veulent pas neanmoins que nous les entendions, afin de pouvoir dire, que nous les entendons. Voilà, Messieurs, comme ils en usent dans leur livre.

Pour ce qui est de la grace de Jesus-Christ, ils ont, à ce qu'ils disent eux-mesmes, de grandes difficultez à la concevoir, & ils ne peuvent comprendre, comment elle est donnée à tous les hommes, & neanmoins efficace par elle-mesme, & victorieuse de la concupiscence, & ils ne peuvent comprendre, comment elle est efficace par elle-mesme, & victorieuse de la concupiscence, & neanmoins qu'elle laisse à la volonté le pouvoir de luy resister, & ils ne peuvent comprendre, comment elle laisse à la volonté le pouvoir de luy resister, & neanmoins qu'elle donne à la volonté une force invincible, & ils ne peuvent comprendre, comment elle donne à la volonté une force invincible, & neanmoins qu'elle ne donne pas à l'esprit une connoissance claire de tout ce qu'elle fait faire à la volonté, & ils ne peuvent comprendre, comment elle ne donne pas à l'esprit une connoissance claire de tout ce qu'elle fait faire à la volonté, & neanmoins qu'elle donne à la volonté une inclination, qui la porte infailliblement à faire ce qu'elle veut, & ils ne peuvent comprendre, comment elle donne à la volonté une inclination, qui la porte infailliblement à faire ce qu'elle veut, & neanmoins qu'elle ne donne pas à l'esprit une connoissance claire de tout ce qu'elle fait faire à la volonté, & ils ne peuvent comprendre, comment elle ne donne pas à l'esprit une connoissance claire de tout ce qu'elle fait faire à la volonté.

[illegible] [illegible] [illegible] [

le leges dedit non accepit, & vetus ius & consuetudinem regni antiquauit, &, auitis possessionibus euersis homines nouos & peregrinos imposuit, suæ militiæ comites; quemadmodum hodie pleraque Angliæ nobilitas Normannicam præ se fert originem; & leges Normannico scriptæ idiomate facilè testantur auctorem. Nihilominus posteri eius sceptrum illud hactenus fæliciter tenuerunt. nec hoc soli Normanno licuit: idem ius omnibus fuit, qui ante illum victæ Angliæ leges dederunt.

Et, ne longiùs hic morer, Regi competere vniuersæ terræ Dominium satis liquet ex legibus de thesauris, de spurijs, de ijs qui moriuntur sine hæredibus. Thesauri enim sub terra reperti, quorum custodia vsuue nullius est, ipso iure sunt Regis. &, siquis sine hæredibus moriatur, prædia bonaq; Regi vt veteri Domino censetur relinquere. & spurius; si ante excesserit è vitâ, quam à Rege, qui solus id conferre potest, ius Legitimi consecutus fuerit; Regem habet ex asse hæredem. Iam verò, vt ex dictis constat Regem esse terræ Dominum, ita non minùs verum est in personas omnium idem illi ius competere; quæ est irrefragabilis vitæ & necis potestas. Licet enim iustus Princeps absque lege neminem vita exuit; lex tamen ista, iuxta quam dicit mortis sententiam, ab ipsomet, aut decessore eius lata est: &, quod hinc efficitur, ab ipso non à lege potestas ista deriuata est. boni enim Principes, vt quotidiano vsu notum est, nouas leges etiam propositis pœnarum minis sancire solent, quibus ea vetant fieri, quę si vetita non essent sine peccato fieri possent. Nec volo tamen veterem illam Regis & legis distinctionem; quæ Regem facit loquentem legem, legem verò Regem mutum; è medio tollere. nam nec Deo administrationis suæ rationem reddere, nec securè aùt fæliciter inter homines regnare potest, qui regnando leges negligit. Esto enim (quod prolixè satis ostendi) Rex lege sua, cui auctoritatem & robur confert, dignior & maior; at, si bonus est, non modo omnia extra se iuxta leges diriget, sed summam in ea voluptatem ponet, vt ex earum præscripto ipse viuat; ab æterna illa lege nunquam recedens, *Salus populi suprema lex esto.* Quòd si in iure obscurum aliquid sit, aut nimis seuerum, Regis est lucem affundere, & secundùm æquum & bonum interpretari; ne fiat illud, *summum ius summa iniuria.* ideoque publicæ leges, in regni comitijs latæ, possunt à Rege mitigari, & propter certas causas illi soli cognitas suspendi.

Porrò, quod dixi bonum Regem iuxta leges viuere, non ita intelligendum est, quasi teneretur hoc facere, sed quòd sponte sua, vt Subditis exemplo præeat, id facturus sit: verbi gratiâ Rex in quadragesimali ieiunio familiam suam volet abstinere à carnibus: at ipse neglecta lege, quoties volet, comedet; nec dispensatione vlla ad eam rem indigebit. pa-

bit. pariter interdicta est iure nostro tormentorum gestatio; at Regi licebit, quoties aduersus latrones aut rebelles expeditionem suscipit, suos comites his armare. Itaque (vt dixi) bonus Rex vitam omnem iuxta leges formabit; sed sponte sua, & vt subditis exemplo præeat, non quòd ipse legibus subditus aut adstrictus sit.

Cum igitur ex antiquissimo huius regni iure, perpetuaque consuetudine, satis iam constet de regia in homines, eorumque possessione potestate; facile erit intellectu, quæ illi fides, quod obsequium debeatur à Subditis. semper autem liberos Principes, qualis noster est, intelligo; non electos à populo; multò minùs eiusmodi rectores, qualis est Venetorum Dux cuius aristocratica & restricta potestas monarchicæ libertati nihil habet affine: vt vt inter hos & illos quorundam scriptorum impudentia nihil agnouerit discriminis.

Quod si inferior feudi Dominus, quicquid demum prætexatur, iure suo à Vasallis nequeat exui, (vt omnibus est notissimum) quanto minùs Princeps, supremus ille omnium Dominus, à subditis suis in ordinem cogetur, vel auctoritate priuabitur? In inferioribus regni iudicijs Magistratuum potestates, quæ omnes Regi subseruiunt, arbitrio populi non mouentur suo loco. nec enim Vrbium Præfectos ante nouæ electionis tempus ciuibus fas est reijcere: nec in Ecclesiasticâ politiâ Pastor gregis sui censuræ aut potestati obnoxius est. ne quidem vilis Ludimagister eijci potest à discipulis. Si ex his, quorum omnis potestas aut vicaria, aut temporaria est, & cum Regiâ collata aut minima aut nulla: si ex his nemo per quascunque causas exui possit dignitate ab ijs, quibus præsunt; multò certè minore iure Rex ipse, magnus regni Præfectus & Magister, abdicabitur à Subditis: nisi fortè inuerso legis & naturæ ordine maiorem par sit a minore leges accipere; iudicem iudicari à reo; & summum omnium Dominum ijs subesse, quibus præest.

Quàm appositè autem lex naturæ cum diuino humanoque iure in hac causa conueniat, duplici similitudine apparebit. Idem Rex est populo suo, quod pater est liberis; quod caput est corpori è multis membris composito. Nam in Repub. Israelitica piæ memoriæ Principes, & Rectores non dubitarunt patres se populi fateri. & in alijs Rebuspub. titulus Patris Patriæ regum proprius fuit, ijsque sæpe decretus. & sanè perquam similia sunt Regis in subditos, & capitis in corpus officia. Capitis est pro ratione sibi datâ quæcunque corpori aut eius membris eueniant incommoda prospicere & auertere: Principis est eandem populi curam gerere. Capitis est ratiocinari & imperare, corporis verò secundum varia membrorum munia illius exequi imperium. ita se res habet cum Principe & populo. Vt ratio è capite profecta non modo membra omnia corporis, dum sana sunt, exercet; sed & ægra, si

medicabile

medicabile videatur malum, quantum pote est restituit; si immedicabile, præcidit —*ne pars sincera trahatur*. ita quòque se res habet inter Principem & populum. Denique vt nullius membri curatio desperata est capite, cuius consilio instituenda est curatio, rectè valente; eius autem valetudine affectâ omnia membra simul affici necesse est: ita quoque se res habet inter Principem & populum.

Quod verò ad patrem attinet; cuius erga liberos primâ tractatus huius parte explicui, dum Regis erga subditos officium complecterer; animaduertite, obsecro, quibus erga illum officijs liberi deuincti sint: an non monstri simile foret, si inuentâ causâ in illum consurgerent, &, cùm visum esset, abdicarent, è medio tollerent, alium in eius locum adoptarent? dicite an vllus paternæ seueritatis aut improbitatis prætextus absoluat liberos, si violentas patri injiciant manus? Hic est naturæ impetus, vt descendat potiùs quàm adscendat amor; fingamus tamen inuisos esse patri liberos, & indignis (si velis) ab eo modis tractari, erit ne aliquis ita ob omni ratione alienus, vt liberis licere putet patri suo par pari referre? Dicite, si pater nudo gladio insequatur filium, an huic fas erit se obuertere, & verbera verberibus rependere, aut alia ratione patri resistere, quàm fuga? facile esset ex ipsis brutorum animantium moribus, si cætera omnia deficerent, hoc euincere. Et vt celebratam illam ciconiarum in senes & inualidos parentes pietatem omittamus, nonne passim notum est multas reperiri & volucres & bestias, quæ fœtus suos, sibi alendis & tuendis iam pares, multis verberibus & sanguine à se depellant? at suis parentibus illos aduersari, aut quicquam contra moliri, res noua est, & inaudita; præterquam in vno viperarum genere: vt sciamus viperino esse eos homines ingenio, qui, cùm ratione vti debeant, huius tamen animalis peruersam indolem sequi malunt.

Et vt ad priorem similitudinem tantisper reuertar, potest consilio capitis membrum aliquod corporis, iam putre, ob salutem totius præcidi: at si caput ipsum, quocunque demum morbo tentaretur, corporis arbitrio præcidi deberet, quæ expectanda esset totius salus, facilis est coniectura.

Atque ita ne in hac parte videar prolixior; si liberis cuiuscunque demum causę obtentu fas sit in parentem insurgere, eique è medio sublato alium suo arbitratu sufficere; si corpori, vt bene sit, caput morbidum liceat demetere; tum non inficias eo, quin populus iure & possit rebellare in Principem, &, cum visum fuerit, eum redarguere, & maiestate ac vita priuare. Lectoris denique iudicio excutiendum relinquo, an gemina hac similitudine Regum officiū melius declaretur, an Præfectorum in collegijs artificum, vel doctorum medicinæ; quod lepidum comparandi genus à contrariæ sententiæ auctoribus vsurpatur.

Cæterùm,

Digitized by Google

Cæterùm, ne quis ex dictis alicubi ſcrupulus maneat; quod ab initio pollicitus ſum, quatuor dubitationibus, quæ maioris momenti in hoc negotio eſſe videantur, ſolutis, finem faciam. Et primò quidem à pleriſque eorum, qui rebellionibus & læſæ maieſtatis criminibus defendendis ſtilos ſuos exercuerunt, ſolet hoc obijci; ea lege natum eſſe vnumquemque Reipublicæ, vt pari eam zelo & amore ac matrem ſuam proſequatur: quoties igitur tyrannorum improbitate laniatur, affligitur, rapitur; bonis ciuibus nullum non mouendum lapidem, vt tantâ eam peſte liberent.

Hîc ego bifariam reſpondeo. Primò in diuina politia longè illud eſt certiſſimum, non eſſe facienda mala, vt inde eueniant bona. nulla proinde improbitas, quanta quanta ea eſt, eorum iudicio Regem ſubijciet, quibus iudicandis ille à Deo eſt præpoſitus. Quod ſi nec priuatus in priuatum ſuæ iniuriæ vindicandæ poteſtatem habet (hæc enim Magiſtratus propria eſt, cui ſoli datus eſt à Deo gladius) quanto minus populo aut cuiquam è populo, quùm omnes priuati ſint, ius gladij aduerſus publicum Magiſtratum competet; cui ſoli ius gladij in eos conceſſum eſt?

Secundò, hac temeritate non leuaretur afflicta Reſpublica, qui vnicus illius ſupereſt audaciæ color; ſed geminâ potius ruinâ & vaſtitate obrueretur, adeoque ex inconſulta rebellione contrarium planè eueniret. Nec enim vllus Rex tam immitis aut efferus fingi poteſt, quin per illum melius ſit Reipubl. quàm per illius cædem. Primò enim omnis ſubita mutatio in Repub. periculoſa eſt, quæ hominibus ſordidis & nudis nouarum magnarumque rerum ſpem facit, vt alienis ſe veſtiant plumis. ſoluta enim Reipubl. compage ad omne genus inſolentiæ, in quod ſpe impunitatis ferri poteſt popularis impetus, habenæ laxantur. Deinde verò fieri non poteſt, quenquam Regem ita eſſe prodigiosè improbum, vt non publicè iuſtitiam amet, & in officio homines aliquatenus contineat, vbi ad eum priuatim, aut eius affectus, quibus præceps rapitur, nihil ea res attinet. at vbi nullus Rex eſt ibi nihil eſt nefas. Et longè veriſſimum illud eſt, quod à veteribus Philoſophis dictum accepimus; ſatius eſſe in ea repubi. viuere, vbi nihil licet, quàm vbi omnia; quæ rerum facies indomito equo, qui ſeſſorem excuſſit, abſimilis non eſt. nam vt diuinus Poëta Bartaſſius ait: Præſtaret in Republ. quoſdam næuos & maculas ferre, quàm per cauſam reformationis omnia deformare.

Secunda eorum obiectio ex grauiſſimis illis malis orta eſt, quæ Reipub. ex tyrannica dominatione incumbunt: ideoque nihil eſſe Deo acceptius confirmant, aut afflictæ Reipubl. gratius, quàm eiuſmodi peſte terram abſoluere, & in libertatem tantopere omnibus animantibus expetitam homines aſſerere.

Neque

Neque ego inficias eo malum Regem Dei flagellum esse, quo hominum vindicantur peccata: licere tamen vnicuique, cum visum fuerit, eam pœnam excutere id verò pernego. quis enim neget Regem Babylonis populo Israëlitico, vt in captiuitatis vaticinio minatus fuerat Deus, grauissimam fuisse & dirissimam pestem? quis nesciat talem Ecclesiæ Christianæ fuisse Neronem? at Ieremias & Paulus his parendum, proque eorum incolumitate preces & vota facienda esse censuerunt.

Patientia igitur & prece & emendatione vitæ; quæ sola nostrarum partium esse ex iure diuino iam satis ostendi; agendum est cum Deo, vt ipse sua manu pestem hanc è pópulo dignetur submouere. Nam quo pacto populus, cui iam integrum non est priuilegia vnanimi consensu in Regem translata repetere, veterem sibi libertatem asserat? nam si Principi ipsi non liceat priuilegia in quemcunque subditorum ordinem à se, aut maioribus concessa reuocare; quo pacto, obsecro, subditi Principem suum maiestate, qua ipse cum maioribus suis tamdiu inter eos eminuit, exuere poterunt?

Verùm temporum iniuria, quæ perfida multorum consilia immerito sæpe donauit successu, materiem præbet tertiæ eorum obiectioni. nam è prospero, quo eiusmodi facinora donata sunt successu tyrannicidium euincunt Deo placuisse.

Verùm illud quidem est bellorum, & humanarum rerum omnium euentus penes Deum esse. quam ob causam ipse se in sacris literis *Deum exercituum* indigitat. at si inde colligas meliori causæ semper indulgeri à Deo victoriam, pariter efficies Philistæos, aliasque gentes Israelitis vicinas, cum in acie sæpe vicerint, meliorem quoque fuisse causam: & Philistæorum aduersus Dei arcam, quam prælio victores secum auexerunt, & diu captiuam sua in regione detinuerunt; iustam fuisse causam collegeris. Præterea non Theologis modo, sed & alijs quibuscunque probatis auctoribus improbantur singularia certamina, seu monomachiæ, quæ hoc prætexu fiunt, vt Deus exitu ipso manifestet causæ iustitiam. nam scire debemus innocentem partem non esse coram Deo innocentem. vnde etiam iustissimus Deus suam iniuriam sæpe committit vindicandam nequiori; quo ministerio peracto flagellum suum in ignem conijcit. Sic populi sui hostibus animos sæpe addidit Deus & robur: idem populo suo pœnitentiam agenti eosdem hostes permisit exscindendos. Ita ille supremus Arbiter Vicarij sui scelera iustissimè vindicat, dum subditorum rebellione eius rebellionem castigat: quo in negotio nihilo melior est subditorum causa, quàm Diaboli tentantis & torquentis illos, quibus illum Deus voluit esse carnificem. Ideoque vt ab initio monui nihil est fallacius, quàm ex euentu causam æstimare.

Vltima

Vltima eorum obiectio mutuo Regis & ſubditorum pacto & ſtipulatione (vt ipſi vocant) innititur. nam tempore coronationis pactum inter eos iniri, & iuriſiurandi religione vtrinque firmari contendunt. vnde conſequitur, Rege ſuam partem violante, non amplius populum obligari ad ſuam : ſed è veſtigio iureiurando exolui. nam vno contrahentium recedente à pacto, alterum aiunt iure gentium abſolui.

Nego ego tempore coronationis inter Regem & ſubditos pactum iniri; cui præſertim tam ſeuera clauſula (vti illi volunt) adnexa ſit. quamuis illud ſatis conſtet eo tempore, aut regni initio, ſponte ſua, Regem promittere ſe munere à Deo in populum mandato honeſtè & fideliter functurum. Vt demus tamen pactum intercedere, quo nullum ſanctius, nullum firmius (vt ipſi volunt) cogitari poterit; quis tamen, ſi Rex conuentis non ſteterit, erit læſæ fidei arbiter, quis iudex inter partes? nemo ius ciuile primoribus labris deguſtauit, qui neſciat non cenſeri ab vno contrahentium violari contractum, aut alterum contractu prius abſolui, quàm legitima ordinarij iudicis cognitione liquidò conſtiterit, vter eorum prior à contractu diſceſſerit. ea enim eſt cuiuſcunque iuris ciuilis & municipalis cautio. aliàs nihil impediet, quo minùs in ſua quiſque cauſa & iudex & pars fiat : quo nihil abſurdius cogitari poſſet. Nunc in hoc Regis & populi contractu ſolus Deus, cui vni Rex tenetur ſuæ adminiſtrationis rationem reddere, ſine controuerſia eſt iudex; tum quia in iuramento illo inaugurali Deo ſoli defertur & iudicium, & vindicta perfidiæ. & certè coram eo, vt omnis iuramenti arbitro, ſolùm iurandum eſt. Quùm igitur Deus ſolus inter partes contrahentes perfidiæ Quæſtor ſit, eique ſoli & cognitio competat, & vltio: neceſſariò efficitur aduerſus Regem pronunciandam eſſe priùs à Deo ſententiam, quàm populus cenſeatur ſuo ſacramento ſolutus. Ergo quàm iniuſtè pars altera contrahentium iudicem ſe in ſua cauſa faciat & diuinum officium vſurpet, nemo non hinc videat. Eritne igitur penes vulgus imperium, quod Deus impoſuit, quùm primum illud faſtidire cæperint, excutere? illum, cuius cenſuræ & pœnæ obnoxij ſunt, cenſere & punire? & in ea cauſa, in qua aduerſarios eſſe illos cupidiſſimos ipſa indicat ferocia, aſperos & immites fieri iudices? Quin ego in eiuſmodi cauſa, prout iam fingitur, neque Regi neque populo defero iniuriæ cognitionem: nam, ſi rectè expenderis, mutui illius promiſſi tempore pars vna eſt Rex, pars altera totus populus. ſi totus populus vno ore & animo rebellis euaderet, non vtique Regis foret ſe iuramento ſolutum credere, hoſtilem animum in ſubditos gerere, nihilnon in eorum perniciem moliri; quanquam in præcipuos ſeditionis auctores iure ſuo tum poſſet animaduertere. multo minus igitur populus omni auctoritate nudus, &

Regi ſemper ſubditus, iudicium ſibi in Regem arrogaret, nedum vt in ordinem illum cogeret, deijceret, euerteret. aliàs, vt primum populus violatæ fidei Regem poſtularet, Rex populum eiuſdem criminis reum perageret: & ſic cum vtraque pars iudicem ageret in ſua cauſa, altera, quæcunque infirmior eſſet, ſemper vtique cauſâ caderet.

Obſeruandum quoque eſt iuramento hoc fidelitatis non modo populum tum iurantem, ſed etiam eorum poſteros teneri; ſceptri videlicet iure ad vnius familiæ legitimos hæredes ſecundum lineam rectam æternùm deſcendente: quod ſucceſſionis genus in Dei populo primitùs cæptum in Chriſtianorum pleriſque omnibus Rebuſp. fæliciſſimè perdurat. adeo nullus hæreſeos aut legis prætextus populum à ſacramento abſoluat, quod Regi & illius hæredibus iuxta antiquiſſimas & primas regni leges debetur. Nam vt ipſe Rex eorum Dominus eſt hæreditarius, nec coronationis beneficio, ſed ſanguinis iure regnum inijt; ita, quùm thronus regius nunquam vacet, non minus iniuſtum cenſeri debet ſucceſſorem non admiſiſſe, quàm deceſſorem expuliſſe. nam quo momento Rex moritur, eodem legitimus illius hæres ſuccedere intelligitur: atque ita ſucceſſorem recuſare non tam foret non admittere, quàm legitimum Regem ſuo loco mouere. Et hac tempeſtate ſatis (opinor) Galliæ nota eſt ſuperſtitioſa fœderatorum rebellio, qui ſumptis armis, dum legitimum Regem natalitio regni ſui iure per cauſam religionis ſtudent depellere, florentiſſimum regnum diu fœdè vaſtarunt.

Neque hæc pro Regibus ideo diſſerui, quod omnia ſcelera, omnia flagitia ijs velim eſſe impunita: quaſi eorum gratiâ factus eſſet orbis terrarum, eorumque libidini permiſſus, vt omnia pro arbitrio agant ferantque: ſed contra, dum Deo, cui ſoli vt iudici ordinario ſubſunt, eos in ſupplicium dedo, aſperrimæ (ni fallor) omnium & plagoſiſſimæ ferulæ eos ſubijcio. Nam quanto cæteros mortales loco, honore, & poteſtate ſupereminent Reges, tanto maiore obſequio creatori ſuo deuincti ſunt; tantoque maioribus pœnis, ſi ſui olim immemores euaſerint, exercebuntur. nimirum ad dignitatis menſuram creſcit eorum aduerſus Deum ingratitudo, & quoniam in editiore loco poſiti ſunt, grauiore afflictabuntur caſu. quo enim aliquis Deo beneficijs deuinctior eſt, eo eius offenſa iure enormior videtur. Sæpius & damnoſius ſummas quercus feriunt Iouis fulmina, quàm lentas ſalices: & ex altiſſima ſede procliuior eſt lapſus. Nunquam auditum eſt aut pietati aut officio defuiſſe Regem, quin eius ingratitudini parem Deus aptauerit pœnam.

Neque etiam confido hiſce meis argumentis populo perſuaderi poſſe, ne in improbos Reges poſthac vnquam inſurgant; qui non neſciam eiuſmodi flagellis diuina prouidentiâ & iuſtitiâ immiſſis

ſæpe

Digitized by Google

ſæpe vindicari tyrannorum ſcelera, quemadmodum fœdiſſimis vermibus & terræ puluere inſolentia Pharaonis olim coercita fuit. Sed meum in hoc tractatu conſilium eſt, ijs ſaltem, qui opere & vita non inani nomine Chriſtianos ſe eſſe volunt, pro virili mea parte diſſuadere, ne feris illis rebellionibus, queis Regum improbitas à Deo vindicabitur, vel manus ſuas ſcelerent vel mentes: vt, cum Deo viſum erit hæc furoris ſui inſtrumenta, hæc flagella Principum in ignem conijcere; vos ad æternum illud tribunal puras dextras, puras conſcientias adferatis; qui nempe vera religione in Deum, vera pietate in Principem defuncti iudicium & ſupplicium illi permiſeritis ad quem iure pertinebant.

Nunc mihi reſtat obſecrandus Deus, & ſpero fore; vt ſua apud nos dona propria eſſe velit; ſeditionum vaſtitatem procul arceat; Regis animum ac mores nobis tales conſeruet, quales Deum noſtrum in terris patremque amantiſſimum maximè deceant, & in prima huius operis parte deſcripſimus; neue illi quicquam charius ſit veſtra fælicitate, ô Ciues; & dum ſui curam agit, id potius veſtri cauſa faciat, quàm ſua; ſeque vobis natum iudicet; vos autem, chariſſimi populares & lectores beneuoli, omni ſtudio illius fælicitatem & bonum promouehatis; atque ita pia fælicique inter vos æmulatione, dum ille veſtræ paci & commodis, vos illius honori & incolumitati ſtudetis, & perpetuis indies certatis officijs; omnes ordines ſe illo beatos Rege, & Rex illis ſubditis vnicè ſe ſentiat beatum.

(***)

Digitized by Google

MISOCAPNVS,

SIVE

DE ABVSV

TOBACCI

Luſus Regius.



Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

NVllum eſt humanum corpus, Ciues chariſſimi, ſic temperatum vt omnis morbi ſuſpicione aut ſeminio vacet. nec vllius Reip. quantumuis fœlicis compages ſine vitio vel vitij materia firmata fuit. Quo minus mirum eſt noſtram hanc Rempublicam, diuitijs licet & pace florentem, cõmuni tamen cæterarum fato ſuis ægritudinibus affligi. Populus ſumus, ſi quis alius, ſumma charitate & obſeruantia in Principem: at temerè ſeduci nos rebellioneq; concitari non incomperta res eſt. In bello fortitudo noſtra, in pace obſequium in Principem nobis aureum hoc quo fruimur ſæculum dederunt. hinc opum affluentia, exque opibus & pace nata voluptatum mollities; nimis illa nota maximorum imperiorum calamitas. Clerus otio ſolutus, nobilitas delicijs. iuriſperitos auaritia, plebem cenſus profuſio & curoſitas tranſuerſos egere. vniuerſis inceſſit rei priuatæ nimia cura, neglectus publicæ.

Regem hîc decet, politici corporis Archiatrum, peccantis materiæ varietatem idoneis educere catharticis; nempe auctoritatis manſuetudine publicam fouere concordiam: ſeditionibus obuiam ire: ſua & comitum frugalitate luxum hunc veſtiendi profligare: deliciarúmque pudorem ciuibus exprimere: in pace belli vmbram per armorum exercitia inſtaurare: ſuis vigilijs Eccleſiæ veternum excutere: fori largitiones & corruptelas pœnarum acie præcidere: ad ſummam, nepotes ad frugem reducere: & legum minis ſenſim (nec enim vnius diei opus fuerit) vitiorum radices conuellere.

Sed vt in animantium genere non minus formica cenſetur, quàm elephas; auiſq; nomen ſic regaliolus meretur, vt cygnus; & odontalgia leuiſſima morbi notionem cum peſtilentia habet communem: ſic in ciuitatibus leuiora quoq; illa pro vitijs habenda, ad quorum tenuitatem nec Regis nec legis deſcendat auctoritas. quilibet è populo hîc medicus fiat, vbi omnis curatio erroris indicio & diſſuaſionis virtute abſoluitur. Et cùm meo quidem iudicio nihil vllibi gentium ſit corruptius crebro hoc Tobacci vſu, qui apud nos inualuit, abſurdum morem ſcriptiuncula hac perſtringere non putaui ab otio meo alienum. Si cui paulò abiectius hoc argumentum videbitur, ſciat operam quoque noſtram nihil minus eſſe quàm ſeriam. de fumo diſſertatio eſt qui vel dormientis ſpiritu diſſipetur. Nihil hîc expecto maius, quàm vt legentibus conſtent rationum mearum momenta: vt perſuadeam optare magis poſſum, quàm ſperare. Vnicum id laboro, chariſſimi ciues, vt ex leuioribus hiſce noſtrum in ſerijs affectum æſtimetis, nullis ſcilicet nos laboribus parcere, queis veſtra commoda fœlicitatémque prouehamus. Valete.

MISO-

MISOCAPNVS, SEV LVSVS REGIVS DE ABVSV TOBACCI.

QVO manifestior euadat fumosæ huius consuetudinis vilitas, detegenda eius infantia est; quibúsque de causis primitus in nostros mores regionésque inuecta sit. Vt enim apud æquos prudentésque rerum æstimatores laudem suo iure merentur instituta, quibus causam præbuerunt honestas, pietas, necessitas; initia verò dederunt viri graues, probitate & prudentia conspicui: sic merito infamiæ stigmate notantur illa, quæ ex turpitudine coorta, à barbaris profecta, sola nouitatis affectatione inualuerunt. Ignobilis origo Tobaccum agrestibus hominibus notum fecit, & inter nos deinceps publicauit. Pro nascendi locis varia sunt herbæ nomina: pleríque Americæ populis vulgari Tobacci appellatione celebratur. Constat hos & torrente cæli positu, & adusta corporis constitutione facilè venerea lue tentari; & Tobacci accensi nidore vti pro familiari antidoto. Postquam ab his nonnulli in Europam hac lue infecti redierunt, ne non satis esset diræ ægritudinis contagio Christianum orbem polluere, tetrum quoque suffumigium hoc communicarunt, vt vtriúsque veneni auctores vnum, scilicet, altero expellerent.

Nunc cogitate, ciues, an deceat in re detestanda Barbarorum simios fieri nos, cum nec in Gallorum mores dignemur transire, qui primi Christianum regnum habuere: nec Hispanorum elatiores animos feramus, quos Turcicæ magnitudinis æmulos non immeritò dixeris. huccine demum redeat diuturna Britanniæ pax omnibus fortunæ bonis affluens, & militaris nostra gloria vicinorum patrocinio toties probata nunquam alienæ opis indiga? huccine exuto pudore redeat ciuilitas nostra, Americæ fera pecora, Hispanorum mancipia, pro magistris

morum

morum accipere ? si his pædagogis sapere discendum est, cur non plumas auro, & fracta vitra gemmis anteponimus ? cur non horum exemplo incedentes nudi Diabolum adoramus ? cur non cætera amplectimur insciti instituta, quæ barbaries insipientibus persuasit ?.

De corruptissimi moris initijs sic res habet : non ita pridem apud nos obtinuit : in recenti memoria est parens eius : tum quibus technis hanc miseriam introduxerit. Sufficiat scire nec victorem victis iniunxisse, nec Regem sanxisse, nec medicum consuluisse : sed ignoti orbis nuncium cum tribus barbaris, & barbaræ huius mercis disciplina huc appulisse. Barbaros breui mors oppressit, mos barbarus etiamnum viuit, vigétque. quo magis mihi mirum videtur, tam gratum hactenus mansisse ab auctore parum grato, & causa tam pudendâ. illud persuasum habeo hunquam hausturos fuisse nostrates hunc fumum, si illis hauriendi causa apud barbaros innotuisset : nec enim vsu remedij se morbi suspicione infamassent, cum constet sanis non esse opus medico, nec alexipharmaca vsurpari vbi nullus est veneni metus.

Cæterùm, quia deprehenduntur nonnullæ consuetudines laudabiles & probæ, quæ ab initio temerè leuique de causa inuectæ sunt, proxima erit cura ostendere, tam damnosum esse nobis Tobacci vsum, quàm turpis erat eius origo. quod vt commodius efficiatur, recognoscite mecum, quæso, tum quibus à principio incitamentis in eius amorem fueritis illecti : tum quanto ad cæteros mortales ludibrio, & ad Deum offensâ eius vsum nunc frequentetis.

Sufficiet autem quatuor credulitatis vestræ fundamenta examinare. bina quidem fallaci rationis specie ; totidem apparentis experientiæ nixa impostoris. Primò igitur certissimum hoc substernitis Physiologiæ vestræ principium, *cerebro suapte natura frigido & humido calida & sicca maximè conuenire, è quorum numero cum faciatis huius fumi graueolentiam continuò euincitis Tobaccum, siquid aliud, cerebro esse amicum.*

Hic primus est insciti clypeus, paralogismus ex ambabus præmissis falsis. Nam si cerebri natura in humido & frigido posita est, insulsè colligitur calida illi & sicca, contraria nimirũ, competere. vti enim sua homini constat sanitas constante natiuo corporis temperamento (qualia quatuor statuuntur quatuor mundi elementis respondentia) ita organis quoque ipsis sua quædam inest temperies, pro varietate actionum quibus obeundis sunt destinata ; vt ex partium temperamento non vno crasis totius vnica, velut è sonorum diuersitate harmonia, oriatur. Iam vt paralogismo obuiam eamus, naturalis singularum partium temperies similia exigit non contraria subsidia, nisi actiones illius impedire & sanitatem totius lædere decreueris. Tanquam si hepati, calenti sanguinis officinæ, ventriculi camino, plumbi laminam pro emplastro applicares, cuius frigore calidam illius constitutionem iuua-

res,

Digitized by Google

res, breui prospiceres homini, ne gulæ vitio vel conscientiam vel patrimonium nimis læderet. aut si pondus è regione cordis suspenderes palpitationi coercendæ; quia vitali spiritu turgidum nullam facit motus pausam; noxam pectori afferres, non cordi auxilium. Par est omnino in cerebro iudicium, cuius constitutionem frigidam & humidam rebus calidis & siccis non promoueres, sed euerteres; seu odores immitteres, seu fomenta apponeres. quid enim aliud cerebro exsiccato incalfactóque expectes, nisi primò vigilias, deinde phrenitidem, quùm nonnisi è miti humoris frigorisque coniugio somnus oboriatur?

Hæc igitur est sanitatis indoles, vt foueatur similibùs, contrarijs lædatur. at si debita sui temperie corpus aut pars eius aliqua exciderit, therapeutica methodus iure obtinuit, non similia, quæ morbum alant, sed contraria, quæ expellant, adhiberi. hæc enim laboranti naturæ suppetias ferunt, dum morbi violentiam expugnant. quæ nisi in morbo vsurpata naturam ipsam aduersa qualitate oppugnant. ita remediorum vsus absque morbo non est profanandus, quo pacto in huius fumosi alexiterij haustu passim peccatur.

Quod ad Tobacci vires attinet (vt paralogismi assumptionem nunc excutiam) niego eas calore & siccitate censendas: sed magis venenosa qualitate, cui adiuncta est adusta & fœda acrimonia. si quis eius cum humano temperamento antipathiam non sentit, ei olfactum aut nullum esse certum est, aut deprauatum. Nec enim nuda odorum vehicula sunt nares, sed vtilium noxiorúmque halituum incorrupti testes & nuncij; nisi fortè male affecto cerebro, primo sentiendi organo, per consensum & hæ partes præter naturam afficiantur. Vim exsiccantem fumo nullam esse aut exiguam inde licet colligere, quia fumus est, cuius natura, aqua tenuior aëre crassior, quantum humori debeat, sui resolutione facilè indicat. nam cæterorum vaporum ingenio in aquam, vnde erat, promptissimè reuertitur: quemadmodum quæ ex terra, aqua, mari vi solis attrahuntur exhalationes in pluuias, rores, pruinas, aliáque id genus mutantur.

Alterum nunc argumentum supereſt cuius specie incauti capti sunt. *per fumum hunc in cerebri sinus subuectum pituitam resolui, & aquosa stomachi excrementa educi; & (quod hinc sequitur) abditos distillationum fontes, vnde plurimæ in corpus humanum decurrunt ægritudines, siccari; siue hoc caloris virtuti siue nobili occultíque nominis qualitati tribuendum sit. hæc ita vera esse non aliunde magis disces, quam oculorum experientia, quum statim ab hausto fumo præcipitatos ex ore videris pituitæ riuos.*

Verùm huius sophismatis vanitas vel ex illo ipso, quem modo attigi, meteororum adscensu descensúque patescit. namque vapores è locis humidis in medium aëris orbem calore Solis sublati primùm loci frigore concrescunt in nubes, deinde in terras, vnde erant leuati, humoris pondere

pondere referuntur. ita putidiſſimi fumi volubilitas in cerebri cauitates, vt in carcerem, elati, natiuo ventriculorum frigore humoreque condenſatur in liquidum virus, quod natura, fæditate peſtis attonita, per palati canales ſtatim eiectat. ita te expedis humoris moleſtia, ſed quo ſtultè te ipſe grauaueras. quod perinde eſt ac ſi aduerſus dolores colicos alimenta flatuoſa commendares, quæ flatus non diſſipant ſed generant: aut ſedandis paſſionibus nephriticis vterere cibis viſcidis, & calculoſis; & cum multâ in lotio arenam ſubſidere animaduerteres, non illam materiæ morbi deciſam, ſed è cibis natam; in eiuſmodi cibis vnicum aduerſus calculum præſidium ſtatueres.

Vidimus geminum rationis fucum, nunc totidem experientiæ impoſturas detegamus. *Nunquam* (aiunt) *tanta conſtantia Tobacci vſum celebraſſet populus, niſi vtentibus ipſe ſucceſſus probaſſet humanæ vitæ nihil eſſe hac herba ſalutarius.*

Verùm ſi hac ratione vti liceat, nihil apud vllam gentem tam delirum aut infame reperietur, cui non erit paratiſſima defenſio. quàm ſint mortalium animi ad nouitatis ſtudium procliues, me tacente, ſatis conſtat, nec apud nos ignota res eſt. Si quis tranſmarinam veſtis formam huc apportet, hominem illum nauci & nihili eſſe neceſſe eſt, qui non è veſtigio imitabitur. hoc modo vnius ſtultitia propagatur in omnes: nec commodo aut honeſto, ſed nouitate ſola ducimur. Sic dominatur vnicuique cæcus ſui amor, ex ſecreto alienæ vanitatis contagio. nec æqualibus noſtris pares videmur, niſi omnia eorum deliria æmulemur, quaſi tum demum magnarum rerum capaces, quùm nullum ineptiarum genus fuerit ſupra noſtram imitationem: quùm aliorum ſimij etiam cum noſtra pernicie facti ſumus. Si vnus vel alter è præcipuis Academiarum noſtrarum Mathematicis mira ſibi diceret in ſuperis regionibus viſa phænomena; magis mirum foret, ſi non plerósque è diſcipulis rerum nunquam viſarum reperiret oculatos teſtes. tam difficile eſt ingenij vel oculorum acumine cuiquam cedere. Quod igitur in pleriſque alijs fieri amat, quidni in ridenda Tobacci conſuetudine idem accidiſſe putandum eſt, non iudicij conſtantiâ, ſed imitationis pertinaciâ apud Britannos inualuiſſe?

Reſtat adhuc vltimum adulterinæ experientiæ præſidium, quod priori impoſturæ pro fulcro ſupponere tentarunt: *nempe huius ſuffumigij ſalubritate pleriſque hominibus varias ægritudines fuiſſe leuatas: at neminem vnquam inuentum, cui ex illius vſu noxa creata ſit.*

Quo in argumento cum errore inſignis coniuncta eſt abſurditas. error eſt non cauſam ſumere pro cauſa vt loquuntur Logici,; & quòd fortè fortuna in vigore morbi quiſpiam hauſto Tobacco melius habuerit ſenſimque conualuerit, ſanitatem Tobacco acceptam ferre. potius ille ægritudinis ſuæ periodos neſciebat, quæ cum ad vigorem acceſſit

aut

aut ægrotantem extinguit, aut ad ſanitatem inclinat. hæc ſunt nempe olidiſſimi fumi miracula. Taceo rem auctoribus naturę compertiſſimâ viribus imaginationis, ſpirituum vnione fulcientis naturam, non raro morbos deleri. hinc in odontalgia & doloribus colicis Æſculapios quotidie habemus nouos, calloſos agricolas, anus deliras, ſimplices ancillas. hi ſacram, ſcilicet, exhibent ægris antidotum, ſuiſque aut amicorum periculis notam: admittit credulitas: ſanat fiducia. Vides vt illis proſit ignoratio veri. ſic non cauſâ decepti ſuam Tobacco imputarunt ſanitatem, qui naturæ vi è morbo eluctati ſunt. At ſi quis huius fumi malignitate exſpirauerit (quod adeo infrequens non eſt) tartareæ herbæ mors non adſcribitur. piaculum eſt ſalutarem illam panaceam infamare. alia igitur ægritudine extinctus eſt. Quocirca furui huius nidoris patronos exoletis ſcortis non abſimiles iudices, quibus impura multorum conſuetudo ad purgandos renes laudatiſſima habetur: at quot in ætatis flore venerea lue contabuerint, ad animum haudquaquam reuocant. & Tricongij noſtri intemperantiâ anniſque debiles poculis ſibi æſtimant prorogari vitam, immemores prorſus, quàm multi ante diem inter popinæ procellas vitæ fecerint naufragium.

Hactenus errorem, nunc abſurditatem argumenti protrahamus in lucem: *bircoſo*, videlicet, *ſuffitu hoc multiplices, imò contrarios humani corporis morbos perſanatos.* quis credat tantas ineſſe fætori vires, quæ medicos quoque ipſos indubitata Phyſices principia dedoceant? ijs ſemper perſuaſum fuit, nullum eſſe medicamenti genus omnibus ſimul corporis partibus amicum: nec iniuria; nam ſi (vt ante innuimus) tanta eſt in ſingulis temperamenti varietas; quod calidis aut humidis prodeſſe intelligitur, id frigidis aut ſiccis obeſſe neceſſe eſt. & vt in vrbium obſidionibus per eam mœnium partem tentatur irruptio, quam cæteris debiliorem hoſtis iudicauit: ſic quatiuntur morborum inſultibus non omnia, ſed maximè oportuna corporis noſtri membra, & in ægritudinem procliuia, dolore interea per ſympathiam in cuncta ſerpente, qui per idiopathiam vni erat affixus. hic ad medici prudentiam ſpectat, ijs ſolum vti pharmacis, quæ morbo partique affectæ maximè conuenire ratio & experientia perſuaſere, quæ ſi alieno aut membro aut morbo accommodaret, tantum noxę daret abuſu quantum legitimo vſu adferret leuamenti. Quid quod circumſpecta medici curioſitas ad circumſtantias quoque deſcendit, rationem climatis, anni tempus, ægri naturam, ætatem, victum, robur, conſuetudinem, non neglectis Planetarum adſpectibus, & Lunæ motu? pro quarum rerum varietate diuerſa pharmacia inſtituenda; ea, nempe, quam præſens circumſtantiarum concurſus poſcit. At in melioris notæ Tobacco nihil ſimile: *omni tempore loco & morbo præſentiſſima eſt panacea. In capite & ſtomacho* (ſi Dijs viſum eſt) *exſiccat diſtillationum alueos*: (ecce, aduerſus catarrhos omnes

cæleſte

cæleſte protherapeuticon) at ſi verum amamus, cerebrum marceſcit hoc veneno, & ventriculus ex præcoce concoctione cruditatibus grauatur. præterea *podagram belliſsimè fugat & ſimul ac in antra cerebri tortuoſa emicuit nebula, vis eius* (mirabile dictu) *entheo ſalubritatis pondère in extimos pedum digitos decumbit.* audi cætera. *febres mitigat, orexin ciet, laſſitudinem minuit, ebrietatem adimit, ſomnum conciliat, ſomnolentiam excutit, intellectum acuit.* & fortè ſcabioſos Americæ nebulones lue Venerea exoneret: defæcatior eſt eius in Britannia virtus, nec niſi generoſiorum morborum inſeruiens proſapiæ. Quod ſi vt olim putore Tobiani piſcis, ſic Tobacci nidore (nam nihilo mitius olet) Diabolus poſſet in fugam conijci, nihil Puritanis, nihil Papiſtis miraculorum mangonibus ad exorciſmos natura rerum creaſſet valentius.

Fingamus tamen quibuſdam morbis curandis non incommodè viroſum hunc ſuffitum adhiberi, an tamen citra temporum & perſonarum diſcrimina omnibus conueniet? an iuuenibus optimè conſtitutis & validis comperietur ſaluber? medicinæ operatio non eſt ſine mutatione vtentis. bene habentem transfert à ſanitate, valetudinarium à morbo. eſt tempeſtiuè adhibita naturæ laborantis ſubſidium, temere aut paſſim frequentata valetudinis robur etiam athleticum debilitat. Sed quid ego de medicamentis loquor? ſi quis alimentorum optima ſic depeſſet, vt noſtrorum plerique Tobaccum, id eſt, inconſultò & paſſim ingereret; is & ventriculum labefaceret, & cerebrum grauaret, obfuſcatiſque ſpiritibus tandem gulæ mercedem lethargum inueniret. Hac debilitatis accerſita ignominia multi apud nos abſque hoc fædo halitu vitam acerbam ducunt. intermittere tantiſper nequeunt, quod perpetua illis in naturam vertit aſſuetudo. tam difficile eſt ab adulta ſtultitiæ voluptate feriari. Sic qui in popinis conſenuerunt breuem ſobrietatis vſuram ſine valetudinis periculo non ſuſtinent. adeo illis inimica eſt virtus, quibus ſola vitia nota ſunt. & quid mirum eſt veneno nutritis ciborum ſalubria eſſe pro venenis?

Satis opinor hircoſi folij patrocinium ſubruimus, nunc cum quanta nequitia & dedecore Tobaccomania hæc coniuncta ſit, expendemus.

Agmen ducat in hac inſaniæ acie libido indomita. cuius reatus non ad vnum tactus ſenſum pertinet, ad omnes diffunditur. Veſtra in conuictu vrbanitas, in lupanari ſalacitas Tobacco vt cote acuitur. eius deſiderio languetis, vt populus Iſraeliticus Ægyptiarum coturnicum. Præterea vt ebrietas eſt radix omnium ſcelerum, ita ebrietatis ramus eſt inexplebilis hæc Tobacci ſitis. vide, ſodes, vtriuſque neceſſitudinem. Nobiles helluones, ſupráque vulgus potatorum famæ alis euecti, dulce illud & lene aſpernantur vinum. ſpirituoſum & acre ſequuntur, quod cerebrum ſuæ præſentiæ ſtatim commonefaciat, & inuiſæ

Digitized by Google

sobrietatis torporem feriat. Tobaccophili nostri nihil magis in fumo affectant, quàm nidoris acrimoniam, quæ intimas narium cauernas quàm celerrimè peruadat, & cerebrum morsu non translatitio peruellat. Et vt in primo popinæ tyrocinio vix quisquam prorsus se mancipat gulæ (nemo repente fuit turpissimus) sed pedetentim cedit intemperantiæ illecebris: tum verò beluinæ emeritus militiæ maiore cura sobrietatem suam submergit, quàm vir sobrius sitim restinguit: ita primùm inter putorem folij, pudorémque insueti moris hærere solent, mox tanta peruicacia inhærent, vt citius a rebus charissimis, quàm ab hac mephiti se patiantur auelli. & hunc vecordiæ morbum in magicam sanè illius herbæ potentiam conferunt.

Accessit tertium hinc & maximum flagitium; in Regem & patriam (quorum saluti & dignitati fortunas, & si res poscat, vitam pro victima debetis) insignita nimis iniuria. enerualtis enim spontanea hac putredine vigorem animi; & robur corporis quondam athleticum emasculastis: nec Iudaici iam iter Sabbathi absque his delicijs duratis. emori vultis, ni puer è deuio tugurio prunam ferat Tobacco accendendo. hęc vna est ex lassitudine deliquij vestri curatio: quemadmodum fœminis hystericis vita fertur redire admoto naribus oleto. Ineptus habeatur miles algoris, vigilię, inedię, impatiens: at quid de his in bello fiat qui Tobacci desiderium ferre non valent? O rudes maiores nostros, quibus absque hoc fumo vita transacta est! illi terra marique res maximas gesserunt, debellarunt hostes, erexerunt trophæa: sed caput beatitudinis Tobaccum ignorarunt. nec ex fictili tubo tanquam mamillâ fumum sugere impoliti didicerunt. ea heroici sæculi vnica fuit labes. Quid si nunc in hosticum facta excursione nonnulli è Tobaccotrophis nostris fumi studio deflectentes ab agmine interciperentur? quis eorum interitu ingemisceret? quis non risu potius indignum viris infortunium exciperet? Periculosa est huic populo, si cuiquam, consuetudo quæ dediscì nequit. Meminerimus Persarum Romanórúmque imperia non alio magis quam luxuriæ voluptatumque vitio interijsse. Apud Americanos quoque ipsos vix emptorem inueniet seruus qui se Tobacco mancipauit. adeò ipsis auctoribus inuisa est hæc mollities.

Quantopere autem patrimonia vestra, Generosi iuuenes, hoc fumo dissipentur, testes erunt è vobis omni exceptione maiores, qui in expensi codicem quotannis referre solent Tobacci pretium, argenti vncias mille & sexcentas. Quanto satius esset pecuniam non habere, quàm in hos vsus insumere? Meminit historia hominis nequissimi Alexandro Seuero familiaris, qui gratia Principis abutens multos nummis emungebat, se pro illis apud Cæsarem intercedere & postulata impetrare mentitus. itaque viridium lignorum fumo suffocatus est, Præcone dicente, *fumo pereat qui fumum vendidit*. integra vix sylua sufficeret

Digitized by Google

sufficeret Britanniæ fumiuendulis suffocandis.

At verò (vt de praui moris vecordia vltimo loco dicamus) quid in mensâ, illâ munditiæ modestiæque arâ, magis indecorum, quàm mucosos illos tubos circumferre, in conuiuantium ora ingratissimum fumum reiectare, cuius fætor aërem inficiat, cibos inquinet, stomachos auersantium euertat? fumus culinæ, quam triclinio aptior: nisi & hic fumus vnctuosa pinguique fuligine culinam in vobis satis graphicè sibi depingat. nigram ex concretis sordibus crustam non semel in mortuis repertam anatomici testantur. Quod si de morum elegantia Diepenses fæminæ cum hisce fumiuoris ad Iudicem venirent, litem proculdubio auferrent. Adeo inualuit hęc stultitia, vt viri cordati, ne singulares videantur, simul nunc insanire, & inuisum morem vnà frequentare necesse habeant. quemadmodum duo illi Philosophi pluuiâ cum populo madescere cogebantur. vel vt ille allium inuitus arrosit, qui in alieno halitu odorem eius ferre nequibat. Quin eò deuentum est, vt vix hospitem sine Tobacco dapsilè putemus exceptum. Sine Tobacco nec medicinâ vlla valida est, nec sodalitium suaue. Quisquis in dicace iuuenum grege fuliginosam à se amouet fistulam, quam fortè latrina peius oderit, homo illepidus, & ne teruncio quidem æstimetur; prorsus vt est in gentibus septentrionalibus illaudatus ille pitissandi mos. humanitas Dominæ erga ministrum certissimo probatur indicio, si fumantem de manu fistulam misero porrexerit. Illa autem non vanitas dicenda sed diuinæ bonitatis contemptus, suauitatem anhelitus, quæ nulla arte acquiri potest noua, vel perdita restitui, hoc fætore scienter corrumpere. quæ herbæ expertissima malignitas falsam de illa salubritatis opinionem sic refutat, acsi quis diceret, virus putredinis cum virtute alexiteria coniunctum. Sed tolerabilior foret, si penes mares solos mansisset insania. nunc & vxoribus necessitas incumbit deprauandi anhelitus, vt olentes maritos similitudine fætoris sustineant: ni faciant, perpetuum illud maritalis sentinæ tormentum est sustinendum.

Tandem igitur, ô Ciues, si quis pudor, rem insanam abijcite, ortam ex ignominia, receptam errore, frequentatam stultitiâ: vnde & ira Numinis accenditur, corporis sanitas atteritur, res familiaris arroditur, dignitas gentis senescit domi, vilescit foris: rem visu turpem, olfactu insuauem, cerebro noxiam, pulmonibus damnosam: & si dicere liceat atri fumi nebulis tartareos vapores proximè repræsentantem.

Digitized by Google

CONIVRATIO SVLPHVREA,

QVIBVS EA RATIONIBVS ET AVTHORIBVS

cœperit, maturuerit, apparuerit, vnâ *cum reorum examine*,

SCRIPTA A REGE, SED NOMINE SVPPRESSO.

[***]



Digitized by Google

CONIVRATIO
SVLPHVREA.

Est, cum nemini liceat silere. concors enim gentium vox fuit, & in omni Rep. siue ea meridiano diuini verbi, siue dubio humanæ rationis lumine administrata fuerit, concors planè opinio; si religio in periculum veniret, si rex, si patria, nemini linguam continendam vel manum: sed pro munere & facultate dandam vnicuique operam, vt iniuriam auertat, vim repellat, & improbitatem in auctores vindicet. Si cui vnquam populo, certè huic id iam vsu venit, ne dicam toti Britanniæ, adeóque illustrissimæ huic, quanta quanta ea est, Monarchiæ. In Ethnicis Rebuspublicis si glorioſissimè & beatissimè censebantur mori, qui vel aris vel focis vel patri patriæ vitam impenderant; si singulis hisce periclitantibus vniuersi velut ad commune restinguendum incendium iunctis animis opibúsque conuolabant, quanto magis nos verè Christianos id deceat, huius insulæ verè fortunatæ fælices incolas, duce benignissimo nostro & pijssimo Principe? quanto, inquam, nobis grauior causa est, vt illius vulneris sensum acerbitatemque renouemus, quod non modò in Sanctissimæ nostræ religionis iugulum intentabatur, aut in regis patris patriæ internecionem; sed omnium: nempe, vt nefarium istud & sacrilegum parricidium omnibus modis absolutum fieret, tanquam feritatis quædam idea, & crimen sine exemplo, aut verius omnium scelerũ promptuarium. Vno eodemque interitu corpus cum capite parabant inuoluere; gregem cum Rege; aras cum focis, Lares cum Penatibus; omnia vno fulminis ictu cælis immittere; Regem caput reipublicæ, Reginam fertilem matrem, succrescentem non tam eorum, quam nostram progeniem, clerum venerandum, nobilitatem honorandam, fi-

Insula fortunata.

dissimos

diſſimos regni conſiliarios, grauiſſimos iudices, equitum ſplendidiſſimos, virorum generoſiſſimos, ciuium prudentiſſimos, ſcribas Regis, Conſilij, Sigilli, aliorumque iudiciorum inſignium, omnes denique noſtros iuriſperitos cum plebe innumera. Nec homines ſolos, vel animalia deſtinauerat hic furor ad interitum, abſque ordinum, ætatum ſexuumque diſcrimine: ipſa quoque ligna & lapides tantam rabiem non vitaſſent. Curia iuſtitiæ ſacra, & ampliſſimorum ordinum conuentui dicata domus, templum in quo reges noſtri coronantur, monumenta priorum Principum, corona quoque cum cæteris regiæ dignitatis inſignibus, publica regni archiua, priuatorum hominum inſtrumenta, omnia redigenda erant in hoc nefandum chaos. Terrâ quaſi dehiſcente è Tartaro erupturus erat ſubitus & ſulphureus ſpiritus, flamma voraci, fulmine terribili, nouiſſimum hunc inferni diem dicto citius allaturus non modò hominibus viuis, Regi nimirum & populo; ſed defunctorum monumentis in ventura ſæcula erectis. Itaque non nobis modò pereundum erat morti natis, ſed antiquiſſimorum Principum procerúmque libitinis perennitati conſecratis: Trophea, inquam, illa auctorum ſuorum gloriam æternùm teſtantia, quæ de temporis inuidia tam diu triumphauerant, nunc ſine temporis iniuria diſiecta, diſsipata, abolita fuiſſent, erasâ non noſtrâ modò, ſed noſtrorum omnium è terris memoriâ. Tanti ſceleris deteſtatio me ad cogitandum impulit, quomodo in cauſa tam publica meo officio optimè defungerer; vt ſi nihil aliud, vnum ſaltem lapidem ad ædificium, vel cum vidua vnum teruncium in gazophylacium conferrem. At cum inuiſæ & inauditæ machinationi nihil poſsit reperiri ſe ipſa infeſtius, ſi ſimplex rei geſtæ veritas publici iuris fiat: nec alijs rationibus certius illi confletur odium, quàm ſi pateat fuiſſe, qui prodigioſum facinus non excogitârint modò, ſed facere deſtinârint, ſed ad maturitatem perduxerint, & ita quidem vt intra duodecim horas exequerentur: Meus amor tergeminus in ea tria, quibus illi nos crudeliter orbaturi erant, mihi tandem hoc expreſsit officium; vt vniuerſum immanis tragœdiæ drama verè exponerem: cùm fortè & ſeruitij mei ratione, & perpetuâ in aula morâ mihi iſta quàm alijs ſint notiora, qui à tertio quartóue auctore acceperint. Ita eorum infamiam faciemus nos immortalem, qui omnibus Catilinis diriores noſtram memoriam voluerunt delere, diuinâ quoque miſericordiâ, qui nos noſtrumque Vnctum ſoſpitauit, perpetuis literarum monumentis conſeruata. Idem Deus faxit, vt marmoreis grati animi tabellis perpetuùm maneat inſculpta.

DVM

Digitized by Google

Dei scientiam, & eius decreta, & voluntatem, & potentiam, & omnipotentiam, & omnia huiusmodi, quæ ad Deum pertinent, & ad Deum referuntur, & ad Deum sunt, & ad Deum tendunt, & ad Deum ordinantur, & ad Deum dirigunt, & ad Deum habent respectum, & ad Deum habent relationem, & ad Deum habent habitudinem, & ad Deum habent proportionem, & ad Deum habent comparationem, & ad Deum habent aliquam aliam proprietatem quæ ad Deum pertinet

quæ res Præfectum Cubiculi regij præter cæteros iure ſollicitum habebat; ad cuius officium ſpectabat non modò regios Lares, ſed cætera quæ Rex ſuâ præſentiâ dignatur loca inſpicere. Statuerunt igitur tres alios de Sanctiore conſilio facere participes ſecreti, Thalaſſiarcham, Vigorniæque & Northampiæ Comites. Illi communi opera expenſis literarum verbis, quanquam primo adſpectu res leuis videbatur, pro ſua tamen in Regem ſollicitudine non omnino ſpernendam iudicabant: quin verò, priuſquam quicquam vlterius inquirerent, cum ipſo Rege communicandam; tum quòd illius in ænigmatibus & ambiguis interpretandis fælix ſagaxque ingenium ſæpe ante compertum haberent, tum quia ſceleri, ſi quod eſſet, maturando tempus aliquod indultum volebant, quò & detectio fieret illuſtrior & actio in auctores iuſtior & facilior. Comes Salisburienſis ex cæterorum decreto Regem in porticu à meridie ſpatiantem adijt, poſtridie quàm reuerſus eſſet, qui dies erat Veneris omnibus Animabus ſacer. ibi remotis arbitris literas eas exhibuit nullâ quidem ſuâ additâ earum cenſurâ, ſed nudâ rei geſtæ narratione, quarum hic erat tenor.

Demum ipſi Regi.

MI Domine, fecit amor quo tuorum nonnullos proſequor, vt de tua incolumitate ſollicitus ſim. Conſulo igitur, ſi vitam amas, comminiſcaris aliquid quo te hiſce Comitijs ſubtrahas. Etenim ad huius ſæculi improbitatem caſtigandam Deus & homo conſpirârunt. nec parui pende monitionem hanc, ſed rus ſecede, vbi rei euentum expectes ſecurus. quanquam enim nulla vllius motus ſuſpicio ſit, terribilem tamen ictum (prædico fore) hiſce comitijs ferent, nec quis eos læſerit, aduertent. Conſilium ne ſperne, quod tibi prodeſſe poteſt, obeſſe verò non poteſt. præterierit enim periculum tam citò, quàm tu hanc epiſtolam combuſſeris, qua vt bene vtaris diuina fauxit benignitas, cuius ſacræ tutelæ te commendo.

Regis de literis Iudicium.

Rex lectis literis, & pauxilla interiecta mora relectis, prorſus cenſuit non eſſe eas de nihilo, ipsâ phraſi aliquid acutius & neruoſius præ ſe ferente, quàm in famoſis libellis, laſciuientium nugamentis, fieri ſoleret. Comes Salisburienſis cum Regem, cuius ingenium non ignorabat, altiore cogitatione defixum animaduerteret, ſubdidit ex vna earum periodo ſibi videri auctorem vel ſtultitia vel inſania laborare: & ea verba legens (*præterierit enim periculum tam citò, quàm tu literas combuſſeris*)

Digitized by Google

Regio, inq. regione Pedemontana, & Comitatu Nicien. ac Sabaudiæ, & tota parte citra Padum existente, & in Ducatu Mediolani, & Comitatu Papiæ, ac in omnibus terris, quæ ultra Padum existunt, & in Ducatu Venetiarum, & Marchia Tarvisina, & Patriarchatu Aquileiæ, & Comitatu Goritiæ, & in Istria, & in Ducatu Austriæ, & Stiriæ, & in Carinthia, & Carniola, & in Ducatu Bavariæ, & in Comitatu Tyrolis, & in Ducatu Spoletano, & Marchia Anconitana, & Comitatu Romandiolæ, & in Ducatu Romano, & Tuscia, & Patrimonio Beati Petri, & in Ducatu Beneventano, & Principatu Capuano, & Terra Laboris, & Comitatu Marsorum, & Principatu Ultra, & Citra, & in Apulia, & Calabria, & in Insula Siciliæ, & in Insula Sardiniæ, & in Insula Corsicæ, & in Insula Majoricarum, & in Insula Hispaniæ, & in Insula Britanniæ, & in Insula Cretæ, & in Insula Cypri, & in Insula Rhodi, & in Insula Candiæ, & in Insula Euboeæ, & in Insula Lesbi, & in Insula Chii, & in Insula Mitylenes, & in Insula Lemni, & in Insula Thasi, & in Insula Samothraciæ, & in Insula Tenedi, & in Insula Lemni, & in Insula Thasi, & in Insula Samothraciæ, & in Insula Tenedi, & in Insula Lesbi, & in Insula Chii, & in Insula Mitylenes

ſet, reſpondit ille Thomam Percium & illas conduxiſſe & partem fornicis ſub illis; & ad eum pertinere ligna illa & carbones foſſiles, quos vidiſſet. hîc præfectus Cubiculi, coniectis oculis in latus, quendam vidit ſtantem in angulo, qui ſe Percij miniſtrum cuſtodémque ædium dicebat: at erat ille Guido Fauxius, cuius immani dextra conſummandus erat vltimus illius Tragædię actus.

Fauxius ſimulatus Percij famulus.

Cubiculi præfectus ſingulis non perfunctorie (vt videri volebat) ſed diligentiſſimè obſeruatis (vt eius prudentiam & induſtriam decuit) ſe in cryptoporticum contulit ad Regem, cui præſente Quæſtore cum Thalaſſiarcha, & Comitibus Vigorniæ Northampiæ & Saliſburię, quę vidiſſet notaſſétque omnia retulit, ſubiungens Baronis Montaquilæ iudicium, qui vt primum ædes audierat à Percio conductas, homine in praua religione tam peruerſo, omnia habuerit ſuſpecta; reuocatáque magnæ quondam inter eos amicitiæ memoriâ literas illas ab eodem Percio fuiſſe coniecerit. Addidit quoque mirari ſe, quorſum tantus lignorum carbonumque foſſilium apparatus; in illis præſertim ædibus, quas rariſſimè Percius incoleret: truculentum præterea ſibi viſum & efferum ſerui adſpectum.

Referuntur omnia Regi.

Rex, aucta iam priore ſuſpicione, iuſſit ædes eas penitiſſimè veſtigari, lignis & carbonibus ad imum excuſſis; quæ veriſimile foret eò congeſta, ad pulueremPyrium tegendum. In eadem mente erant qui aderant a conſilijs, ſed de modo ſcrutinij diſceptabant. hinc enim de regia incolumitate ita erant ſolliciti, vt nullam præcautionem iudicarent nimiam: inde verò ægerrimè ad id genus inducebantur. nam ſi inane eſſet literarum terriculum, & ab homine aliquo otioſo profectum, non modò id Regi & Reipublicæ turpe foret, nempe ex minimis aut potiùs nullis occaſiunculis pauere: verùm etiam Comitem Northumbriæ virum præcipuum è Subditis & Conſiliarijs regijs inhoneſta tangeret ſuſpicione; cuius conſanguineus & intimus amicus ſit hic Percius. Qua in re eò magis anxij erant; quòd ſcirent nihil eſſe à Rege magis alienum, quàm vt videretur fidem boni ciuis etiam infimi loci in ſuſpicionem vocare. At Rex conſtanter vrgens multa eſſe nimium ſimilia veris, & ex ſcrutinio quantumuis accurato nihil vlli innoxio damni creari; cenſuit tandem, aut veſtigandas omnes domûs partes, nequid omnino latere poſſet diſcriminis, aut omnia miſſa facienda: vt fortunæ ſucceſſum commendantes ordinum conuentui poſtridie intereſſent; quod eos ſalua conſcientia facere non poſſe arbitrabatur. Nam in eiuſmodi negotio præſtat nihil facere quàm dimidium. Itaque decretum eſt omnes earum ædium rimas, & angulos eſſe ſcrutandos; &, ne nullâ re repertâ oriantur in populo rumores, ſcrutinium illud faciendum per cauſam recuperandæ ſupellectilis regiæ, & tapetum, quos Chinardus ex Eſthetophylacio diceret ablatos. Huic negotio aptiſſimus

Diſceptatio de Scrutinij modo.

Scrutinij prætextus inuentus.

mus iudicatus est Thomas Cneuetus Eques splendidus, & interioris cubiculi regius minister, vt qui Westmonasterienſis Irenarchus tunc esset, homo notæ in Reginam Elizabetham præsentémque Regem fidei. Ille pro auctoritate ad domum comitialem nocte intempesta se contulit, exiguo stipatus numero, sed pro negotio satis. Antequam ædes ipsas ingressus esset, pro foribus offendit Percij ministrum vestibus & ocreis ipso noctis conticinio indutum: iussit hominem apprehendi, quod statim factum est: ædes deinde ingressus scrutari cœpit: continuò, fascium & carbonum fossilium parte aliqua subuersa, apparuit primò vnus pyrij pulueris cadus, deinde alij triginta sex maiores minoresque. hinc captum scrutatus tres inuenit igniarios funiculos, aliáque incendij instrumenta paratissima. Sine mora expressa est homini cõfessio sceleris, qui & hoc addidit, Si in ipsis ædibus paulò antè deprehensus fuisset in opere (tum nempe cùm vltimam machinæ manum imponeret) se eum cum ædibus difflaturum fuisse.

Fauxius nocte intempesta prehensus pro foribus.

Cneuetus arctè ligato nebulone, & ijs qui aderant in custodiam tradito, in palatium regressus est: Præfectumque cubiculi & Comitem Salisburiensem de successu certiores fecit, quorum monitu cæteri quoque Consiliarij in Palatio pernoctantes, vt primum accingi poterant, in cubiculum Regis conuenerunt, horâ circiter quartâ matutinâ. Vix introgressus est Præfectus, cùm impatiens lætitiæ ex tanto anticipato discrimine edixit Regi, abrupta quadam festinatione, inuenta esse & detecta omnia; & proditorem ipsum in manibus & manicis esse.

Concilium conuocatur.

Postquâ visum esset reliquos à Sanctioribus cõsilijs ex vrbe accersere, inductus est captiuus. propter ipsam rei nouitatem nemini interdictus est illius adspectus vel etiam colloquium. Paulò post à Consiliarijs examinatus est. sed tanta cũ constantiâ & propositi sui pertinaciâ respondit, vt nobis visi fuerimus alterum hîc in Anglia Mutium Scæuolam inuenisse. eâ ille videbatur fiduciâ planè antiquâ & Romanâ. Nam neque sceleris aut immanitate, aut conscientia, nec grauissimi concilij audientiâ, nec quæstionum numero vel assiduitate confusus deiecit vultum: sed potiùs renidens, vltro ludificari: nec negare factum, verùm cum Scæuola dolere frustra susceptum: postremò Deum non detexisse sed Diabolum. ad omnia respondere expeditè, & si quid alienum aut ineptum quæreretur, subsannare; ijsque illudere, quibus nullam esse credebat examinandi potestatem. Toto illo die nihil potuerunt ex eo de Socijs rescisscere, cum ad ea non responderet, quibus coniurationis modus petebatur, quam ille in se totam suscipiebat: eò verò solius religionis & conscientiæ causâ se esse adactum: Regem non agnoscere se Dominum suum aut Dei vnctũ vt qui esset hæreticus, nec se alium esse quàm Iohannem Ionsonium Thomæ Percij ministrum. Verùm sequente mane in turrim Londinensem abducitur; & vix triduum

Digitized by Google

duum elapsum est, cum bis terue repetito examine, & oblato tantùm equulei terriculo, larua Romanæ constantiæ homini de facie sensim delabi & tandem decidere visa est. Tum primum aliquam veritatis partem fassus est, deinde verò totam perfidiæ scenam aperuit, vt ex subiuncta illius confessione apparet.

CONFESSIO GVIDONIS FAVXII CORAM IIS CONSILIARIIS, QVORVM NOMINA SVBSCRIPTA SVNT.

Confiteor de coniuratione aduersus Regem & Rempublicam mecum actum fuisse, & id Catholicæ religionis causâ; cuius coniurationis ipse auctor non fui. Ante annum ferè circa Pascha in Belgica Archiducis ditione mecum egit Thomas Winterus, qui ad eam rem vnà mecum in Angliam venit, & conscios assumpsimus tres alios, generoso loco natos, Robertum Catesbeium, Thomam Percium, & Iohannem Wrightum. Qui cum in commune consulerent, quibus potissimum rationibus exequerentur facinus; Catesbeius præstito antè & exacto taciturnitatis iureiurando, censuit puluere pyrio optimè id posse fieri, actis subter domum comitialem, quam Superiorē vocant, cuniculis. quem locum ideò præ cæteris elegimus, quia vbi Catholica religio iniquè suppressa fuit, ibi æquissimum esset vindictam suppressæ exigere.

Quod cùm inter nos conuenisset, ædes ad eam rem conduxit Percius, domui comitiali proximas ad Westmonasterium: ibi

cæpimus

cæpimus cuniculos agere circa vndecimum Decembris Anno 1604.

Primi quinque in opus ipſum deſcendimus Thomas Percius, Robertus Catesbeius, Thomas Winter, Iohannes Wrightus, & ego. nec multò poſt alium aſſumpſimus, Chriſtophorum Wrightum, obſtrictum iuramento taciturnitatis, cuius ſigillum erat corporis Dominici ſacramentum.

Cum deuentum eſſet ad ima domus fundamenta duodecim circiter pedes craſſa, & magni laboris opus videretur; alium aſſumpſimus virum generoſum, Robertum Winterum, eodem iuramento & Sacramento obſtrictum.

Circa natalem Domini cuniculos ad Domus Comitialis parietem perduximus: circa feſtum purificationis dimidium eius perfodimus. ijs operantibus ſtabam ego foris, vt ſi quis prope accederet, monerem. illi ceſſabant vſque dum ego ſignum darem redeundi ad opus.

Pernoctabamus omnes ſeptem in illis ædibus tormentis, globis, puluere pyrio ſatis inſtructi; certi potiùs mori, quàm cedere aut capi.

Dum parietem illi perfoderent, auditus eſt ex hypogeo carbonum foſſilium fragor. nos metuere, ne res facta eſſet palam. Ego in hypogeum miſſus ſum; & cùm carbones diſtrahi, & hypogeum ipſum facilè conduci poſſe retuliſſem; Percius, animaduerſa oportunitate, hypogeum annuo pretio conduxit.

Antehac in ædes intuleramus viginti cados tormentarij pulueris; quos in hypogeum tum tranſtulimus, & lignis & carbonibus ad id comparatis eos teximus.

Circa paſcha, cum in Octobrem dilata eſſent Comitia, alius alio ſe contulit; ego cæterorum conſilio in Belgicam me recepi, & vt Oueno coniurationis modum exponerem; & me ſuſpicionis, fortè etiam inquiſitionis periculo ſubducerem.

Percius interea cùm clauem hypogei penes ſe haberet, plus eò intulit pulueris & lignorum. ego ineunte Septembri reuer-

ſus ſum; & recepta claue auxi quoque modum nitrati pulueris, & lignorum, quibus eum contegerem: quo perfecto rus ſeceſſi vſque ad trigeſimum Octobris.

Conuenit porrò inter nos, vt quo die facinus hoc fieret, alij è noſtris complicibus caperent Elizabetham, natu maximam Regis filiam, tum apud Haringtoniæ Baronem in Vicecomitatu Varuicenſi; eámque Reginam publicarent, edicto ad id ante parato: in quo de religione mutanda nulla erat mentio; nec nos facinoris auctores volebamus haberi, donec partes idoneis auxilijs eſſent firmatæ: tum verò animus erat vtrumque fateri.

De capiendo Carolo filiorum Regis natu minore multum deliberauimus. Verùm cùm nulla appareret rei eius expediendæ ratio, & prope à Londinio aſſeruaretur, vbi nobis idoneæ vires non ſuppetebant; conſtituimus per Dominam Elizabetham, quantum pote erat, rebus noſtris proſpicere.

CÆTERI CONIVRATIONIS PRINCIPES, QVI HVIVS horrendi facinoris conſcij facti ſunt.

Euerardus Digbius Eques. *Ambroſius Rookwod.* *Franciſcus Treſham.* *Iohannes Grantus.* *Robertus Keius.*

DOMINI DELEGATI Fauxio *huic examinando.*

Notingamiæ. Vigorniæ. Suffolciæ. Deuoniæ. Northampiæ. Saliſburiæ. Marriæ. & Dumbari. Comites.

Popamus Iudex. Edowardus Cocus. Gulielmus Wadus.

AT priuſquam hæc narratiuncula prelo aptari potuit, captus eſt Thomas Winterus; & in turrim Londinienſem deductus. cuius confeſſionem reipſa eandem, ſed circumſtantijs paulò largiorem, viſum eſt ſubiungere; vt res ipſa fiat notior, Lector abeat inſtructior.

CONFES-

Digitized by Google

CONFESSIO THOMAE WINTERI, CORAM REGIIS CONSILIARIIS, QVORVM NOMINA SVBSCRIPTA SVNT.

xxiij. Nouemb. 1605.

NOn quod ſperem veniam delicti, Honoratiſſimi Domini; nam maius illud eſt (ſi humano more res expendatur) quàm vt condonari poſſit: nec quòd boni ciuis opinionem hinc captem; nam eam ante conſequi non poſſem, quàm patriam meam tanto periculo liberarem, quantum illi modò conflauimus: ſed tantùm vt veſtro mandato obſequar, breuiter ipſe meæ accuſationis partes implebo, & quouſque in hoc negotio progreſſus ſim. quod eò maiore fide exequar, quòd conatus eiuſmodi Deo videam ingratos, & omnia aut pleraque facinoris capita iam confeſſa.

Anno Domini 1603. *Regis autem primo; manſi ruri cum meo fratre, à feſto Omnium Animarum ad principium Quadrageſimæ; quo tempore Catesbeius me acciuit Londinium; ſe enim cum alijs amicis libenter velle me conuentum. Rogaui, me excuſatum faceret; peius enim ſolito habere me. itaque, quod nunquam ante feci, nuncium remiſi ſolum. Breui alias accepi literas, vt ſi qua poſſem accederem. hac ſecunda monitione veni Londinium. at Catesbeium Lambethæ offendi cum Johanne Wrichto, vbi mecum ſermocinari cœpit, quàm neceſſe foret patriam tueri (nouerat enim me cogitare in Belgicam) eamq; a ſeruitute in qua eſſet expedire, aut ſanè quod in nobis eſſet auxilium conferre. Reſpondi leuioribus de cauſis me vitæ adiiſſe periculum, nec iam defore*

Catholicæ fidei, ſi qua naſceretur occaſio. Sed nihil mihi occurrere, quod polliceatur ſucceſſum. Dixit ſe excogitaſſe, quo nobis omnibus iugum vno momento excuteret, & Catholicam religionem ſine exterorum auxilijs reſeminaret: & ne te amplius (inquit) detinea, id tormentario puluere fiet; quo domum comitialem cum regni ordinibus diffiabimus. fortè enim illum locum deſignauit Deus ad pœnam, vnde nobis orta eſt calamitas. Ego mirari nouitatem inuenti: & fateri quidem iugulum rei ſic peti, & eiuſmodi tumultu latam aperiri feneſtram ad rerum mutationem. At ſi deſtitueretur ſucceſſu (vt in eiuſmodi rebus vſu venit) tanto infamari ſcandalo catholicam religionem, vt non ſolum ab inimicis noſtris, ſed ab amicis condemnari mereamur. morbus hic (inquit) acria poſcit remedia: & quæſiuit an vellem conſentire. Volo inquam: ſiue aliud quicquam habes, tecum paratus ſum vitam periclitari. obieci tamen multas remoras, domum deeſſe, & cuniculariam, ac periculum ſtrepitus in opere & ſimilia. Tentemus tamen (inquit) & vbi amplius non licet progredi, ceſſemus. quia tamen pace & modeſtiâ prius omnia decet experiri, tu mare tranſmittes, & Comitem Stabuli de ſtatu Catholicæ religionis in Anglia edocebis, orabiſque, cùm ad nos venerit apud regiam maieſtatem contendat, vt ſtatutis pœnalibus antiquatis nos in cæt rorum ciuium ordinem recipiamur. Cæterùm reuertens vnà tecum adduces fidentem aliquem virum, bonóque ortum loco, quem tu noſtro negotio cognoueris oportunum; & Fauxium mihi nominauit. Ego paucis poſt diebus traieci; & Comitem ſtabuli Bergæ prope à Dunkerka offendi: vbi, Oueno mediatore, mandata illi mea expoſui; reſpondit, diſtrictè ſibi à Domino ſuo iniunctum, vt Catholicos omni opera iuuaret; & ſe conſcientiæ ratione ad hoc obſtringi. Sed de hac re nihil prorſus cum eo egi.

Dunkerkam reuerſus cum Oueno ſermones contuli, an putaret

putaret Comitem Stabuli bona fide auxiliaturum nobis. Ego (inquit) nihil minus credo : nam isti homines sua quærunt, Catholicos parui faciunt. Dixi ego non deesse in Anglia generosos viros, qui pro patria extrema quæque tentaturi essent, malléntque vitam ipsam in discrimen adducere quàm miseram patriam sua ope destituere. Atque vt vno homine auctior fieret noster numerus, qui consilio & manu quicquid nobis iam visum esset iuuaret, Fauxium optaui, cuius laudes sæpe ante audiueram. respondit virum illum merere famam quam haberet, sed iam esse Bruxellis : & si fortè, inquit, ante tuum digressum huc non venerit, ego illum breui mittam in Angliam. Ffthinc Ostendam me contuli, vbi Gulielmum Stanlæum non offendi : venit tamen post biduum. Cum eo triduum aut quatriduum commoratus, inter cætera ex eo quæsiui, si Archiducem crederet auxiliaturum Catholicis in Anglia aliquid pro se ausuris ? Minimè gentium, ait : nam tanto pacis Anglicæ desiderio tenentur hæ prouinciæ, vt cuiusuis alterius rei ingrata sit mentio. neque sanè intereà dum de pace agitur deceret quicquam moliri. respondi nihil eiusmodi nobis esse in mente. atque ita ad alios sermones dilapsi sumus, vsque dum Fauxij mentio iniecta est, quem comitem in Angliam expetebam. De illius in re militari peritia percontatus sum, & subiunxi nobis opus fore eiusmodi homine, si posceret occasio. illo Fauxium prolixè laudauit. Dum hos cæderemus sermones, & ego accinctus ad iter Neuportum versus iam Stanlæo valedicturus eram, interuenit Fauxius, reuersus modò ; & nos salutauit. hic est (inquit Stanlæus) quem optabas : ita secundum dedimus amplexum. Dixi statim, desiderari illum in Anglia ab amicis melioris notæ ; & si subsequi vellet Dunkerkam, collocuturos nos vberius de meo itinere. Ego dicto ambobus vale digressus sum. Fnteriecto biduo venit Dunkerkam Fauxius : vbi illi indicaui, si nihil prodesset pax cum Hispano, certum nobis esse aliquid in Anglia

pro

pro nobis conari; sed quomodo, incertum adhuc esse. Eosdem fere sermones Graueline iterauimus, vbi ego idoneum ventum expectabam. quo spirante eodem nauigio Grenouicum ambo appulimus: exscendentes in scapham deuenimus Londinium ad Catesbeium, quem tum domi offendimus gratulari ille nostrum in Angliam aduentum: & quæ noua à Comite Stabuli percontari; Verba inquam sat bona; sed vereri me, vt facta respondeant. Incipiebat conuentus iuridicus Paschalis; quo adulto ad nos venit Thomas Percius, siue à Catesbeio accitus, siue negotiorum suorum causâ: nec moratus plura; Amici, quousque tandem, inquit, linguâ prompti erimus, manu desides? Seduxit eum Catesbeius: & post aliquod de negotio colloquium, nihil prius audendum ratus est; quam taciturnitatis iuramentum omnes præstarent: quod intra biduum aut triduum promisimus. Ita post D. Clementis conuenimus Catesbeius, Percius, Wrightus, Fauxius, ego: præstitóque inuicem in conclaui taciturnitatis iureiurando, in aliam ædium partem progressi Missam audiuimus, & sacramentum corporis Dominici percepimus. Tum Percio & Fauxio impertiuimus secretum, cuius gratia iuratum est. illis res non displicuit. Percius inde ad domum conducendam missus est, quam me absente Catesbeius didicit ad Ferrisium quendam spectare. hæc tandem licet ægrè impetrata est; ea lege, vt, quod Ferrisius ante fecerat, Percius similiter Chinardum agnosceret locatorem: Fauxius adoptato Ionsonij nomine Percij ministrum simulat, vt qui cæteris ignotior erat, & claues ædium custodijt vsque dum intelleximus Comitia in septimum diem Frebruarij dilata. igitur alius aliò se rus contulit, reuersuri circa initium conuentus iuridici autumnalis. Antehac destinaueramus aliam domum trans fluuium conducere è regione Percianæ, ad tormentarij pulueris & lignorum custodiam; quæ ibi præparata facilè vel vna nocte in Percianas ædes cymbâ poterant transferri. Eas enim cautio erat ne sæpe eundo redeundoque suspectas facere-

faceremus. Nullus Lambethâ oportunior viſus eſt locus, vbi Catesbeius plerumque morabatur. domus cuſtodem ipſo Cateſbeio legente conſcium adſciuimus, Keium, hominem honeſtum & fidum. Menſis ſupererat ad Diem S. Remigio ſacrum.

Quatuordecim diebus elapſis, appropinquante iam conuentu iuridico, Fauxius & ego Catesbeium conuenimus ad Moricroſtas; vbi inter nos conuenit nunc incipiendum opus, parandáque eſſe illa, quæ ad cuniculum agendum facerent. Fauxius Londinium abijt: me poſtridie acciuit: in cauſa erant Scotiæ quidam Proceres de Regnorum vnione in Percianis ædibus collocuturi. hinc dilata eſt inchoatio operis in diem decimum quartum ante Natalem Domini, quo tempore in vrbem venerant Percius & Wrightus, & nos bonam tormentarij pulueris partem paraueramus. Nos quinque igitur opus illud idoneis inſtrumentis aggreſſi ſumus, artocreatum largiore inſtructi annona, ne nimium excurrere neceſſe eſſet. Sero noctis exorſi ſumus: nec apparuit publicè quiſquam noſtrum, excepto Percij famulo, vſque in veſperas Natalis Domini: quo ſpatio ſub anguſto quodam introitu vſque ad domus comitialis parietem opus perduximus, tota fornice aſſeribus ſuffulta.

Dum vnà eramus, formabamus communi conſilio quod reliquum erat huius negotij; quid hoc facinore peracto nobis agendum foret. Primus noſter ſcrupulus fuit, quomodo Ducem Eboracenſem proximum regni hæredem capere poſſemus: Principem enim veriſimile erat vnà cum Patre comitijs interfuturum. has partes ſibi demandari voluit Percius: ſe familiarium gratiâ ingreſſurum conclaue: ibi manſurum vſque dum ſulphurati pulueris tonitru audiatur: tum duodecim viris ad oſtia domus diſpoſitis, qui ſe præſtolarentur; & tribus equitibus ad ianuam, qui captum Ducem exciperent, ſaluum & incolumem poſſe abduci Diuinabat enim abfore pleroſque aulicorum, aut, ſi qui adeſſent, poſſe nec opinantes & improui-

ſos

ſos opprimi. At Dominam Elizabetham, quæ iam ruri eſſet apud Baronem Haringtoniæ, ſine negotio capi poſſe; contractis eò ad venationem amicis: præſertim cùm Asbia-, Cateſbeij prædium, in vicinia foret; locus ad rerum neceſſariarum apparatum ſatis oportunus.

Proxima erat cura de pecunia & equis; quorum ſi mediocris pararetur copia, hoſtibus plus quam pares videbamur: cum- & penes nos eſſet regni hæres; & quatuor vel quinque diebus nos ſingula ante noſceremus, quàm cæteri.

Deliberatum eſt deinde, quos è Proceribus huic periculo eximere oporteret: & viſum eſt omnes, ſi pote eſſet, catholicos, ijſque addictos: inde de ſingulis ſermo nobis fuit.

Tum verò, quos exterorum Principum faceremus conſcios ſecreti, aut peracti facinoris patronos. Una omnibus mens erat, Principum promiſſis non temerè fidendum; quibus nec taciturnitatem imperes, nec iuſiurandum. & incertum fuit an illi noſtra conſilia probarent: atque vt vel maximè id facerent, apparatus tamen non careret ſuſpicione; quiſi ante facinus patratum nullus foret, præmonitio noſtra inutilis erat. nam- eædem literæ, quæ rei geſtæ ferrent indicium, facile etiam eorum orarent auxilium. Tardior videbatur Hiſpania, nec in primis turbis nobis adfutura-: Gallia nimium propinqua & formidabilis; quæ adiuncta Hollandiæ claſſe plus reliquo orbe nobis incuſſit terroris.

Dum hæc vltrò citróque diſceptaremus, intelleximus comitia in Octobrem protracta; qua fama nos noſtra conſilia, opúſque in poſt ferias natalitias diſtulimus. Circa feſtum purificationis, ſulphureum puluerem Lambethæ præparatum tranſuximus in Percianas ædes. præſtabat enim quicquid erat periculi vno loco concludere-.

Alios item quatuordecim dies agendo cuniculo inſumpſimus, contra lapideum parietem, perfoſſu ſanè difficilem. quo tempore Chriſtophorum Wrightum aſſumpſimus. inſtabat Paſcha,

cha, quùm tertiò aggrederemur opus; & tum data est occasio cryptæ conducendæ, in quam missо facto cuniculo sulphureum puluerem placuit disponi.

Quoniam autem grauabatur Catesbeius sumptibus, quos in nostra omnium alimenta, in sulphureum puluerem, in ædes varijs vsibus conductas erogauerat, quibus leuandis alios oportebat consortes adsciscere: illi, & Percio, & quemcunque tertium hi duo eligerent permissum est; vt quos putarent idoneos in numerum reciperent. Multi enim (inquit Catesbeius) meam non reformidant conscientiam, qui nollent tamen sua nomina turbæ huic vulgari. ab omnibus assensum est.

Postea Fauxius in cryptâ recèns conductâ mille calas posuit, & quingentos lignorum fasces; queis puluerem sulphureum operuit: vt quisquis cuperet, liberrimè ædes ingrederetur. Catesbeius ad nos retulit, an non operæpretium esset Fauxium in Flandriam transmittere, cùm vt seipsum ad tempus subtraheret, tum Gulielmum Standlæum & Ouenum impertiret secreto. Placuit id nobis, sed ea lege, vt illi communi nobiscum taciturnitatis iuramento obstringerentur, neu cui vnquam mortalium indicarent. Standlæum verò ideò conscium assumpsimus, vt quum primum posset ad nos veniret: Ouenum verò, vt peracto facinore cum exteris Principibus negotiaretur. abijt Fauxius in Flandriam circa Pascha: exeunte Augusto reuersus est. Cum appulisset Bruxellas (vt mihi ipse retulit) Standlæum non offendit, nec dum videlicet ex Hispania redùcem. itaque Oueno tantùm rem indicauit; qui quanquam ipse facinus probare videbatur, innuit tamẽ nolle Standlæum eiusmodi machinationis mentionem admittere, cui nempe iam negotia essent in aula Anglicana. Cæterum spondebat Ouenus, se functurum indicio cum opus esset; & Standlæum peracto facinore in Angliam missurum.

Eodem fere tempore ad Thermas Somersetenses conuenere Percius & Catesbeius. ibi transcripta est in Catesbeium potestas;

teſtas; vt quoniam pauci nimis adhuc forent, quos ipſi viſum eſſet adlegeret. Huic Euerardus Digbius equeſtris ordinis homo adſcitus eſt, ſed quo tempore incertum; & omnium nouiſſimus Franciſcus Treſamus. ille vt ex Catesbeio cognoui pollicitus eſt conferre mille & quingentas libellas; hic bis mille: Percius verò ex Comitis Northumbriæ redditibus circiter quatuor millia, & decem equos celeres.

Ego interea & Fauxius ſulphureum puluerem coëmimus nouum, ſuſpicantes veterem humeſcere; inque crypta eo ordine diſpoſuimus, quem certum erat non mutare. Tum amplius protracta ſunt Comitia in quintum Nouembris. Nos digredientes conſtituimus decem diebus antè reuerti: quo tempore Catesbeius, Fauxio comitante, diuertit in ædes ad ſaltum Regis Enfildicum, vulgò dictas Whitewebbs, quo me etiam contuli. Sciſcitari me iuſſit Catesbeius, an Princeps interfuturus eſſet comitijs? reſpondi famam eſſe, non interfore. Ergo trans amnem, inquit, diſponendi ſunt equi: & plurium opera opus eſt ad Principem capiendum. Ducem Eboracenſem faciemus miſſum.

Veſpera diei Dominicæ poſt biduum ſecutæ, venit aliquis in meum cubiculum, nuncians epiſtolam quandam traditam eſſe Baroni Montaquilæ, in qua iuberetur ſubducere ſe comitijs, propterea quod ictu ibi feriendi eſſent: hanc epiſtolam iam datam eſſe Comiti Salisburienſi.

Poſtridie in diuerſorium Enfildicum profectus, rem Cateſbeio retuli: omnia iam palam eſſe, nec quicquam ſupereſſe, niſi vt patriam fugiat. reſpondit nec dum ſe deſperare. & Fauxium decreuit mittere, qui extrema tentaret; teſtatus Deum, ſi ſuæ illæ partes forent, non detrectaturum ſe periculum.

Die Mercurij profectus eſt Fauxius: veſperi reuerſus eſt; quæ res non mediocrem nobis attulit lætitiam.

Die Iouis ego Londinium veni, die Veneris Catesbeius. Treſamus me ad Barnetum conuenit; vbi multis inter nos diſcep-

disceptatum est, vnde illa epistola ad Baronem Montaquilæ, sed frustra. Tresamus, quem solum nos suspectum habuimus, sanctè deierauit à se non esse.

Die *Saturni vesperi Tresamum conueni, in Collegij Linconiensis ambulacro. vbi eiusmodi commemorauit sermones Comitis Salisburiensis ad Regem, vt secunda iam vice de negotio desperarim. omnia retuli Catesbeio. Statuit igitur se subducere: sed Percium præstolabatur, cuius consensus deerat. At Percius, quicum die* Dominico *egimus, certus erat nouissima tentare, finemque expectare.*

Hac suspicione turbatis omnium consilijs, Catesbeius statuit die Lunæ, quo Percius in castrum Sionis se contulit, rus proficisci. Percius eadem nocte, aut postridie mane, illius vestigia pressurus erat. Die *Martis horâ quintâ matutinâ Iunior Wrightus meum ingressus cubiculum, retulit, à Viro nobili excitatum Baronem Montaquilæ his verbis: Exurge, inquit, & me comitare in domum Essexiam: expergefacturus sum Comitem Northumbriæ; subdens omnia iam palam esse. Quæso, inquam, mi Wrighte, regredere; & ad domus Essexiæ fores quod potes exquire. Statim reuersus, conclamata, inquit, res est. Nam ad fores* Domus *Essexiæ, Lepton equum conscendit; & subditurus equo calcaria interrogauit Proceres, an quid amplius vellent? cum illi negarent; viam Fluuialem, quantâ potuit celeritate, decucurrit. Tu igitur (inquam) propera ad Percium. eum enim certò certiùs quærunt. dic fugiat. Ego hic extrema expectabo. Tum me ad aulam contuli: sed foribus Prætoriano agmine obsessis nemini licuit intrare. hinc versus domum Comitialem flexo itinere, cùm eodem milite intercluſam offenderem viam, quæ Regia vocatur; nec transitus daretur, regressus sum: ibi vnus, coniuratio (inquit) detecta est, qua Rex & Proceres nitrato puluere disflandi erant. Tum verò certum erat vulgata esse omnia. itaque ad equile me contuli: cantherium arrepui: rus a-*

uolaui. Catesbeius conuentum indixerat ad Dunchurcham: ſed ego illos prius aſſequi non potui, quàm ad fratris ædes veniſſem, quòd die Mercurij veſperi contigit. Die Iouis in ædibus Baronis Vinzorij arma cepimus: apud Stephanum Litletonem pernoctauimus. Poſtridie ſpeculatum egreſſo occurrit famulus, nuncians graui calamitate ſocios noſtros diſtractos: Catesbeio, Rucuodo, Granto ſulphureo puluere ambuſtis, reliquos diffugiſſe. Litleton mihi fugam conſuluit, cui ſe comitem promittebat. Reſpondi, quicquid accideret, non prius abiturum, quam amici corpus viderem humoque mandarem. Quùm veniſſem mediocriter ſe habebant Catesbeius, Percius, ambo Wrighti, Rucuodus, Grantus. Rogaui quid facere decreuiſſent, Reſponderunt, ibidem mori. Et ego, inquam, non detrecto communionem fati. Circa horam vndecimam aderat turba ædes obſeſſura. Ego in area ambulans traijcior dextrum humerum plumbea glande, vnde dextri brachij vſum amiſi: ſecunda glande occubuit Wrightorum maior: tertia minor: quarta Rucuodus. Mihi pro foribus ſtanti, quibus irrupturi erant, ait Catesbeius; adſta Thoma: moriemur vnà. Reſpondi dextram mihi inutilem factam, ideóque vereri ne capiar. Dumque arctiſsimè ſtaremus, Catesbeius, Percius, ego; ceciderunt illi vnâ vt opinor glande: ego turbâ oppreſſus ſum; ventreque & alijs partibus ſaucius, vulneratuſque, tandem arreptis à tergo brachijs apprehenſus ſum.

Ex eo veſter ſum, &c.

Delegati pro examine.

Notingamiæ. Vigorniæ. Suffolciæ. Deuoniæ.	Northampiæ. Saliſburiæ. Marriæ. & Dumbari.	Comites.

Iudex Popamus. Edouardus Cocus. Gulielmus Waadus.

Nomina

Digitized by Google

Nomina eorum qui primi coniurarunt & cuniculum egerunt.

Robertus Catesbeius. } *Armigeri.*
Robertus Winterus. }

Thomas Percius.
Thomas Winterus.
Ioannes Wrightus. } *Generoſi.*
Chriſtopherus Wrightus.
Guido Fauxius.

& Batus Catesbeij famulus.

Nomina eorum qui conſcij fuerunt, at in cuniculo vel crypta non fuerunt.

Euerardus Digbius. } *Eques.*
Ambroſius Rucuodus. } *Armigeri.*
Franciſcus Treſamus. }
Ioannes Grantus. } *Generoſus.*
Robertus Keius.

SEd relinquamus Fauxium in hoſpitio digno tali hoſpite, vt conſcientiam ſuam aliquantiſper ruminet: nunc quid de cæteris horrendæ coniurationis ſocijs actum ſit, dicamus. Vt primùm eo mane ſparſa eſt noui & immaniſceleris fama (erat autem dies Martis, quintus Nouembris, ordinum conſeſſui dicatus) proripuerunt ſe ex vrbe nonnulli è coniuratis, Winterus, amb6que Wrighti: nec enim tutum videbatur vlterius morari: horâ quartâ matutinâ euaſerat Percius, & pridie illius diei Cateſbeius: omnes maiore feſtinatione, quàm ſucceſſu in ditionem Varuicenſem Couentriam verſùs contenderunt. Die Mercurij, eâdem quâ Fauxius Weſtmonaſterij apprehenſus fuit horâ, Grantus quidam, generoſo natus loco, ſociatis quibuſdam alijs Pontificiarum partium hominibus, & in religione ſua refractarijs, inuaſit Benoxi equile (is equorum domitor erat) effractiſque foribus equos bellicos, quos inuenit, ſeptem aut octo abduxit; quos Viri nobiles in vicinia commiſerant Benoxo domandos. Sic die Martis veſperi, quo coniuratio detecta eſt, ad Dunchurcham conuenere, tum qui Londinio euaſerant, tum qui ſe Granto adiunxerant; vt apud Euerardum

Grantus per vim abducit equos.

Digitized by Google

Digbium equeſtris ordinis virum eam noctem tranſigerent. Digbius poſtridie illius diei, nimirum Mercurij, ſolemnem venationem indixerat vicinis: venationem ſane mirificam, & alius generis, quàm illi augurari poterant; cum Nimrodes hic non ferarum ſed hominum ſanguinem ſitiret.

Digbij venatio.

Hæc infernalis ſocietas in vnum locum coijt: ſed cum omnia detecta ſceluſque eluſum animaduerterent, decreuerunt laxas ſuæ deſperationi habenas permittere; & quod furtiuo ſulphurei fulminis ictu non effecerant, aperta rebellione tentare: vt aut ſe redderent compotes voti, aut ſanè turbæ immixti laterent. itaque congregatis quotquot poterant, obtendentes iam religionis cauſam; arma, equos, puluerem ſulphuratum intercipiunt, & cætera, quæ anguſti temporis fortuna obiecit. Somniabant vltrò citróque diſcurrendo alios ſe attrahere, numerum augere; inſtar niueæ pilæ, quæ ex alto monte deuoluta è minimis principijs in immenſum creſcit, adhæreſcente obuia niue. Cogitabant etiam, ſpecioſi huius agminis exemplo, cæteros ſuæ ſuperſtitionis ſocios ad arma in omnibus Angliæ tractibus vocare. Verùm cum vires ſuas perduxiſſent ad ſummum, octuaginta homines non erant: & hi de ſeruis ſuis nunquam non ſolliciti, ne dilaberentur. Dilabebantur nihilominus quotidie ab agmine; quod numero impar erat exercitui Gedeonis, ſed multò magis fide & bonitate cauſæ.

Rebellio coniuratorum.

vix octuaginta hominum.

Hunc Catholicum manipulum, per ditionem Varuicenſem Vigorniam verſus palantem, & inde in Staffordiæ fines non regius Legatus fudit, nec miſſus ad eam rem Dux aliquis militiæ: is honos miſeris non obtigit. tumultuaria Vicecomitis Vigornienſis manu cæſi, capti, diſſipati ſunt. Vbi illud notatu digniſſimum occurrit, nec abſque diuinæ gloriæ iniuria reticendum, cùm Diuinam nobis iuſtitiam apertiſſimè teſtetur.

Eorum fuga.

Quamuis regia edicta properè ſecuta ſunt proditores; in quibus atrocitas ſceleris exponebatur, & quam neceſſe eſſet Percium viuum capi cum cæteris damnatæ cohortis ſectis, non iam coniuratis, ſed palàm rebellibus; fecit tamen longitudo itineris, quæ centum miliaribus erat maior, & viæ cænoſitas, & dierum breuitas, vt amantiſſimi Regis ſubditi edicta omnia anteuerterint. Nam tertio poſt fugam rebellium & coniurationis indicium die, qui Veneris erat, plerique omnes ad Holbecham à Vicecomite Vigornienſi, circa meridiem capti ſunt, eo qui ſequitur modo.

Et ad Holbecham ſtrages.

Grantus ille, qui mihi propter equos abductos nominandus fuit, domi ſe continuerat, vſque dum ſcilicet Londini peractum eſſet facinus: tum ille poſtridie illius diei, quo omnes nos fulmine rebatur diſſlatos, abripuit aut verius ſurripuit equos bellicos, quibus ipſe & alij perditiſſimi in vicinia nebulones vſuri erant ad Dominam Elizabetham, filiam

Regis

Regni sui, quemadmodum ordo, quem ab antecessoribus suis accepit, postulat, & ipsa Ecclesiastica ratio exigit, ordinare, & consecrare Episcopos, & Abbates, & hoc Regi ab illis fidelitatem, & Christianitatem, & Catholicam Fidem, sicut Archiepiscopus Episcopis, & Abbatibus, & Christianitatem, & Catholicam Fidem, & Subjectionem, quam debet, exhibere.

Archiepiscopus dicit, Si quidem ad hoc ordinandum quisquam Archiepiscopus, vel Episcopus, vel Abbas, vel quilibet Clericus, vel Laicus, vel quælibet persona, vel potestas, vel ordo, vel Ecclesia, vel quælibet alia res, quam ego videbo dignum esse, quod non debeam consecrare, vel ordinare, vel Ecclesiam, vel rem illam, quam videbo, quod non debeam consecrare, consecrabo, vel ordinabo, vel Ecclesiam, vel rem illam, quam videbo, quod debeam consecrare, non consecrabo, vel ordinabo, vel Ecclesiam, vel rem illam, quam videbo, quod non debeam ordinare, non ordinabo, vel ordinabo, vel Ecclesiam, vel rem illam, quam videbo, quod debeam ordinare, non ordinabo, quamdiu ego videbo, & sciam, quod hoc non debeam facere, nisi per Regis licentiam, & voluntatem, & per ejus Electionem, & Consecrationem, & per ejus Fidelitatem, & Christianitatem, & Catholicam Fidem, & Subjectionem, quam debet, exhibere.

Ita subscribunt Archiepiscopi, Cardinales, Patres, Vitalis, Wigodus, Episcopi, cum omnibus Abbatibus, & Clericis, & Laicis, & omnibus personis, & potestatibus, & ordinibus, & Ecclesiis, & rebus, quæ sunt in diœcesibus eorum tenentes, sicut tenent, & debent tenere de Rege, & Regno, & ejus Fidelitatem, & Christianitatem, & Catholicam Fidem, & Subjectionem, quam debent exhibere, & ita ordinabunt, & consecrabunt Archiepiscopi, Episcopos, & Abbates, & Christianitatem, & Catholicam Fidem, & Subjectionem, quam debent exhibere, & ita ordinabunt, & consecrabunt Episcopi, & Abbates, & Christianitatem, & Catholicam Fidem, & Subjectionem, quam debent exhibere, & ita ordinabunt, & consecrabunt Abbates, & Christianitatem, & Catholicam Fidem, & Subjectionem, quam debent exhibere, & ita ordinabunt, & consecrabunt Clerici, & Laici, & omnes personæ, & potestates, & ordines, & Ecclesiæ, & res, quæ sunt in diœcesibus eorum tenentes, sicut tenent, & debent tenere de Rege, & Regno, & ejus Fidelitatem, & Christianitatem, & Catholicam Fidem, & Subjectionem, quam debent exhibere, & ita ordinabunt, & consecrabunt Clerici, & Laici, & omnes personæ, & potestates, & ordines, & Ecclesiæ, & res, quæ sunt in diœcesibus eorum tenentes, sicut tenent, & debent tenere de Rege, & Regno, & ejus Fidelitatem, & Christianitatem, & Catholicam Fidem, & Subjectionem, quam debent exhibere.

pro nobis conari; sed quomodo, incertum adhuc esse. Eosdem fere sermones Graueline iterauimus, vbi ego idoneum ventum expectabam. quo spirante eodem nauigio Grenouicum ambo appulimus: exscendentes in scapham deuenimus Londinium ad Catesbeium, quem tum domi offendimus gratulari ille nostrum in Angliam aduentum: & quæ noua à Comite Stabuli percontari; Verba inquam sat bona; sed vereri me, vt facta respondeant. Incipiebat conuentus iuridicus Paschalis; quo adulto ad nos venit Thomas Percius, siue à Catesbeio accitus, siue negotiorum suorum causâ: nec moratus plura; Amici, quousque tandem, inquit, linguâ prompti erimus, manu desides? Seduxit eum Catesbeius: & post aliquod de negotio colloquium, nihil prius audendum ratus est; quam taciturnitatis iuramentum omnes præstarent: quod intra biduum aut triduum promisimus. Ita post D. Clementis conuenimus Catesbeius, Percius, Wrightus, Fauxius, ego: præstitóque inuicem in conclaui taciturnitatis iureiurando, in aliam ædium partem progressi Missam audiuimus, & sacramentum corporis Dominici percepimus. Tum Percio & Fauxio impertiuimus secretum, cuius gratia iuratum est. illis res non displicuit. Percius inde ad domum conducendam missus est, quam me absente Catesbeius didicit ad Ferrisium quendam spectare. hæc tandem licet ægrè impetrata est; ea lege, vt, quod Ferrisius ante fecerat, Percius similiter Chinardum agnosceret locatorem: Fauxius adoptato Ionsonij nomine Percij ministrum simulat, vt qui cæteris ignotior erat, & claues ædium custodijt vsque dum intelleximus Comitia in septimum diem Frebruarij dilata. igitur alius aliò se rus contulit, reuersuri circa initium conuentus iuridici autumnalis. Antehac destinaueramus aliam domum trans fluuium conducere è regione Percianæ, ad tormentarij pulueris & lignorum custodiam; quæ ibi præparata facilè vel vna nocte in Percianas ædes cymbâ poterant transferri. Eas enim cautio erat ne sæpe eundo redeundoque suspectas facere-

Digitized by Google

faceremus. Nullus Lambethâ oportunior visus est locus, vbi Catesbeius plerumque morabatur. domus custodem ipso Catesbeio legente conscium adsciuimus, Keium, hominem honestum & fidum. Mensis supererat ad Diem S. Remigio sacrum.

Quatuordecim diebus elapsis, appropinquante iam conuentu iuridico, Fauxius & ego Catesbeium conuenimus ad Moricrostas; vbi inter nos conuenit nunc incipiendum opus, parandáque esse illa, quæ ad cuniculum agendum facerent. Fauxius Londinium abijt: me postridie acciuit: in causa erant Scotiæ quidam Proceres de Regnorum vnione in Percianis ædibus collocuturi. hinc dilata est inchoatio operis in diem decimum quartum ante Natalem Domini, quo tempore in vrbem venerant Percius & Wrightus, & nos bonam tormentarij pulueris partem paraueramus. Nos quinque igitur opus illud idoneis instrumentis aggressi sumus, artocreatum largiore instructi annona, ne nimium excurrere necesse esset. Sero noctis exorsi sumus: nec apparuit publicè quisquam nostrum, excepto Percij famulo, vsque in vesperas Natalis Domini: quo spatio sub angusto quodam introitu vsque ad domus comitialis parietem opus perduximus, tota fornice asseribus suffulta.

Dum vnà eramus, formabamus communi consilio quod reliquum erat huius negotij; quid hoc facinore peracto nobis agendum foret. Primus noster scrupulus fuit, quomodo Ducem Eboracensem proximum regni hæredem capere possemus: Principem enim verisimile erat vnà cum Patre comitijs interfuturum. has partes sibi demandari voluit Percius: se familiarium gratiâ ingressurum conclaue: ibi mansurum vsque dum sulphurati pulueris tonitru audiatur: tum duodecim viris ad ostia domus dispositis, qui se præstolarentur; & tribus equitibus ad ianuam, qui captum Ducem exciperent, saluum & incolumem posse abduci Diuinabat enim abfore plerosque aulicorum, aut, si qui adessent, posse nec opinantes & improui-

sos

ſos opprimi. At Dominam Elizabetham, quæ iam ruri eſſet apud Baronem Haringtoniæ, ſine negotio capi poſſe; contractis eò ad venationem amicis: præſertim cùm Asbia-, Cateſbeij prædium, in vicinia foret; locus ad rerum neceſſariarum apparatum ſatis oportunus.

Proxima erat cura de pecunia & equis; quorum ſi mediocris pararetur copia, hoſtibus plus quam pares videbamur: cum- & penes nos eſſet regni hæres; & quatuor vel quinque diebus nos ſingula ante noſceremus, quàm cæteri.

Deliberatum eſt deinde, quos è Proceribus huic periculo eximere oporteret: & viſum eſt omnes, ſi pote eſſet, catholicos, iiſque addictos: inde de ſingulis ſermo nobis fuit.

Tum verò, quos exterorum Principum faceremus conſcios ſecreti, aut peracti facinoris patronos. Una omnibus mens erat, Principum promiſſis non temerè fidendum; quibus nec taciturnitatem imperes, nec iuſiurandum. & incertum fuit an illi noſtra conſilia probarent: atque vt vel maximè id facerent, apparatus tamen non careret ſuſpicione; quiſi ante facinus patratum nullus foret, præmonitio noſtra inutilis erat. nam- eædem literæ, quæ rei geſtæ ferrent indicium, facile etiam eorum orarent auxilium. Tardior videbatur Hiſpania, nec in primis turbis nobis adfutura-: Gallia nimium propinqua & formidabilis; quæ adiuncta Hollandiæ claſſe plus reliquo orbe nobis incuſſit terroris.

Dum hæc vltrò citróque diſceptaremus, intelleximus comitia in Octobrem protracta; qua fama nos noſtra conſilia, opúſque in poſt ferias natalitias diſtulimus. Circa feſtum purificationis, ſulphureum puluerem Lambethæ præparatum tranſueximus in Percianas ædes. præſtabat enim quicquid erat periculi vno loco concludere-.

Alios item quatuordecim dies agendo cuniculo inſumpſimus, contra lapideum parietem, perfoſſu ſanè difficilem. quo tempore Chriſtophorum Wrightum aſſumpſimus. inſtabat Paſ-

cha,

cha, quùm tertiò aggrederemur opus; & tum data est occasio cryptæ conducendæ, in quam missо facto cuniculo sulphureum puluerem placuit disponi.

Quoniam autem grauabatur Catesbeius sumptibus, quos in nostra omnium alimenta, in sulphureum puluerem, in ædes varijs vsibus conductas erogauerat; quibus leuandis alios oportebat consortes adsciscere: illi, & Percio, & quemcunque tertium hi duo eligerent permissum est; vt quos putarent idoneos in numerum reciperent. Multi enim (inquit Catesbeius) meam non reformidant conscientiam, qui nollent tamen sua nomina turbæ huic vulgari. ab omnibus assensum est.

Postea Fauxius in cryptâ recèns conductâ mille calas posuit, & quingentos lignorum fasces; queis puluerem sulphureum operuit: vt quisquis cuperet, liberrimè ædes ingrederetur. Catesbeius ad nos retulit, an non operæpretium esset Fauxium in Flandriam transmittere, cùm vt seipsum ad tempus subtraheret, tum Gulielmum Standlæum & Ouenum impertiret secreto. Placuit id nobis, sed ea lege, vt illi communi nobiscum taciturnitatis iuramento obstringerentur, neu cui vnquam mortalium indicarent. Standlæum verò ideò consciũm assumpsimus, vt quum primum posset ad nos veniret: Ouenum verò, vt peracto facinore cum exteris Principibus negotiaretur. abijt Fauxius in Flandriam circa Pascha: exeunte Augusto reuersus est. Cum appulisset Bruxellas (vt mihi ipse retulit) Standlæum non offendit, nec dum videlicet ex Hispania redũcem. itaque Oueno tantùm rem indicauit; qui quanquam ipse facinus probare videbatur, innuit tamẽ nolle Standlæum eiusmodi machinationis mentionem admittere, cui nempe iam negotia essent in aula Anglicana. Cæterum spondebat Ouenus, se functurum indicio cum opus esset; & Standlæum peracto facinore in Angliam missurum.

Eodem fere tempore ad Thermas Somersetenses conuenere Percius & Catesbeius. ibi transcripta est in Catesbeium po-

testas;

testas; vt quoniam pauci nimis adhuc forent, quos ipsi visum esset adlegeret. Huic Euerardus Digbius equestris ordinis homo adscitus est, sed quo tempore incertum; & omnium nouissimus Franciscus Tresamus. ille vt ex Catesbeio cognoui pollicitus est conferre mille & quingentas libellas; hic bis mille: Percius verò ex Comitis Northumbriæ redditibus circiter quatuor millia, & decem equos celeres.

Ego interea & Fauxius sulphureum puluerem coëmimus nouum, suspicantes veterem humescere; inque crypta eo ordine disposuimus, quem certum erat non mutare. Tum amplius protracta sunt Comitia in quintum Nouembris. Nos digredientes constituimus decem diebus antè reuerti: quo tempore Catesbeius, Fauxio comitante, diuertit in ædes ad saltum Regis Enfildicum, vulgò dictas Whitewebbs, quo me etiam contuli. Scisciari me iussit Catesbeius, an Princeps interfuturus esset comitijs? respondi famam esse, non interfore. Ergo trans amnem, inquit, disponendi sunt equi: & plurium opera opus est ad Principem capiendum. Ducem Eboracensem faciemus missum.

Vespera diei Dominicæ post biduum secutæ, venit aliquis in meum cubiculum, nuncians epistolam quandam traditam esse Baroni Montaquilæ, in qua iuberetur subducere se comitijs, propterea quod ictu ibi feriendi essent: hanc epistolam iam datam esse Comiti Salisburiensi.

Postridie in diuersorium Enfildicum profectus, rem Catesbeio retuli: omnia iam palam esse, nec quicquam superesse, nisi vt patriam fugiat. respondit nec dum se desperare. & Fauxium decreuit mittere, qui extrema tentaret; testatus Deum, si suæ illæ partes forent, non detrectaturum se periculum.

Die Mercurij profectus est Fauxius: vesperi reuersus est; quæ res non mediocrem nobis attulit lætitiam.

Die Iouis ego Londinium veni, die Veneris Catesbeius. Tresamus me ad Barnetum conuenit; vbi multis inter nos

discep-

disceptatum est, vnde illa epistola ad Baronem Montaquilæ, sed frustra. Tresamus, quem solum nos suspectum habuimus, sanctè deierauit à se non esse.

Die *Saturni vesperi Tresamum conueni, in Collegij Linconiensis ambulacro. vbi eiusmodi commemorauit sermones Comitis Salisburiensis ad Regem, vt secunda iam vice de negotio desperarim. omnia retuli Catesbeio. Statuit igitur se subducere: sed Percium præstolabatur, cuius consensus deerat. At Percius, quicum die* Dominico *egimus, certus erat nouissima tentare, finemque expectare.*

Hac suspicione turbatis omnium consilijs, Catesbeius statuit die Lunæ, quo Percius in castrum Sionis se contulit, rus proficisci. Percius eadem nocte, aut postridie mane, illius vestigia pressurus erat. Die *Martis horâ quintâ matutinâ Iunior Wrightus meum ingressus cubiculum, retulit, à Viro nobili excitatum Baronem Montaquilæ his verbis: Exurge, inquit, & me comitare in domum Essexiam: expergefacturus sum Comitem Northumbriæ; subdens omnia iam palam esse. Quæso, inquam, mi Wrighte, regredere; & ad domus Essexiæ fores quod potes exquire. Statim reuersus, conclamata, inquit, res est. Nam ad fores* Domus *Essexiæ, Lepton equum conscendit; & subditurus equo calcaria interrogauit Proceres, an quid amplius vellent? cum illi negarent; viam Fluuialem, quantâ potuit celeritate, decucurrit. Tu igitur (inquam) propera ad Percium. eum enim certò certiùs quærunt. dic fugiat. Ego hic extrema expectabo. Tum me ad aulam contuli: sed foribus Prætoriano agmine obsessis nemini licuit intrare. hinc versus domum Comitialem flexo itinere, cùm eodem milite intercluſam offenderem viam, quæ Regia vocatur; nec transitus daretur, regressus sum: ibi vnus, coniuratio (inquit) detecta est, qua Rex & Proceres nitrato puluere disflandi erant. Tum verò certum erat vulgata esse omnia. itaque ad equile me contuli: cantherium arrepui: rus a-*

uolaui. Catesbeius conuentum indixerat ad Dunchurcham: sed ego illos prius aßequi non potui, quàm ad fratris ædes veniſſem, quòd die Mercurij veſperi contigit. Die Iouis in ædibus Baronis Vinzorij arma cepimus: apud Stephanum Litletonem pernoctauimus. Poſtridie ſpeculatum egreſſo occurrit famulus, nuncians graui calamitate ſocios noſtros diſtractos: Catesbeio, Rucuodo, Granto ſulphureo puluere ambuſtis, reliquos diffugiſſe. Litleton mihi fugam conſuluit, cui ſe comitem promittebat. Reſpondi, quicquid accideret, non prius abiturum, quam amici corpus viderem humoque mandarem. Quùm veniſſem mediocriter ſe habebant Catesbeius, Percius, ambo Wrighti, Rucuodus, Grantus. Rogaui quid facere decreuiſſent, Reſponderunt, ibidem mori. Et ego, inquam, non detrecto communionem fati. Circa horam vndecimam aderat turba ædes obſeſſura. Ego in area ambulans traijcior dextrum humerum plumbea glande, vnde dextri brachij vſum amiſi: ſecunda glande occubuit Wrightorum maior: tertia minor: quarta Rucuodus. Mihi pro foribus ſtanti, quibus irrupturi erant, ait Catesbeius; adſta Thoma: moriemur vnà. Reſpondi dextram mihi inutilem factam, ideóque vereri ne capiar. Dumque arctiſsimè ſtaremus, Catesbeius, Percius, ego; ceciderunt illi vnâ vt opinor glande: ego turbâ oppreſſus ſum; ventreque & alijs partibus ſaucius, vulneratuſque, tandem arreptis à tergo brachijs apprehenſus ſum.

Ex eo veſter ſum, &c.

Delegati pro examine.

{Notingamiæ. Vigorniæ. / Suffolciæ. Deuoniæ.} {Northampiæ. Saliſburiæ. / Marriæ. & Dumbari.} Comites.

Iudex Popamus. Edouardus Cocus. Gulielmus Waadus.

Nomina

Digitized by Google

Nomina eorum qui primi coniurarunt & cuniculum egerunt.

Robertus Catesbeius. } *Armigeri.*
Robertus Winterus. }

Thomas Percius.
Thomas Winterus.
Ioannes Wrightus. } *Generoſi.*
Chriſtopherus Wrightus,
Guido Fauxius.

& Batus Catesbeij famulus.

Nomina eorum qui conſcij fuerunt, at in cuniculo vel crypta non fuerunt.

Euerardus Digbius. } *Eques.*
Ambroſius Rucuodus. } *Armigeri.*
Franciſcus Treſamus. }
Ioannes Grantus. } *Generoſus.*
Robertus Keius.

SEd relinquamus Fauxium in hoſpitio digno tali hoſpite, vt conſcientiam ſuam aliquantiſper ruminet: nunc quid de cæteris horrendæ coniurationis ſocijs actum ſit, dicamus. Vt primùm eo mane ſparſa eſt noui & immaniſceleris fama (erat autem dies Martis, quintus Nouembris, ordinum conſeſſui dicatus) proripuerunt ſe ex vrbe nonnulli è coniuratis, Winterus, amboque Wrighti: nec enim tutum videbatur vlterius morari: horâ quartâ matutinâ euaſerat Percius, & pridie illius diei Cateſbeius: omnes maiore feſtinatione, quàm ſucceſſu in ditionem Varuicenſem Couentriam verſus contenderunt. Die Mercurij, eâdem quâ Fauxius Weſtmonaſterij apprehenſus fuit horâ, Grantus quidam, generoſo natus loco, ſociatis quibuſdam alijs Pontificiarum partium hominibus, & in religione ſua refractarijs, inuaſit Benoxi equile (is equorum domitor erat) effractiſque foribus equos bellicos, quos inuenit, ſeptem aut octo abduxit; quos Viri nobiles in vicinia commiſerant Benoxo domandos. Sic die Martis veſperi, quo coniuratio detecta eſt, ad Dunchurcham conuenere, tum qui Londinio euaſerant, tum qui ſe Granto adiunxerant; vt apud Euerardum

Grantus per vim abducit equos.

Ergo non constituendus Ordo, quia ob incertitudinem ... Ordo ... Ordo ... Ordo

clementiam interceſſurum. At illi ſibi nimis conſcij quantum facinus deſignaſſent, ſuperbè reſpondent, longè alijs viribus opus eſſe, vt eos ad deditionem cogeret.

Hîc accidit mirabile diuinæ iuſtitiæ opus : Dum vltro citroque commearent nuncij, & Vicecomitis populique indignatio ex reſponſi arrogantia gliſceret ; his parantibus animoſè inuadere, illis verò pari ſe conſtantia in ædibus defendere, vt ante decreuerunt : commoti ignis euolante ſcintillâ, duæ admodum pulueris tormentarij libræ, Deo ita volente, incenſæ ſunt. puluis hic ante focum in cubiculo exiccabatur. fœdatæ ſunt præcipuorum rebellium facies, manúſque & latera aliorum debilitata. nam ingens ſcortea bulga ictu excuſſa fuit, puluere quo referta erat (res mira) non incenſo. confeſtim ceciderunt omnibus animi : & cum Principes coniurationis Cateſbeius, Percius, Rucuodus ſe defendere non poſſent ; cæteri deſieruiſſe reſiſtere. Tum verò ſtupor inceſſit conſcijs improborum animis ; cum ſulphurato puluere, quo alijs machinati ſunt interitum, ſeipſos cernerent diuinitùs exanimatos : & verum illud factum eſt, in quo peccamus in eodem plectimur. Nec mora procumbentes in genua (vide mirabilem diuinæ iuſtitiæ poteſtatem in male affectas conſcientias) Deum orarunt veniam immanitatis ſuæ : & poſitâ pertinaciâ fores aperuerunt, vt irrumpente Vicecomitis manipulo certam aliquando mortem inuenirent. Tres præcipui animis corporibuſque iuncti irrumpentium furori ſe obiecerunt Cateſbeius, Percius, Winterus. illi vna glande plumbea transfoſſi, hic viuus captus eſt.

Coniurati puluere pyrio intereunt.

Hic exitus tulit magnanimos hoſce Catholicos, & nihil vile ſpirantes. qui modo nihil humilius ſomniabant, quàm regum regnorumque excidia, ſeque ſperabant in vetuſtiſſimis regnis rerum omnium fore arbitros, miſera vilique clade perierunt, vno momento viſi, victi, euerſi: inciderunt in foueam, quam ipſi alijs foderunt, & quod de illis Regia Maieſtas in conuentu ordinum quodammodo vaticinatus eſt, id ipſimet fecerunt verum ; alij è veſtigio occiſi, alij læthaliter vulnerati detracta veſte nudi relicti ſunt, vt frigore potiùs quàm vulnerum periculo videantur interijſſe : cæteri, qui aut integri adhuc erant aut leuiùs ſauciati, ſtatim capti, vincti, & à Vicecomite, ordinario Iuſtitiæ ſacerdote, in vilem carcerem detruſi, quo infimi ordinis ſcurræ & facinoroſi vulgò detinentur ; & inde Londinium miſſi in vinculis ; vt infinitam mortalium turbam obuiam haberent, qui oculos ſuos paſcerent inuſitatis hiſce hominum prodigijs : ſannionibus eos habentibus ludibrio, pueris & fœminis defixis admiratione, plebe obſtupeſcente, prudentioribus aliquid curioſitati indulgentibus, vt ſpectarent non tam hominum corpora, quàm inauditi ſceleris capſulas ; & ſe eorum aſpectu ſatiarent, quorum immanitatem nunquam ſatis mirari aut execrari poterant.

terant. Eos in publicum & horrendum ſpectaculum exhibuit Diuina iracundia.

Quid de ijs porro futurum ſit Regis eſt & Reipub. ſtatuere: nec dubitandi locus vllus eſt, quin, publico ſupplicio, & quod poſteris exemplo ſit, hoc ſcelus ſuo tempore ſit expiandum. Bonorum ciuium eſt Deum orare, in cuius manu ſunt corda Regum, vt eam velit eſſe huius Tragediæ cataſtrophen (nam quæ Regi & fidelibus eius ſubditis Tragico-comedia fuit, ea coniuratis vera eſt tragedia) vt ſui nominis gloria & ſacra religio prouehatur, Regiſque incolumitati & Reipub. ſecuritati proſpiciatur: tum verò quæcunque adhuc latet perfidia eruatur in lucem, horenda denique hæc machinatio, cui nulla ætas debitum nomen inuenerit, debita tandem vindicetur pæna: quique nobis vniuerſalem vereque Catholicum interitum vno ictu meditabantur; qui atrox illud tyranni votum (vt populus Romanus vnam tantum ceruicem haberet) tantum ſuperarunt, quantum verba diſtant à factis; qui pacatiſſimas Iani noſtri fores, quæ aliter (Deo laus ſit) aperiri non poterant, ſulphurato puluere diſcutere parabant, hi horribile & execrandum hoc parricidium iuſto luant ſupplicio. ſic infamia & dedecus totius gentis, quæ Baſiliſci oua genuit aluitque inſcia in ſinu, vertet in ſolos ſceleris auctores: quibus purgata Britannia pace perpetua in poſterum, rerumque omnium affluentia floreat; honeſtis, fidiſque ſubditis cum iuſto religioſoque Principe, ſacro nodo, & pluſquam Gordio, coniunctis. Ita qui noſtri memoriam radere & delere cogitârunt, viuent illi in omnium ſæculorum opprobrium.

Et nos incolumitatis noſtræ diem gratiſſimis animis ſemper recolemus.

TRIPLICI



Digitized by Google

Digitized by Google

Triplici nodo Triplex cuneus,

SIVE
APOLOGIA
PRO IVRAMENTO
FIDELITATIS,

OPPOSITA DVOBVS
Breuibus *Pauli* V^ti Romani
Pontificis:

ET

LITERIS CARDINALIS BELLARMINI
ad *Blackwellum* Archipresbyterum.

[*.*]

Digitized by Google

APOLOGIA PRO
IVRAMENTO
FIDELITATIS.

QVam immane & inſolens & poſt homines natos inauditum nefas nuper hîc in Anglia conflatum ſit, ad meam & coniugis & liberorum meorum internecionem, cum omnium procerum & promiſcua optimorum ciuium ſtrage; ita iam orbi terrarum innotuit, vt actum agere videri poſſet qui amplius publicaret. ipſa ſe ſceleris atrocitas longè lateque per ora mortalium diffudit. Nam ſi peccatorum nonnulla ideo in ſacris literis dicantur **clamantia* vel quia cum publica infamia coniuncta ſunt, vel quia cælitus quaſi vindictam videntur poſcere in auctores (qualia tamen nec inſolita adeò ſunt, nec gens vlla in orbe vnquam ijs penitus vacauit) quid, obſecro, de hoc ſcelere exiſtimandum eſt, cui nec cauſa fuit nec modus vllus nec exemplum ſæuitiæ? Quæ poſt contigerunt nec ea orbi ſunt ignota, vt ſcilicet ſolorum nocentium ſupplicijs iuſtitiæ ſatisfactum ſit, idque in publico iudicio, quo nullum in hoc regno viſum eſt illuſtrius. *Gene. 4. 10.

Quanquam enim ſceleri tam horrendo nihil niſi religionis illius Romanæ zelum obtenderent, in cæteros tamen, qui idem cum illis in fidei negotio ſentiebant, nihil durius ſtatutum eſt; vt ex clementiſſimo noſtro poſt detectam coniurationem edicto ſtatim apparuit. tantum in proximo ordinum conſeſſu leges quædam latæ fuerunt, de rationibus & vijs quibus eiuſmodi ſcelerum portenta deinceps cauerentur. In his erat iuſiurandum quoddam à ſubditis meis exigendum, quo conceptis verbis teſtarentur ſinguli manſuros ſe in fide & obſequio quod mihi naſcẽdi iure debebatur: quod non tam eò fiebat, vt melioris notæ ſubditi diſtinguerentur à perduellibus qui iuſtũ regi negabant

bant obſequium; ſed præcipuè vt eos, qui Pontificijs quidem addicti opinionibus fidelitatem tamen non eiurauerant, à talibus ſecernerem, qui eiuſdem zeli vertigine cum Sulphurarijs proditoribus abrepti intra naturalis obſequij metas nolebant cohiberi; proditioneſque omnes & læſæ maieſtatis crimina ſolâ religionis diſparitate credebant excuſari. Quod prudens piumque conſilium Deus Opt.Max. iuſto approbauit ſucceſſu. nam multi è ſubditis meis qui Pontificiæ ſtudebant fidei, tam Sacerdotes quam Laici, volentibus animis iurarunt in verba: vnde factum eſt vt ego de honeſta eorum mente melius cæperim ſperare, ipſi verò ſe à grauiſſima vindicarint infamia, quòd licet cum proditoribus Sulphurarijs communia haberent ſacra, ab eorum tamen perfidia in Principem quàm longiſſimè abhorrerent. Pontificij igitur qui pacem amábant deſperare vltra deſierant, quùm iam illis conſtabat mihi in animo non eſſe vt religionis causâ illos affligerem, ſed vt de ciuili obſequio quod conſcientiæ causâ debebant eo iuramento cauerem.

Sed neque Satanas ipſe ad turbandam hanc rerum ſerenitatem quicquam potuiſſet comminiſci nocentius, quàm quod poſt accidit à Romani Pontificis breui huc tranſmiſſo & publicato, quo ille ſuis omnibus hoc iuramentum interdixit. vnde noua diffidentiæ ſemina inter me & Papiſtas meos ſparſa ſunt, vt dum illi in re iuſtiſſima detrectant parere, id eſt, hoc fidelitatis pignore ſe Regi ſuo obſtringere, ego iniquiſſima prouocatus repulſa non immeritò, iam non ob religionem, in eos poſſim animaduertere. omninoque eò nunc miſeriarum venerunt, vt aut cum vitæ rerumque omnium iactura debitum regi obſequium neceſſe habeant negare, aut (ſi Pontifici credimus) animas ſuas eiurata catholica fide æterno deuouere exitio.

Quanquam autem inter me & Romanum Pontificem, alterius videlicet religionis caput, religio ipſa literarum & internunciorum omne ſuſtulerit commercium, quùm tamen ille mihi bellum non indixerit, contra communem humanitatis legem & contra Chriſtianorum Principum morem, hoc quicquid eſt feciſſe exiſtimandus eſt; & quòd me indicta cauſa perſecutionis crimine damnârit, (ea enim illius eſt de me opinio, quùm Pontificios noſtros ad martyrij patientiam hortatur) & quòd ſuarum partium hominibus in Anglia iuramentum fidelitatis tam ſeuerè interdixerit, id eſt, ne licitum ſuo principi polliceantur obſequium. Si enim ſe mihi legitimum arbitratur iudicem, cur, obſecro, damnat inauditum? ſin (quod res eſt) nihil mecum habeat commune, cur falcem immittit in meſſem alienam? cur inter me & ſubditos meos ſe ingerit arbitrum, præſertim vbi nulla alia quæſtio eſt niſi de ciuili obſequio?

Certè Pius V^tus. etiam cum impotentiſſimè fureret, & ſuis in nupe-

ram

Digitized by Google

ram Reginam nimis notis inimicitijs omnia permitteret, nihil potuit facere hac ipſa, quæ mihi ab illo oblata eſt, iniuriâ atrocius, nullâ iræ cauſâ vel in ſpeciem ante indicatâ. Perinde enim eſt ſubditis interdicere ne licitum principi ſpondeant obſequium, quod iſte nunc facit; ac ſi obſequij legibus eos ſolueret, imò diſertim præciperet, vt contra principem arma ſumerent, quod faciebat Pius V^tus.

Sed vt ad *Breue* ipſum propius accedamus, in quo plus æquo ſanè ſudat dum iuramentum ipſum verbatim tranſcribit, cuius ſolus titulus ei ſatis erat, nullam ſcilicet aliam meditaſti illius refutationem, niſi vt totum ſimul vna litura deleret: hîc ſanè, vt & in eo quod prius indicaui, quædâ eius erga me apparet inhumanitas, non ſine aliqua in ipſius etiam Catholicos iniuria. Nec enim ex iuramento verba vlla quæ reprehenderet ſelegit; quod ſi feciſſet, paterna mea in ſubditos cura, quibus nollem temere negotium faceſſere, perſuadere mihi potuiſſet, vt ea aut corrigerem, aut interpretatione aliqua lenirem. Catholicos etiam ſuos permagna liberaſſet moleſtia, vt ſi ego recuſaſſem in eo iuramento quicquam mutare, non deeſſet ſaltem ijs detrectantibus excuſationis color, quem ſuæ obtenderent pertinaciæ, quaſi a fide & obſequio Principis haudquaquam deficerent, ſed quòd religioni ducerent in ea verba iurare quæ à Romano Pontifice eſſent damnata.

Nunc audiamus ipſum Tonantem.

CATHOLICIS ANGLIS *PAVLVS PP.* QVINTVS.

Dilecti filij, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Magno animi mœrore nos ſemper affecêrunt tribulationes & calamitates, quas pro retinendâ Catholicâ fide iugiter ſuſtinuiſtis. Sed cùm intelligamus omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio noſtra mirum in modum aucta eſt: Accepimus namque compelli vos grauiſſimis pœnis propoſitis Templa hæreticorum adire, cœtus eorum frequentare, concionibus illorum intereſſe: pro-

Digitized by Google

fectò credimus proculdubio eos qui tantâ conſtantiâ atque fortitudine atrociſſimas perſecutiones, infinitas propemodum miſerias hactenus perpeſſi ſunt, vt immaculatè ambularent in lege Domini, nunquam commiſſuros eſſe vt coinquinentur communione deſertorum Diuinæ legis. Nihilominus zelo Paſtoralis officij noſtri impulſi, & pro Paternâ ſollicitudine quâ de ſalute animarum veſtrarum aſsiduè laboramus; cogimur monere vos atque obteſtari, vt nullo pacto ad hæreticorum Templa accedatis; aut eorum Conciones audiatis; vel cum ipſis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere ſine detrimento Diuini cultus, ac veſtræ ſalutis. Quemadmodum etiam non poteſtis abſque euidentiſſimâ grauiſſimâque Diuini honoris iniuriâ obligare vos Iuramento, quod ſimiliter maximo cum cordis noſtri dolore audiuimus propoſitum vobis fuiſſe præſtandum, infrà ſcripti tenoris; videlicet:

EGo A. B. verè & ſyncerè agnoſco, profiteor, teſtificor & declaro in conſcientiâ meâ coram Deo & mundo, quòd ſupremus Dominus noſter Rex *Iacobus*, eſt legitimus & verus Rex huius regni, & omnium aliorum Maieſtatis ſuæ Dominiorum & terrarum: Et quòd Papa nec per ſe ipſum, nec per vllam aliam auctoritatem Eccleſiæ, vel ſedis Romanæ, vel per vlla media cum quibuſcunque alijs aliquam poteſtatem, vel auctoritatem habeat Regem deponendi, vel aliquorum Maieſtatis ſuæ Dominiorum vel Regnorum diſponendi, vel alicui Principi extraneo ipſum damnificare, aut terras ſuas inuadere auctoritatem concedendi, vel vllos ſubditorum ſuorum ab eorum ſuæ Maieſtatis obedientiâ & ſubiectione exonerandi, aut vllis eorum licentiam dare arma contra ipſum gerendi, tumultus ſeminandi, aut aliquam violentiam aut damnum Maieſtatis ſuæ Perſonæ, Statui, vel Regimini, vel aliquibus ſuis ſubditis infra ſua Dominia offerendi. Item, iuro ex corde, quòd non obſtante aliquâ declaratione, vel ſententiâ Excommunicationis, aut depriuationis factâ vel conceſſâ, aut fiendâ vel concedendâ per Papam vel ſucceſſores ſuos, vel per quamcunque auctoritatem deriuatam vel deriuari prætenſam ab illo, ſeu à ſuâ ſede contra dictum Regem, hæredes aut ſucceſſores ſuos, vel quacunque abſolutione dictorum ſubditorum ab eorum obedientiâ; fidelitatem tamen, & veram obedientiam

Digitized by Google

am ſuæ Maieſtati, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis præſtabo; Ipſúmque & ipſos totis meis viribus contra omnes conſpirationes & attentata quæcunque, quæ contra Perſonam illius, vel illorum, eorumque Coronam & dignitatem, ratione vel colore alicuius ſententiæ vel declarationis, aut aliàs facta fuerint, defendam: omnemque operam impendam reuelare, & manifeſtum facere ſuæ Maieſtati, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis omnes proditiones, & proditorias conſpirationes, quæ contra illum aut aliquos illorum ad notitiam, vel auditum meum peruenerint. Præterea iuro; quod ex corde abhorreo, deteſtor, & abiuro tanquam impiam & hæreticam, hanc damnabilem doctrinam & propoſitionem, Quòd Principes per Papam excommunicati vel depriuati, poſſint per ſuos ſubditos, vèl aliquos alios quoſcunque deponi, aut occidi. Et vlterius credo, & in conſcientiâ meâ reſoluor, quòd nec Papa, nec alius quicunque poteſtatem habet, me ab hoc Iuramento, aut aliquâ eius parte abſoluendi: quod Iuramentum agnoſco rectâ ac plenâ auctoritate eſſe mihi legitimè miniſtratum, omnibuſque indulgentijs ac diſpenſationibus in contrarium renuncio. Hæcque omnia planè ac ſyncerè agnoſco & iuro iuxta expreſſa verba per me hîc prolata, & iuxta planum ac communem ſenſum & intellectum eorundem verborum, abſque vllâ æquiuocatione, aut mentali euaſione, vel ſecretâ reſeruatione quacunque. Hancque recognitionem & agnitionem facio cordialiter, voluntariè, & verè, in verâ fide Chriſtiani viri: Sic me Deus adiuuet.

Quæ cùm ita ſunt, vobis ex verbis ipſis perſpicuum eſſe debet, quòd huiuſmodi Iuramentum, ſaluâ fide Catholicâ, & ſalute animarum veſtrarum, præſtari non poteſt, cum multa contineat quæ fidei ac ſaluti apertè aduerſantur. Propterea admonemus vos, vt ab hoc, atque ſimilibus iuramentis præſtandis omninò caueatis: quod quidem eò acrius exigimus à vobis, quia experti veſtræ fidei cõſtantiam, quæ tanquam aurum in fornace perpetuæ tribulationis igne probata eſt, pro comperto habemus, vos alacri animo ſubituros eſſe quæcunque atrociora tormenta, ac mortem denique ipſam conſtanter oppetituros, potius quàm Dei Maieſtatem vllâ in re ladatis. Et fiducia noſtra confirmatur ex his quæ quotidie nobis afferuntur de egregiâ virtute atque fortitudine, quæ non ſecus ac in Eccleſiæ primordijs, reſplendent nouiſſimis hiſce temporibus, in martyribus veſtris. State ergo, ſuccincti lumbos veſtros in virtute, &

induti loricam iustitiæ, sumentes scutum fidei, confortamini in Domino, & in potentiâ virtutis eius; nec quicquam vos detineat. Ipse autem, qui coronaturus vos certamina vestra in cœlo intuetur, bonum opus quod in vobis cœpit, perficiet. Nostis quia discipulis suis pollicitus est, se nunquam eos relicturum esse orphanos: fidelis enim est qui repromisit. Retinete igitur disciplinam eius, hoc est, radicati & fundati in charitate, quicquid agitis, quicquid conamini, in simplicitate cordis & in comitate spiritus, sine murmuratione aut hæsitatione vnanimes facite. Siquidem in hoc cognoscunt omnes, quia discipuli Christi sumus, si dilectionem ad inuicem habuerimus. Quæ quidem charitas cum sit omnibus Christi fidelibus maximè appetenda; vobis certè, dilectissimi filij, prorsus necessaria est. Hac enim vestrâ charitate diaboli potentia infringitur, qui nunc aduersus vos tantoperè insurgit, cùm ipsa contentionibus atque dissidiis nostrorum filiorum præcipuè nitatur. Hortamur itaque vos per viscera Domini *Iesu Christi, cuius charitate è faucibus æternæ mortis erepti sumus, vt ante omnia, mutuam inter vos charitatem habeatis. Præscripsit sanè vobis præcepta maximè vtilia de fraternâ charitate vicissim exercendâ, fælicis recordationis* Clemens *Papa octauus suis literis in forma Breuis ad dilectum filium* Magistrum Georgium Archi-presbyterum Regni Anglię, *datis die quinta mensis Octobris* 1606. *Ea igitur diligenter exequimini, & ne vlla difficultate aut ambiguitate remoremini. Præcipimus vobis, vt illarum literarum verba ad amussim seruetis; & simpliciter, prout sonant & iacent, accipiatis & intelligatis, sublata omni facultate aliter illa interpretandi. Interim nos nunquam cessabimus Deum Patrem misericordiarum precari, vt afflictiones & labores vestros clementer respiciat, ac vos continua protectione custodiat atque defendat: quos Apostolica benedictione nostra clementer impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, Decimo Calend. Octob.* 1606. *Pontificatus nostri anno secundo.*

RESPON-

RESPONSIO AD PRIMVM BREVE PONTIFICIS.

ANTE omnia mærorem hîc ſuum innuit Potifex, quòd ærumnis, quas religionis cauſâ patiantur in Anglia Catholici, grauiter doleat. Vbi vt manifeſtam illam, qua me impetit, calumniam tantiſper miſſam faciam; ipſa me veritatis conſcientia cogit teſtari neminem vnquam Pontificium quicquam ab Elizabetha Regina religionis cauſâ pertuliſſe, quę paſſi ſunt ſupplicia ipſi ſuis ſibi attraxere ſceleribus, quod ex rerum geſtarum temporibus & cæteris circumſtantijs videre eſt. Antequam enim Pius V^us. excommunicando proſcripſiſſet Reginam, Catholicos verò ſuos ad rebellandum incitaſſet, ſatis conſtat nec effuſum fuiſſe vllius ſanguinem, nec verò cuiquam grauiorem paulò irrogatam pœnam, nec acerbiorem rogatam legem.

Quæ deinde ſequuta ſunt ſi quis affectu vacuus voluerit inſpicere, illinc quidem crebros regni huius inuadendi conatus, peregrina conſilia, domeſticos tumultus, clandeſtinas machinationes, venena, cædes, quotidiana ſcelera, omnia Romanis elaborata officinis, continuas præterea ſubditorum ad defectionem ſollicitationes, partim largitionibus pecuniarijs, partim oſtentata immortalitatis mercede; libros denique conſcriptos à fugitiuis alios ex alijs, publicaque editos auctoritate, ad ſacerrimorum ſcelerum patrocinium, & cætera grauiſſima & innumera facinora: hinc verò iuſtiſſima ſed parca illa tot flagitiorum ſupplicia, næ ille lucemeridiana clarius videbit tam procul fuiſſe beatiſſimæ memoriæ heroinam à perſecutionis infamia, quàm erunt hi Tartarei ſcelerum architecti à martyrij gloria.

Poſtquam defunctæ Manibus iuſta feci, liceat mihi cum Diuo Paulo meam ipſius famam ab innumeris quibus premitur calumnijs aſſerere, & quo me pacto erga Papiſtas ſemper geſſerim bona fide teſtari. hoc ſanctè affirmem, quantacunque demum fuerit (quæ certe fuit maxima) deceſſoris meæ clementia & miſericordia in Papiſtas, meam tamen multo ſemper fuiſſe maiorem; & omnino tantam, vt illius fiducia Pontificij noſtri faſtuoſiores quàm priùs ſuæ religionis libertatem, & iura omnia cum cæteris paria certo certius à me ſibi promitterent; non pauci verò è præſtantiſſimis meis ſubditis indulgentia hac mea perculſi & attoniti continuò præſagirent euentus amaritudinem, qua-

Digitized by Google

lis in Sulphurea coniuratione contigit. Quot ego notiſſimæ contumaciæ Papiſtas in equeſtrem ordinem adlegi? quanta vtriuſque religionis homines æquabilitate admiſi, hoſque & illos omni fauoris & honoris genere ornaui? quàm liber & inoffenſus in aulam meam & comitatum acceſſus omnium ordinum Pontificijs ſemper patuit? & præter cætera, quanta liberalitate & promptitudine multatitiæ pecuniæ illis feci gratiam? Neque ignotum eſt quo pacto ipſe Iudicibus iniunxerim vt damnatorum quoque Sacerdotum vitæ parcerent, addito clementiſſimè edicto, quo Sacerdotibus omnibus necdum cuſtodiâ detentis ante certum diem abeundi è regno copia facta eſt, incarceratis quoque & damnatis veniâ conceſſa. Vnde hi tanquam nihil admiſiſſent ſui iuris facti ſunt, & qui poſt comprehenſi fuere trans mare amandati ſua fruebantur libertate. Dies me citius vel charta deficeret quàm omnia in Pontificios benefacta, in ſingulos, in vniuerſos, collata perdenſerem. qua in enùmeratione ſingulæ lineæ totidem forent Romani Pontificis accuſationes, tanta nimirum ingratitudine tantam compenſantis beneuolentiam.

Atque ita lachrymas omnes ex perſecutionis mærore per Pontificias fluentes genas ſatis (in fallor) abſterſimus. Verùm ille ſi politicæ tantum prudentiæ compos fuiſſet, veritatis licet & iuſticiæ ſecurus, debuerat in hac querela meum & nuperæ reginæ imperium diſtinguere, & potiùs laudando perpetuam facere quam in me cernebat clementiam. Verum etenim illud eſt quod vulgò dici ſolet, apud generoſos animos plurimum quoque poſſe fictam beneuolentiæ imputationem. Eſt autem illa de perſecutione manifeſta calumnia: neque probari poteſt, ex quo ego hoc regnum adij quenquam hominum religionis causâ fuiſſe exutum vita: niſi forte iam ex nouo hoc Pontificis interdicto, quo debitum mihi prohibetur obſequium, iuſta oriatur in multos animaduertendi neceſſitas. quod ſi euenerit, Pontifici imputetur eorum ſanguis, qui vnus eſt eius fundendi auctor.

Alteram illam Pontificij breuis partem, qua vetat ſuos ne noſtras Eccleſias rituſue aut ceremonias frequentent, non fert animus nunc attingere; quùm id mihi negotii tantum dederim vt orbi terrarum illius publicem iniuriam, quòd ſubditos meos à iuſtiſſima obſequij profeſſione auertat.

Cæterùm verba ipſa quibus damnatur iuramentum numero quidem pauca ſed pondere grauiſſima ſunt; nempe, id perſpicuum eſſe debere Catholicis omnibus, *quòd huiuſmodi iuramentum, ſalua fide Catholicâ & ſalute animarum ſuarum præſtare non poſſint; quùm multa contineat quæ ſaluti & fidei apertè aduerſentur.* Huic homini quadrat vetus illud Philoſophi, *Multa dicit ſed pauca probat*, imò vero nihil omnino probat. Nam quod obſequij profeſſio erga Principem fidei & ſaluti ſubditorum

rum aperte aduerſetur eſt ſupra noſtram Theologiam, & peregrinum eſt & inſolens dogma, & eo homine penitus indignum, qui ſe vniuerſalem Epiſcopum, & œcumenicum Chriſtianorum paſtorem cenſet appellandum. Lego non ſemel in ſacro codice Subditorum eſſe Principibus ſuis ſeu bonis ſeu malis etiam conſcientiæ causâ obedire. Vnde & populus aiebat * Ioſuæ, *Quemadmodum Moſi obediuimus in omnibus, ita & tibi obediemus.* Sic * Propheta auctor fuit populo vt obtemperarent Regi Babel: *ſubmittite*, inquit, *colla veſtra ſubter iugum Regis Babel, eique & populo eius ſeruite vt viuatis.* Sic erga Pharaonem ſe geſſerunt * Iſraelitæ, dum peterent ab eo dimitti. Sic erga *Cyrum, dum veniam impetrant reuertendi vt templum exſtruant. In ſumma Apoſtolus vult *omnes ſubdi poteſtatibus *ſuperioribus, etiam conſcientiæ cauſâ.*

*Ioſ.1.17.

*Ierem.2.17.

*Exod 5.1.
*Ezra.1.3.

*Rom.13.5.

Nec à ſacrarum literarum præſcripto abeunt patres. Auguſtinus de Iuliano ſic loquitur: Iulianus, inquit, *extitit infidelis Imperator. Nonne extitit Apoſtata iniquus, idololatra? Milites Chriſtiani ſeruierunt Imperatori infideli. Vbi veniebatur ad cauſſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum, qui in cœlo erat. Quando volebat, vt idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, Producite aciem, Ite contra illam Gentem, ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant Dominum æternum à Domino temporali.* Tertullianus etiam, *Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris: quem ſciens à Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, vt & ipſum diligat, & reuereatur, & honoret, & ſaluum velit, cum toto Romano Imperio, quouſque ſæculum ſtabit. Colimus ergo Imperatorem ſic quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, vt hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt à Deo conſecutum, ſolo Deo minorem. Hoc & ipſe volet: ſic enim omnibus maior eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt.* Iuſtinus Martyr, *Nos ſolum Deum adoramus, & vobis in rebus alijs læti inſeruimus, Imperatores ac Principes hominum eſſe profitentes.* Ambroſius, *Dolere potero, potero flere, potero gemere; aduerſus arma, milites, Gothos quoque lacrymæ meæ arma ſunt. Talia enim munimenta ſunt Sacerdotis: aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere.* Optatus, * *Super Imperatorem non eſt niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem.* * Gregorius etiam ad Mauritium ſcribens de lege quadam, qua milites nondum expleto militiæ tempore vetabantur recipi in monaſteria, *Omnipotenti* (inquit) *Deo reus eſt qui ſereniſſimis Dominis in omne quod agit & loquitur purus non eſt.* Poſtea ſe profeſſus *indignum famulum ſuæ pietatis* deinceps per totam epiſtolam omnis in eo eſt, vt legem illam perinde ac ſentiebat conuincat iniuſtam: demum his verbis epiſtolam concludit, *Ego quidem iuſſioni ſubiectus eandem legem per diuerſas terrarum partes tranſmitti feci: & quia lex ipſa omnipotenti Deo minimè concordet, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam Sereniſſimis Dominis nunciaui. Vtrobique ergo quæ debui exolui qui & imperatori obedientiam præbui & pro Deo quod ſenſi minimè tacui.*

Auguſt. in Pſal. 124.

Tertull. ad Scap.

Iuſtin. Martyr apol. 2. ad Antonin. Imper.

Ambroſ. orat. cont. Auxent.

l. 5. epiſt. Ambr.

Optat cont. Parmen l. 3.

*Greg. mag. epiſt. l. 2 in dict. 11. epiſt. 61.

Iam verò quantum diſcrepet hic veteris ævi Pontifex, qui Imperatoris

toris decreto etiam contra animum suum & conscientiam morem gerit, ab hodiernis illis & nostris, qui licitum illud & ciuile in Principes obsequium subditis interdicunt, penes sit æquum lectorem iudicare.

Concil. Arelat. sub Carolo Mag. can. 26.

Cum Patribus idem sentiunt in decretis suis Concilia. Præsules Concilij Arelatensis totum Concilium subijciunt Imperatori Carolo his verbis: *Hæc igitur Domino Imperatori præsentanda decreuimus, poscentes eius clementiam, vt si quid hic minùs est eius prudentia suppleatur: si quid secus quàm ratio habet, eius iudicio emendetur: si quid rationabiliter taxatum est, eius adiutorio diuina opitulante clementia perficiatur.*

Sed quid ego de Carolo magno loquor, cui non vnum sed sex omnino Concilia, Francofordiense, Arelatense, Turonense, Cabilonense, Moguntinum, ac Rhemense sese penitus submiserunt? Quidni potius œcumenica adferam Concilia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, & quatuor præterea sic vulgo habita, quæ sese in omnibus Imperatoris prudentiæ ac pietati subiecerunt? adeo quidem vt patres Ephesini quater inculcent *se Imperatoris oraculo, nutu, sanctione, & mandato coijsse; iamque ad eius pietatem supplices confugere, vt quæ contra Nestorium & illi consentientes gesta essent, illius potentia rata fierent & valerent*, vt liquidò apparet ex Generalis Concilij Ephesini epistola ad Augustos.

Vid. epist. general. conc. Ephes. ad August.

Quin etiam Christum dixisse lego * *Regnum suum non esse de hoc mundo*, iussisseque vt *quæ Cæsaris sunt Cæsari*, * *quæ Dei darentur Deo.* Et in Theologia hoc mihi hactenus multò semper visum est certissimum, ciuilem eam, quæ Magistratui defertur, obedientiam religioni & saluti animarum nihil aduersari. Quòd verò saluti animarum ea aduersetur, quemadmodum in hoc breui affirmatur, insolens est & nouum dogma & in Christiana Ecclesia nec lectum, nec auditum prius.

* Ioan 18. 36.

* Matth. 22. 21.

Pontifex igitur penes quem est priuilegium non errandi, & nouos quùm libet fidei articulos condendi, meâ quidem sententiâ prius definire debuerat esse hunc vnum è Catholicæ fidei articulis, quàm credendi obediendique necessitatem Catholicis imposuisset. Sed responsionem nostram ad hanc Pontificij breuis partem hoc concludamus delemmate:

„ In rebus temporalibus vel licet obtemperare Principi vel non licet.
„ Si liceat (quod nemo vnquam vocauit in dubium) cur ita iniquus
„ est Pontifex & ferox in Catholicos, vt licitum ijs interdicat obse-
„ quium? Sin æstimet non licere, cur suæ opinionis nullam attulit
„ causam? cur non ijs concedit, vel vt rectius dicam, cur non persua-
„ det ipsis illum regem vt deserant cui obedire non debent?

Ad hortationem Pontificis.

Quòd autem tanta contentione eos hortatur ad constantiam & vt martyrium, cæteraque aduersa propter religionem forti ferant animo; id solum respondeo, si æqua sit & honesta causa quam illis commendat,

Digitized by

dat, neceſſariam quoque videri hortationem eius: ſin, vt eſt & ego modò probaui, futilis ea eſt & vana, tum nulli bono eſſe hortationem eiuſmodi, niſi vt ipſe reum ſe faciat ſanguinis tot ouium ſuarum, quas hîc ſciens volenſque abijcit, non modò vitas, opes & familias vbi nihil opus eſt euertens, verumetiam Papiſtis omnibus fœdam inurens maculam; quaſi fieri nequiret, vt qui Papiſticam religionem ſeriò coleret, Principi alicui fidelis ſubditus eſſe poſſet, vel ſanè illius religionis profeſſio cum debito Magiſtratui obſequio haud quaquam poſſet ſubſiſtere.

Sed calumniæ & vaniſſimi rumores, quos in tam longo itinere hinc ſcilicet Romam vſque creſcere neceſſe eſt, forte os ſubleuerunt Pontifici, feceruntque vt temere & præproperè hoc ad nos breue tranſmitteret. Nam magna illa ciuitas, mundi Domina, & myſtico ſenſu (vt ipſi fatentur) Babylon, non poteſt non plena eſſe rumorum ſuſurris. Nec inſueta res eſt hominibus de iniuria querẽtibus (quales ſunt apud nos illi Catholici) ſuas exaggerare & multiplicare miſerias: vt mirum videri non debeat ſi in ea vrbe iudex aliàs non iniquus, calumniâ tamen circumſcriptus, iniquè iudicet; quod nonnulli ex ipſis Pio V^to. non dubitant accidiſſe, quùm ille in nuperam reginam Elizabetham fulmen excommunicationis exploderet. Et quis ſcit an aliquando eadem ratione excuſaturi ſint duo breuia Clementis octaui paulò ante Reginæ obitum huc miſſa, quibus me, & alios omnes qui noſtram religionem vel profiterentur vel tolerarent, à regno Angliæ excludebat; immemor profecto eorum quæ eodem tempore & pæne vno eodemque ſpiritu mihi promiſerat, & miniſtris quibuſdam meis peregre agentibus ſanctè teſtatus fuerat; quòd ex animo ſcilicet mihi faueret, enixèque daturus eſſet operam vt regni huius compos euaderem. Quin ipſi Pontificij, quùm rem iſtam animaduerterent tam eſſe ab omni diuino humanoque iure & communi ſenſu alienam, perſuaſum habuerunt non fuiſſe hoc breue Pontificis, ſed famoſum libellum in Pontificis odium concinnatum, vel ſane (vt iam diximus) calumniatorum dolis circumuentum Pontificem hoc quicquid erat ſcripſiſſe. Qua in mente erant non rudiores ſolum Papiſtæ, ſed etiam qui eruditionis & prudentiæ famâ inter eos præcellebant: è quorum numero erat & Archipreſbyter. At Pontifex vt hunc ſcrupulum ex ſuorum animis eximeret, alterum breue huc mittere non eſt grauatus, quo priori illi fidem aſtrueret; vt iam intelligatur ſciens volenſque in illud peccatum relapſus, quod aliàs incogitantiæ & delatorum improbitati potuiſſet adſcribi.

Fama vires acquirit eundo.

Euſebius, Oecumenenius, Leo nomine Babylonis (1. Pet. 5. 13.) Romam aiunt intelligi, quod & fatentur Rhemiſtæ.

Vide acta in proditores Sulphurarios, Garnetum & ſocios.

Pontificiorum opinio de breui Pontificis.

Breue illud ita ſe habet.

DILECTI

Digitized by Google

DILECTIS FILIIS CATHOLICIS ANGLIS PAVLVS PP. QVINTVS.

Secundum Breue Pontificium datum decimo Cal. Sept. 1607.

Dilecti filij, Salutem & Apostolicam benedictionem. Renunciatum est nobis reperiri nonnullos apud vos, qui, cùm satis declarauerimus per literas nostras anno superiore, decimo Calend. Octobr. in formâ Breuis *datas, vos tuta conscientia præstare non posse Iuramentum, quod à vobis tunc exigebatur, & præterea strictè præceperimus, ne vllo modo illud præstaretis; nunc dicere audent huiusmodi literas de prohibitione Iuramenti non ex animi nostri sententia, nostráque propria voluntate scriptas fuisse, sed potius aliorum intuitu atque industriâ: eaque de causa ijdem persuadere nituntur, mandata nostra dictis literis non esse attendenda. Perturbauit sanè nos hic nuncius, eóque magis, quia experti obedientiam vestram (filij nostri vnicè dilecti) qui vt huic sanctæ sedi obediretis, opes, facultates, dignitatem, libertatem, vitam denique ipsam piè ac generosè nihili fecistis, nunquam suspicati essemus potuisse vocari apud vos in dubium fidem literarum nostrarum Apostolicarum, vt hoc prætextu vos ex mandatis nostris eximeretis. Verùm, agnoscimus versutiam atque fraudem aduersarij humanæ salutis, eique potius quàm vestræ voluntati tribuimus hanc renitentiam. Eapropter iterum ad vos scribere decreuimus, ac denuò vobis significare, literas nostras Apostolicas anno præterito decimo Calend. Octobr. datas de prohibitione Iuramenti, non solum motu proprio & ex certa nostra scientia, verumetiam post longam & grauem deliberationem de omnibus quæ in illis continentur adhibitam, fuisse scriptas, & ob id, teneri vos illas omnino obseruare, omni interpretatione secus suadente reiecta. Hæc autem est mera, pura, integráque*

integráque voluntas noſtra, qui de veſtra ſalute ſolliciti, ſemper cogitamus ea quæ magis vobis expediunt, & vt cogitationes ac conſilia noſtra illuminet is à quo Chriſtiano gregi cuſtodiendo noſtra fuit præpoſita humilitas, indeſinenter oramus: quem etiam iugiter precamur vt in vobis filijs noſtris ſummoperè dilectis, fidem, conſtantiam, mutuámque inter vos charitatem & pacem augeat. Quibus omnibus, cum omni charitatis affectu, peramanter benedicimus.

Datum Romæ apud S. Marcum *ſub annulo piſcatoris, decimo Calend. Septembr.* 1607. *Pontificatus noſtri anno tertio.* Petrus Stroza.

RESPONSIO AD SECVNDVM BREVE PONTIFICIS.

QVòd ad hoc breue attinet, meritò in authorem ſua retorquentur verba, vt *verſutia & aſtus Satanæ* appelletur. Nam ſi mille annis in hoc incubuiſſet Satanas, vt inſigni aliquo infortunio Pontificios noſtros mactaret, hoc commento nihil reperiſſet vnquam efficacius. Quotquot enim ſacramentum fidelitatis dixerunt, & Laici & Sacerdotes non pauci & ipſe Archipreſbyter, idque ſine reniſu aut hæſitatione; neceſſe nunc habent non modo Principi negare obſequium naſcendi iure debitum, quod ſcrupulorum obtentu in verbis iuramenti excuſari vtcunque potuiſſet; verumetiam iuratum eiurare, imò verò tertia hac vice duo, quæ ante præſtiterunt, iuramenta eiurare: alterum tacitum, quod ipſa naſcendi conditione intelliguntur iuraſſe; alterum manifeſtum, nempe hoc ipſum fidelitatis, quod nihil eſt aliud quàm taciti illius expreſſio. Vnde efficitur Anglorum neminem manere poſſe in Catholica fide, aut ſuę animæ ſaluti proſpicere, niſi eiuret obſequium, quod naſcendi iure debet Principi.

Nec ſatis erat exoleta illa prioris anni breuia nouis hoc anno firmare, niſi etiam (ne quis menſis nedum annus ſine portento nobis efflueret) famoſus ille cõtrouerſiarum compilator Cardinalis Exieſuita Bellarminus literis ſuis ad Archipreſbyterum miſſis oleum adderet incendio, folleſque ſeditionis inflaret, &, vt ſic dicam, currenti perfidiæ calcar ſubderet. Mira res eſt, vt immodicus affectus, & Pontificiæ Monarchię ſtudium viri eruditione clariſſimi mentẽ egerint tranſuerſam.

Literæ eius ſic ſe habent.

ADMODVM

AD MODVM RE-VERENDO DOMINO

D. GEORGIO BLACKVELLO
Archi-presbytero Anglię,

ROBERTVS S.R.E. CARDINALIS BELLARMINVS. S.D.

VEnerabilis in Christo Domine frater, Anni sunt fere quadraginta, quòd inuicem non vidimus: sed ego tamen veteris nostræ consuetudinis nunquam oblitus sum, teque in vinea Domini strenuè laborantem, quandò aliter non potui, orationibus Deo commendare non desiti: me quoque in tua memoria toto hoc tempore vixisse, & in tuis orationibus ad Altare Domini locum aliquem habuisse non dubito. Ita igitur ad hoc vsque tempus non verbis, aut literis, sed opere, & veritate, vt Sanctus Ioannes loquitur, alter in alterius dilectione permansimus. Sed hoc silentium rumpere coëgit nuncius, qui diebus istis de tuis vinculis, & carcere ad nos venit. Qui quidem nuncius, etsi tristis videri poterat ob iacturam pastoralis tuæ sollicitudinis, quam Ecclesia ista fecit: tamen lætus quoque videbatur, quoniam ad Martyrii gloriam, quo dono Dei nullum est fælicius, propinquabas, vt qui tot annis gregem tuum verbo, & doctrina pauisses, nunc exemplo patientiæ glorioſius pasceres. Verùm hanc lætitiam non mediocriter interturbauit, ac ferè corrupit tristis alius nuncius, qui de constantiâ tua in recusando illicito iuramento ab aduersarijs tentata, fortè etiam labefactata, & prostrata succeßit, Neque enim, frater

ter chariſsime, iuramentum illud ideo licitum eſſe potuit, quòd aliquo modo temperatum, & modificatum offerebatur. Scis enim eiuſmodi modificationes nihil eſſe aliud, quàm Satanæ dolos, atque verſutias, vt fides Catholica de primatu ſedis Apoſtolicæ vel apertè, vel obſcurè petatur: pro qua fide tot inclyti Martyres in iſtâ ipsâ Angliâ *ad ſanguinem vſque pugnârunt. Certè enim quibuſcunque verbis iuramentum ab aduerſarijs fidei concipiatur in Regno iſto, eò tendit, vt auctoritas capitis Eccleſiæ à ſucceſſore Sancti* Petri *ad ſucceſſorem* Henrici *octaui in* Angliâ, *transferatur. Quod enim obtenditur de periculo vitæ Regis, ſi ſummus Pontifex eam in* Angliâ *poteſtatem habeat, quam in alijs omnibus Chriſtianis Regnis habet; inane prorſus eſſe, omnes qui ſunt aliquâ prudentiâ præditi facilè vident. Neque enim auditum eſt vnquam ab initio naſcentis Eccleſiæ, vſque ad hæc noſtra tempora, quòd vllus Pontifex Maximus Principem vllum, quamuis hæreticum, quamuis ethnicum, quamuis perſecutorem cædi mandauerit, aut cædem fortè ab aliquo patratam probauerit. Et cur, quæſo, vnus Rex* Angliæ *timet, quod ex tot Chriſtianis principibus nullus timet, nullus timuit? Sed, vt dixi, vani iſti prætextus decipulæ ſunt, & ſtratagemata Satanæ. Qualia non pauca in Hiſtorijs veterum temporum inueniuntur, quæ facilè referre poſſem, ſi non epiſtolam, ſed librum integrum ſcribendum ſuſcepiſſem: vnum tantùm, exempli gratiâ, ad memoriam tibi reuocabo. Scribit Sanctus* Gregorius Nazienzenus *in prima oratione in* Iulianum *Imperatorem, illum vt ſimplicibus Chriſtianis imponeret, in imaginibus Imperatorijs, quas Romani ciuili quodam genere honoris pro more adorabant, imagines* Deorum *falſorum admiſcuiſſe, vt nemo poſſet Imperatoris imaginem adorare, quin ſimul* Deorum *ſimulachris cultum adhiberet. Hinc nimirum fiebat, vt plurimi deciperentur, & ſiqui fortè fraudem ſubodorati, Imperatoris imaginem venerari recuſarent, ij grauiſsimè punirentur, vt qui*

Cæsarem in sua imagine contempsissent. Tale aliquid in Iuramento vobis oblato mihi videre videor, quod ea fraude compositum est, vt nemo possit proditionem in Regem detestari, ciuilémque subiectionem profiteri, quin primatum sedis Apostolicæ perfide abnegare cogatur. Sed Christi serui, ac præsertim primarij Domini *Sacerdotes, vbi periculum Fidei subesse possit, tantum abesse debent à susceptione illiciti iuramenti, vt ab omni etiam suspicione simulationis præstiti iuramenti cauere debeant, ne fidelibus populis vllum præuaricationis exemplum reliquisse videantur. Quod egregie præstitit in signis ille* Eleazarus, *qui neque porcinas carnes comedere, neque simulare comedisse voluit, quamuis grauissima tormenta sibi cerneret imminere: ne, vt ipse ait in secundo libro* Macchabæorum, *multi iuuenum per eam simulationem ad Legis præuaricationem animarentur. Neque minùs fortiter Magnus* Basilius, *& exemplo ad res nostras magis accommodato, cum* Valente *Imperatore se gessit. Nam vt in historia scribit* Theodoritus, *cùm Præfectus Imperatoris hæretici hortaretur Sanctum* Basilium, *vt non vellet propter paruam dogmatum subtilitatem Imperatori resistere; respondit vir ille sanctissimus & prudentissimus, non esse ferendum, vt de Diuinis dogmatibus, vel vna syllaba corrumpatur, sed potius pro eorum defensione omne genus supplicij amplectendum. Equidem arbitor non deesse apud vos, qui dogmatum subtilitatem esse dicant, quæ in Iuramento Catholicis hominibus proposito continentur: & non esse propter rem tam paruam Regis Imperio reluctandum. Sed non deerunt etiam viri sancti, ac magno* Basilio *similes, qui palàm affirmabunt, non esse de* Diuinis *dogmatibus, vel minimam aliquam syllabam corrumpendam, etiamsi tormenta & mors ipsa toleranda proponatur. Inter hos vnum, vel potiùs horum Principem atque anteſignanum te esse par est. Et quamuis vel inopinata comprehensio, vel acerbitas persequutionis, vel senectutis imbecillitas, vel*

quid

quid aliud in cauſſa fuerit, vt conſtantia titubauerit; confidimus tamen de Domini pietate, & de diuturna tua virtute, fore, vt qui Sancti Petri *& Sancti* Marcellini *caſum aliqua ex parte imitatus videris, eorundem fortitudinem in reparandis viribus & veritate aſſerenda fæliciter imiteris. Nam ſi rem totam diligenter apud te cogitare volueris, videbis profectò non eſſe rem paruam, quæ ob Iuramentum iſtud, in diſcrimen adducitur, ſed vnum ex præcipuis Fidei noſtræ capitibus, ac religionis Catholicæ fundamentis. Audi enim quid Apoſtolus veſter magnus* Gregorius *in Epiſtolâ quadrageſimâ ſecundâ libri vndecimi ſcribat:* Apoſtolicæ ſedis reuerentia nullius præſumptione turbetur: tunc enim membrorum ſtatus integer perſeuerat, ſi caput Fidei nullâ pulſetur iniuriâ. *Itaque Sancto* Gregorio *teſte, cùm de primatu ſedis Apoſtolicæ vel turbando, vel minuendo, vel tollendo ſatagitur, de ipſo capite Fidei amputando, ac de totius corporis, omniúmque membrorum ſtatu diſſipando ſatagitur. Quod ipſum Sanctus* Leo *confirmat in ſermone tertio de aſſumptione ſuâ ad Pontificatum, cùm ait,* Specialis cura *Petri* à Domino ſulcipitur, & pro fide *Petri* propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. *Ex quo idem ipſe in Epiſtolâ ad Epiſcopos* Viennenſis *prouinciæ affirmare non dubitat,* neceſſe eſſe èxortem illum myſterij eſſe Diuini, qui auſus fuerit à *Petri* ſoliditate recedere. *Qui rurſum ait,* Quiſquis huic ſedi principatum exiſtimat denegandum, illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuę ſemetipſum in inferna demergit. *Atquè hæc quidem, & alia eiuſdem generis multa tibi notiſſima eſſe certò ſcio, qui præter cæteros libros, viſibilem monarchiam* Sanderi *tui, ſcriptoris diligentiſſimi, & de Eccleſia* Anglicanâ *optimè meriti, ſæpe legiſti: quique ignorare non potes, ſanctiſſimos viros, eoſdemq; doctiſſimos,* Ioannẽ Roffenſem,

& Thomã Morum *pro hoc vno grauissimo dogmate duces ad Martyriũ plurimis alijs, cum ingenti* Anglicę *nationis gloria, nostra memoria fuisse. Sed ad memoriã tibi reuocare volui, vt colligas te, & magnitudinem rei considerans, non tuo iudicio nimiùm fidas, neque plus sapias quàm oportet sapere; & si fortè lapsus tuus non ex inconsideratione, sed ex infirmitate humanâ, ex metu carceris, & suppliciorum profectus est, non anteponas libertatem temporalem libertati gloriæ filiorum Dei: neque ob momentaneam, & leuem tribulationem fugiendam, amittere velis æternum gloriæ pondus, quod ipsa tribulatio operatur in te. Bonum certamen diu certâsti, cursum fermè consummasti, fidem tot annis seruasti; noli igitur tantorum laborum præmia tam facilè perdere; noli corona iustitiæ, quæ tibi iamdudum paratur, te ipse priuare; noli tot patrum & filiorum tuorum vultus confundere. In te sunt hoc tempore coniecti oculi totius Ecclesiæ, quin etiam spectaculum factus es mundo, Angelis & hominibus: noli in extremo actu ita te gerere, vt & tuis luctum, & gaudium hostibus relinquas. Sed contrà potiùs, quod omnino speramus, & pro quo ad Deum nostrum assiduè preces fundimus, vexillum Fidei gloriosè erigas, & quam contristaueras, lætam facias Ecclesiam: nec iam solùm veniam mereari à Domino, sed coronam. Vale, viriliter age, & confortetur cor tuum. Romæ, die 28. Septembris 1607.*

Reuerendæ admodum D. V. frater & seruus in Christo Robertus *Cardinalis* Bellarminus.

RESPON-

RESPONSIO AD LITERAS CARDINALIS.

SIquidem igitur harum literarum refutatione cum eo collaturus sim pedem, testari prius necesse habeo nihil me huius facere vt ex tanti viri magnitudine mihi gloriam quæram, sed religionis solius & conscientiæ causâ; ne velut inaurata catapotia deuorent homines Circæa hæc illius carmina, tam veri omnis inania, quàm exterioris eloquentiæ fuco speciosa; neu calumniarum & mendaciorum nebulis mea obscuretur fama, simplicesue homines & incauti trahantur in errores, ipsaue denique veritas periclitetur silentio.

Priusquam autem singula huius epistolæ refutare aggrediar, quis mecum non miretur tantopere aberrasse à scopo virum tam eruditum, vt per literas elaboratissimas quęstionem à præsenti negotio prorsus alienam refutarit? Apparet iam transfugas nostros, de quorum familiaritate ita gloriatur, sic illi inculcasse iuramentum Primatus, quod tanto semper Papistis fuit terriculo; vt quùm instituisset Iuramentum fidelitatis refellere, in illud inuectus sit quod eius animo præcipuè insederat; eorum more, qui aliud agentes aliud cogitantes sæpenumero pro eo quod agunt nominant id quod cogitant. Vt enim Primatus Iuramento voluerunt maiores nostri Pontificios à nostræ religionis hominibus secernere, ita hoc Iuramento, quod ille videri vult refellere, secerni volumus Papistas pacis & Reipublicæ amantes à Sulphureæ coniurationis riualibus. At ille per totam Epistolam indignatur eò per vim adigi Catholicos, vt successorum S. Petri authoritatem negent, ijsque Henrici octaui successores sufficiant. Nam Iuramentum Primatus ab Henrico octauo introductum fuit, & vna erat ex causis cur Thomas Morus & Roffensis episcopus illius regis iussu vitam amiserint. nam in eam formulam iurare noluerunt. Ex eo tempore apud omnes Principes, qui nostrarum partium fuere, integra & illibata mansit eius iuramenti vis, quæ tota in hoc est vt Regis potestatem summam faciat in omnes omnium personas, Clericorum Laicorum; peregrinos verò Principes aliasque quascunque potestates ex his regnis excludat. Cui nihil simile habet nouissimum hoc nostrum iuramentum, quùm non agat nisi de ciuili obsequio in rebus ciuilibus Principi à subditis debito.

Et vt manifestius appareat eum, licet nomine tenus posterius im-

Digitized by Google

probet iuramentum, totum tamen esse in refellendo priore, visum mihi est iuramentum primatus verbatim hîc describere; permissa æquo Lectori iudicandi libertate an non hoc reuera illud sit, quod sub larua alieni nominis refellit Bellarminus.

EGo A. B. *palàm testor, & ex conscientiâ meâ declaro, quòd Maiestas Regia, vnicus est supremus gubernator huius Regni, omniumque aliorum suæ Maiestatis Dominiorum ac territoriorum, tàm in omnibus Spiritualibus siue Ecclesiasticis rebus aut causis, quàm in temporalibus: & quòd nullus extraneus Princeps, Persona, Prelatus, Status, aut Potentatus, habet aut habere debet vllam Iurisdictionem, potestatem, superioritatem, præeminentiam, vel auctoritatem Ecclesiasticam siue Spiritualem infra hoc Regnum; & proinde renuncio penitùs, & reijcio omnes extraneas Iurisdictiones, potestates, superioritates, & authoritates: Et promitto, me deinceps fidem, & veram obedientiam Regiæ Maiestati, eiúsque Hæredibus, ac legitimis Successoribus præstiturum: & pro virili meâ adiuturum ac propugnaturum omnes Iurisdictiones, priuilegia, præeminentias, & auctoritates Regiæ Maiestati, Hæredibus suis, ac Successoribus concessas, vel debitas, siue Imperiali huius Regni Coronæ vnitas & annexas. Ita me Deus adiuuet, & per huius libri contenta.*

VT autem non solùm appareat quantum ille a quæstionis statu, verumetiam ab ipsa æquitate recesserit, visum est quoque Iuramento huic primatus propositiones subijcere, illis, ex quibus Iuramentum fidelitatis compositum est, contrarias: ne quem scilicet lateat, quantam in perfidiam & læsæ Maiestatis scelera subditos meos inducere satagit, dum illis hoc iuramentum dissuadet. quisquis enim in eam formulam recuset iurare, eum aut omnes aut quasdam ex sequentibus propositionibus necesse erit tueri.

1. *Quòd ego Iacobus non sim rex legitimus huius regni, aliarumque omnium mearum ditionum.*

2. *Quòd Papa vel suâ, vel Ecclesiæ, vel Romanæ sedis authoritate, vel aliqua alia ratione me possit dignitate regia priuare.*

3. *Quòd Papa de meis regnis & ditionibus pro suo arbitrio possit statuere.*

4. *Quòd*

4. *Quòd Papa externo alicui Principi ius posſit concedere meas ditiones inuadendi.*

5. *Quòd Papa ſubditos meos à fide & obſequio mihi debitis posſit abſoluere.*

6. *Quòd Papa vni aut pluribus ſubditorum meorum ius concedere posſit arma contra me ſumendi.*

7. *Quòd Papa ſubditis meis ius posſit concedere me ipſum, aut poteſtatem meam, aut alios è ſubditis meis violandi.*

8. *Quòd ſubditi mei non teneantur perſtare in fide & obſequio erga me, ſi quando fuero excommunicatus.*

9. *Quòd ſubditi mei perſonam meam, vel imperium non teneantur pro viribus defendere, ſi quando Papæ ſententia vel excommunicatus fuero vel depoſitus.*

10. *Quòd ſubditi mei propter excommunicationis ſententiam à Pontifice aduerſus me quandocunque latam non teneantur coniurationes aduerſus me, & proditiones ſibi notas detegere.*

11. *Quòd nec hæreticum ſit nec deteſtabile, ſi quis putet Principes à Papa excommunicatos poſſe à ſuis ſubditis aut alijs quibuſcumque regno vel vita exui.*

12. *Quòd Papæ liceat ſubditos meos ab hoc iuramento aut aliqua eius parte abſoluere.*

13. *Quòd nec legitimè nec plena authoritate à ſubditis meis exigatur hoc iuramentum.*

14. *Quòd iuramentum hoc ſuſcipiendum ſit cum æquiuocatione, cum mentali euaſione, aut tacita reſeruatione, & non ex animi ſententia atque ex intimo pectore in vera fide hominis Chriſtiani.*

PRopoſitiones ex quibus conſtat iuramentum ſunt his per contradictionem oppoſitæ, nec ad Pontificis in rebus ſpiritualibus Primatum vllatenus pertinent, nec in generali aliquo plenoque Concilio vnquam iudicatæ ſunt ad illius auctoritatem pertinere. quin & inter ipſos Doctores Scholaſticos inextricabile etiamnũ eſt de his certamen.

Atque vt orbi terrarum magis adhuc innoteſcat neque nos neque regni noſtri ordines primos fuiſſe huius iuramenti inuentores, ſed à diuini verbi auctoritate pendere, & exemplo niti iuramenti veteris in celeberrimo Concilio mille abhinc annis præſcripti, nedum vt in eo Concilio vel alijs permultis vnquam fuerit damnatum, vt noſtrum nunc fuit à Romano Pontifice: viſum eſt mihi eorum Antiſtitum hac de re verba ſubijcere, vt conſtet nihil à ſubditis meis in hoc iuramento peti, quod non ab omnibus hominibus antiqui canones diſertis verbis & ſollicitè præceperunt fieri. Quin & ipſam *Æquiuocationis* fraudem, quam nos in noſtro iuramento tanta cum cura proſcripſimus, vetera quoque Concilia pari diligentia & cautione excluſerunt. adeo fere

Iuramentum fidelitatis nititur auctoritate veterum Conciliorum.

Æquiuocatio ab ijsdem proſcribitur.

in

Digitized by Google

ta reperiatur violasse voluntate profanâ, mox propriâ dignitate priuatus, & loco, & honore habeatur exclusus.

Iuramento huic occasionem præbuit perfidia, cuius suspecti erant in Principes suos Christiani qui aut iurare æquiuocè aut quod iurassent perfidè solerent violare; vt ex varijs illius Concilij verbis videre est: * *Multarum quippe gentium, vt fama est, tanta extat perfidia animorum vt fidelitatem Sacramento promissam Regibus suis obseruare contemnant, & ore simulent iuramenti professionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem.* Ac Rursus; *Iurant enim Regibus suis, & fidem quam pollicentur præuaricantur: nec metuunt volumen illud iudicij Dei per quod inducitur maledictio, multáque poenarum comminatio super eos qui iurant in nomine Dei mendaciter.* Eòdem spectant quæ in Concilio Aquisgranensi habentur: *Si quisquam Episcoporum* (inquiunt) *aut quilibet sequentis ordinis Ecclesiastici, deinceps timore, aut cupiditate, aut qualibet suasione, à Domino & orthodoxo Ludouico Imperatore defecerit, aut etiam Sacramentum fidelitatis illi promissum violauerit, & eius contrarijs maleuolâ intentione se copulauerit, gradum proprium cononicâ atque Synodali sententiâ amittat.*

Concil. Tolet. 4. can. 74.

Concil. Aquisgran. sub Ludouico pio. & Greg. 4. can. 12. anno 836.

Nunc verò vt illius Epistolæ singillatim respondeam, & imprimis ad suauem illam veteris cum Archi-presbytero necessitudinis memoriam; fieri quidem potest vt ipsi recolenti suauis ea videri possit, at mihi liquet illius cum hoc homine eiusque socijs, transfugis nostris, amicitiam (de qua in prima Controuersiarum suarum præfatione gloriatur) nobis & regno huic amarissimam accidisse. Nonnulli enim ex illis Sacerdotibus & Iesuitis, * qui ipsi aut proditores patriæ aut coniurationum in nuperam Reginam conscij fuere, Patrem Robertum Bellarminum inter præcipuos suos authores & oracula nominabant. Neque illi inuideo honorem, quem ex venditatione interioris amicitiæ cum alieni Principis fugitiuis & perduellibus consequatur; quos nisi melioribus quàm hactenus fecit moribus imbuerit, profectò de Iesuitica Societate parum bene merebitur. Quòd autem ab Archi-presbytero contendit vt in precibus ad altare Domini velit esse ipsius memor; certè si Blacuelli preces tam futuræ sint illius animæ inutiles, quàm verisimile est Blacuelli animæ & corpori fore illius consilium, modò illud sequatur; posset vtiq; Cardinalis æquo animo ferre earum precum iacturam.

* Campianus & Hartus. Vide colloquium habitum in turre Londinensi.

Primus autem, qui lætum hunc de Archi-presbytero nuncium ad Bellarminum pertulit, is ipse (ni fallor) erat, qui comprehensum Archi-presbyterum & martyrio proximum indicauit. egregium vero charitatis signum in Cardinale, quòd veteris & dilecti amici audita apprehensione, incarceratione, & mortis periculo, tantopere exultauerit. At priùs certò cognitum oportuit solam religionem causam dedisse supplicio, quàm se martyrij expectatione tam immodicè titillaret.

* Charitas Domini Cardinalis.

ret. Nam quæ obſecro charitas hoc illi permiſit, vt me perſecutoris infamiâ oneraret antequam ex Archi-preſbyteri damnatione & morte vllum eius rei argumentum ſuppeteret? vnde nouerat non ideo captum Archi-preſbyterum quòd coniurationis ſulphureæ conſcius videretur? Vnde reſciuerat acculationis quæ intentanda erat capita? denique vnde nomen criminis diuinauerat? nec dum enim quicquam illi obiectum fuerat.

Tum ſi charitas ſuſpicioſa eſſe non debet, quid erat cur me tyrannidis & perſecutionis tam fidenter arceſſeret; cui crimini non poteram non affinis eſſe ſi martyr futurus erat Blakwellus? Verùm de Bellarmino iure hic vſurpatur quod de huius ſæculi hominibus pronunciauit Chriſtus Seruator noſter, quibus ſatis videtur amicos ſuos diligere cum inimicos habeant odio. nec enim hæc Cardinalis noſtri pietas vltra ſuæ ſectæ populares progreditur. Nam quantum ſuperfluæ charitatis adiecit Blakwello, dum ſuam ex venientis martyrij opinione voluptatem profitetur: tantum mihi præter ius charitatis & fas omne detraxit, dum cruenti perſecutoris me grauat inuidiâ.

*Matth 5.43.

Quòd autem interruptum hoc ſcribit gaudium ex ſequentis nuncij appulſu, qui Archi-preſbyteri conſtantiam præſtito iam iuramento retulit labefactatam, nihil habuit Cardinalis neceſſe alterutrâ ob cauſam percelli, vel priore gaudio vel ſecuto hoc mœrore, vtroque pariter videlicet ex falſis orto principijs. Nam nec ea mihi mens vnquam fuit vt Blakwellum, aliumue religionis nomine affligerem: nec Blakwelli conſtantia hoc dicto iureiurando labefactata fuit. Ille cùm ſui iuris eſſet rem eam ſemper æquiſſimam & iuſtiſſimam ipſe æſtimârat, & Catholicos omnes ad obſequium inuitarat: captus verò ſine hæſitatione aut mora cum primum iubebatur iurauit in verba, vt legitima & ſancta; nullis noſtris aut minis compulſus, aut illecebris adductus, vt ipſe de ſe teſtari poterit.

Quòd verò iuramenti modificatione aut temperamento offenditur Bellarminus, ego quid hac crimination ſibi velit non ſatis aſſequor, niſi forte id reprehendit, res legitimas & iuſtas legitimis iuſtiſque & idoneis verbis exponi. Nulla ibi cernitur aut modificatio aut temperamentum, quod Satanæ dolus abſque calumnia dici queat; quùm res ipſa in ſe planiſſima ſit; & iuraturis omnibus tanta interpretationis perſpicuitate expoſita, vt moleſtum nihil habeat niſi illa in fine verba, quibus æquiuocationis & mentalis reſeruationis fallacia exploditur. quod nouum & recens Romano-Catholicæ religionis dogma potiore iure inter ſtratagemata Satanæ numerabitur, quàm perſpicua & plana de rebus clariſſimis oratio.

Sed quid de peregrinæ ruſticitatis hominibus dicemus, quos cum Satyro meritò indignemur ex eodem ore calidum ſimul ſpirare & frigidum?

Digitized by Google

gidum? Luterum & cæteros noſtrarum partium audaciores liberioreſque Theologos acerbiſſimè inſectabantur, vt cerebroſos & Diabolico afflatos ſpiritu: noſter de ijs ſermo quia modeſtior eſt & temperatior, Satanæ dicitur ſtratagema. Itaque non iniuria cum Chriſto conquerimur non ſaltare eos canentibus nobis, nec mærentibus collachrymari. His nec Iohannis Baptiſtæ ſeueritas placeat, nec Chriſti lenitas: quorum omnis in eo labor eſt, non vt ædificent Chriſto ſuper fundamentum verbi & infallibilis veritatis, ſed vt ſæcularem Monarchiam ſuis fulciant traditionibus. Matth. 11. 17.

Sed quid illud ſit in quo appareat Satanæ verſutia ad fidem ſcilicet Catholicam & primatum St. Petri euertendum, ipſo Bellarmino egebat interprete. Neque enim in tota Epiſtola vel verbo demonſtrat St. Petri primatum in iuramento vllibi attingi, niſi forte ſufficiat quod Dominus Bellarminus *cum 194.* quod tanti mihi non videtur vt abſque omni probatione cuiquam cordatiori debeat ſatisfacere. Cælum & terra, meo iudicio, non magis diſtant, quàm ciuilis obſequij profeſſio & Catholica fides vel St. Petri primatus. Ecquid enim eſt, obſecro, in eo iuramento quod cum Catholica fide vel religione quòquam modo commune ſit? An qui in ea verba iurat profitetur ſe religionis articulum aliquem aut credere aut non credere? An Eccleſiam ſemel nominat, ſeu veram ſeu falſam? Nullus fidei articulus definitus in iuramento fidelitatis.

Quòd ad St. Petri Primatum, ignoro ego cuius Apoſtoli nomen in eo iuramento ſcriptum ſit, excepto Iacobi, quod mihi in Baptiſmi lauacro impoſitum fuit; etſi Cardinalis in epiſtola illa, quæ tota de me erat, eo me nomine nuſquam dignetur. Sic nec apertè nec occultè vlla eſt vel hierarchiæ Eccleſiaſticæ, vel ſedis Apoſtolicæ, vel ſucceſſionis St. Petri, vel vllius rei ſimilis in eo iuramento mentio. Quanquam author epiſtolæ ſucceſſionis St. Petri egregie ſanè meminerit, eamque cum Henrici octaui ſucceſſione graphicè contulerit; cuius ineptæ & malè moratæ comparationis miror eum non puduiſſe. Quòd enim ad ſucceſſorem Henrici octaui, quo nomine me intelligit; nunquam ego poteſtatem arrogaui nouos fidei articulos cudendi, aut de ijs iudicandi; nec in poſterùm facturus ſum. ſed animus eſt ijs me minorem gerere, & obediendo cunctis præire, pari cum infimis modeſtia. Quòd ſi Pontifex ſuam a D. Petro vel doctrinæ vel perſonæ ſucceſſionem tam certò poſſet deducere, quàm ego meam ab Angliæ & Scotiæ regibus progeniem; non tam diuturna foret nec tanta in Chriſtiano orbe eam ob rem contentio: nec tantum papyri vexaſſet *Bellarminus *de Romano Pontifice* in decumanis illis controuerſiarum voluminibus; vt omnibus quæ potuit allatis nihil aliud in fine definiret, niſi *moraliter certum eſſe*, quod diſputabat, & illud ſuum *piè eſſe credendum*; poſtquam etiam ipſos *Pontifices ſua in cauſa teſtes feciſſet, quorum tamen hiſtorica

*Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 6. ibid. l. 2. c. 12.

*Ibid. l. 2. c. 14.

rica narratio in articulum fidei tranſire haudquaquam poteſt. Illud citra iactantiam confirmo me maiorum meorum virtutibus propius inhærere, quàm euinci poſſunt D. Petro ſimiles Romani Pontifices, præſertim cum anathemate feriunt Principes, eorumque ſubditos fidelitatis ſoluunt iureiurando.

Validiſſimum Cardinalis argumentum.

Sed nunc ad præcipuum eius argumentum deuentum eſt, vbi me panico ſed ſuperuacaneo terrore correptum ſcribit. *Nec enim vnquam auditum eſt, ait, ab initio naſcentis Eccleſiæ vſque ad hæc noſtra tempora, quod vllus Pontifex principem vllum quamuis hæreticum, quamuis Ethnicum, quamuis perſecutorem cædi mandauerit, aut cædem forte ab aliquo perpetratam probauerit.*

Verùm primò cur cætera iuramenti ſciens volenſque tranſilijt, abdicationes, & deiectiones regum, coniurationeſque & rebelliones in eos concitatas; quorum omnium non minùs quàm necis iniecta eſt ibi mentio quandoquidem omnia eodem redeant, nec quiſquam inueniatur tam ſcrupuloſus qui vnum ex his aduerſus Regem tentare auderet, cætera verò ſi facultas adeſſet non auderet? Nec tamen vitio illi verto, quod omnia ſicco pede tranſierit. aliàs enim effugere non poterat quin diſertis verbis ſe ipſum argueret mendacij: quod nunc reipſa tantum non verbis facit. Tam magnificè enim in *prioribus libris deiectiones Principum & abdicationes oſtentauit, vt ſalua pudoris & probitatis opinione id hîc rurſus inficiari non potuerit.

*Bellarm. de Rom. Pont. l. 5. c. 8. & lib. 3. c. 16.

Nec tamen (vt eo quò vult reuertamur) videre poſſum, qua fronte ſic mordicus neget probatas vnquam fuiſſe Romano Pontifici cædes Principum. Quot imperatoribus eius opera inteſtinum commotum eſt bellum, quorum ea erat conditio vt occidi poſſent ſi vincerentur? nec id opinor refragante *Pontifice, quum ita Henrico *V^to. ſuccenſuerit, quòd patrem ſuum in cuius perniciem eum excitârat ſepulturæ honore donaſſet.

*Paſchali. 2. *Gotefrid. Viterbienſ. Helmod. Cuſpin.

Sed vetuſtioribus hiſtorijs relictis Bellarmino, in cuius libris tantâ (vt dixi modo) narrantur fide, conuertamus oculos in noſtra tempora, memores orationis panegyricæ habitæ a Pontifice in laudem Monachi qui Henricum tertium Galliarum regem confodit, Principem ipſorum iudicio ab hæretici vel Ethnici vel Perſecutoris infamia tam longè remotum, vt Pontifex ipſe in ea oratione dixerit *fictum Monachum fuiſſe occiſum à vero.* Sed præter feruentiſſimam hanc orationem, & gratulationem de ſcelere, quàm parum abfuerit hic ſicarius à conſecrationis gloria & noui cælitis honore, Bellarmino eiuſque ſequacibus notius eſt quàm nobis. Et ni Cardinalium quorundam cautior interceſſiſſet prudentia, poſſemus iam haud dubie ex ipſo Pontificis Kalendario Bellarminum conuincere mendacij.

Vide orationem Sixti Vti. habitam in conſiſtorio ſuper morte Henrici 3.

Et vt domeſtica non negligamus, quot machinationes, quot inſidię in

in nuperæ reginæ vitam ſtructæ fuere, eæque ab ijs parricidis quibus id negotij dederunt Confeſſarij, ipſo Papa authore? Ad cuius rei fidem vel id ſatis eſſe debet, quòd ex eo tempore vſque in hodiernum diem nemini Eccleſiaſtico lis mota ſit à Pontifice propter coniurationum eiuſmodi communionem. cuius rei Sanderus ille, quem Cardinalis in epiſtola ſua honoris cauſâ nominat, teſtis eſt locupletiſſimus: nec alio dogmatum genere refertos eſſe eius libros deprehendet, quiſquis inſpexerit. Quantum autem hæc à ſe diſtent [Regem occidere cædemue eius probare & alios in eorum vitam concitare inſidiaſque tactas gratas habere] ipſum Bellarminum Iudicem appello. Non obſcurum eſt igitur quantopere hunc hominem affectus impotentia ſui ipſius fecerit immemorem, vt & contra animum ſuum, & priorum librorum teſtimonium, & noſtri temporis conſuetudinem ipſe ſecum pugnaret.

Verum quis illum ſibi hoc in negotio miretur contradicere, cum grandia illa volumina vndique ſcateant contradictionibus, quas vbi ipſe vel alius conciliauerit, credam quoq; præfractam & impudentem illam in hiſce literis negationem [quod nihil vnquam aduerſus reges tentarit Romanus Pontifex] cum eius quos dixi libris poſſe conciliari.

Et ne videar eum imitari ſtrenuè affirmando quod confirmare non poſſim, ad libros eius Lectorem remittam, vt ex ſubiectis locis ipſemet ſuarum contradictionum teſtis citetur.

In libris de iuſtificatione [a] *propter incertitudinem* (inquit) *propriæ iuſtitiæ, & periculum inanis gloriæ, tutiſſimum eſt fiduciam totam in ſola Dei miſericordia & benignitate reponere.*

a Bellar. de Iuſtif. lib. 5. c. 7.

Quæ propoſitio toti tractatui & ſenſui quinque librorum de iuſtificatione vnde ſumitur è diametro oppoſita eſt.

Deus [b] *non inclinat hominem ad malum, neque phyſicè, neque moraliter.*

b Bell. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati l. 2. c. 3.

Mox contrarium ait *Deum inclinare quidem ad malum, non phyſicè, ſed tamen* [c] *moraliter.*

c Idem paullo poſt.

Epiſcopos [d] *Apoſtolis ſuccedere, Presbyteros autem ſeptuaginta Diſcipulis, docent conſtanter omnes Patres.*

d Bell de Clericis lib. 1. cap. 14.

Alibi contrarium [e] affirmat, *Epiſcopos non propriè ſuccedere Apoſtolis.*

e Bell. de Pontif. l. 4. c. 25.

Alicubi *Iudas*, inquit, *non* [f] *credidit.*

f Bell. de Pontif. l. 1 c. 12.

Alibi verò *Iudas* [g] *iuſtus fuit, & certè bonus.*

g Bell. de iuſtif. l. 5 c. 14.

Obſeruatio Legis [h] *ſecundùm ſubſtantiam operis requirit, vt ſic Præceptum obſeruetur, vt peccatum non committatur, & non fiat homo reus ob Præceptum non impletum.*

h Bell de iuſtif. l. 4. c. 14.

Contrà, *ſciendum* [i] *eſt*, inquit, *non eſſe omnino idem facere bonum morale, & obſeruare Præceptum ſecundùm ſubſtantiam operis: poteſt enim ſeruare præceptum ſecundùm ſubſtantiam operis, etiam cum peccato.*

i Bell. de gratia & libero arb. l. 5. c. 5.

 k.

* Bell. de Pontif. l. 4. c. 3. *Petrus* * *non amisit eam fidem, quâ corde creditur ad iustitiam.*

a Bell. de iust. l. 4. c. 14. Contrà, *Petri* [a] *peccatum fuit lethale.*

b Bell. de Pont. l. 3. c. 14. *Antichristus* [b] *Magus futurus est, & more aliorum Magorum occultè Diabolum ipsum adoraturus.*

c Ibid. ex seuten Hyrol. & Cyrill. & cap. 12 eiusdem libri. At contra, [c] *Abhorrebit ab idololatriâ, execrabitur atque oppugnabit idola, denique templum denuò ædificabit.*

d Bell. l. 1. de miss. cap. 17. *Verbis* [d] *consecrationis, vera & solennis oblatio celebratur.*

e Bell. de miss. l. 2. c. 12. Contrà, [e] *Sacrificij oblatio magis in re quàm in verbis consistit, & illa actio quà corpus Domini super altare ponitur, vera & realis oblatio est.*

f Bell. de anima Christi. l. 4. c. 5. *Mundi* [f] *finis non potest sciri.*

g Bell. de Pōti. l. 3. c. 17. Contrà, [g] *Post Antichristi mortem non futuri sunt nisi quadraginta quinque dies, vsque ad mundi finem.*

h Bell. de Pontif. l. 3. c. 13. *Decem* [h] *Reges comburent purpuream meretricem, id est, Romam.*

i Bell. ibid. Contrà, [i] *Antichristus Romam odio habebit, & pugnabit contra eam, & comburet.*

k Bell. de Pontif. l. 2. c. 31. *Duobus modis* [k] *intelligi potest nomen* VNIVERSALIS EPISCOPI: *vno modo, vt ille qui dicitur* VNIVERSALIS *intelligatur esse solus Episcopus omnium vrbium Christianarum, ita vt cæteri non sint Episcopi, sed Vicarij tantùm illius, qui dicitur Episcopus vniuersalis: quo sensu Papa non est vniuersalis Episcopus.*

l Bell. de Pontif. l. 2. c. 24. Contrà, [l] *Omnis ordinaria iurisdictio Episcoporum descendit immediatè à Papâ, & est in eo, & ab eo in alios deriuatur.*

Quæ ego selegi pauca è multis vt prudens lector Leonem, quod aiunt, ex vngue. hic hominis mos est vt quoties graui aliquo argumento premitur non curet omnino, nec meminerit an cum cæteris quæ alibi scripserit bellè concinat responsio, dummodo ad præsentem tempestatem quomodocunque declinandam inseruiat.

Nunc autem vt eò redeamus vnde digressi sumus: *Ab initio* (inquit) *nascentis Ecclesiæ vsque ad nostra hæc tempora nunquam auditum est, quòd vllus Pontifex Maximus Principem vllum quamuis hæreticum, quamuis Ethnicum, quamuis persecutorem cædi mādauerit, aut cædem fortè ab aliquo patratam probauerit. Et cur quæso vnus Rex Angliæ timet quod ex tot Christianis Principibus nullus timet, nullus timuit?*

m Henr. 4. n Abbas Vsperg. Lamb. Schaff. anno 1077. Platin. in vita Greg. 7. o Frederic. Barbarossa. p Naucler. gener. 4 Iac. Bergom. in Supplem. chr. Alfons. Clacon. in vita Alexand. 3. q Henr. 6. r Rich. Houeden in Rich. 1. Ranulf. in Polychron. l. 7.

Nullus igitur Christianorum Principum vnquam sibi metuit à Pontifice? vnde ergo factum est vt miseri isti Imperatores ita fuerint à Pontifice iactati vexatique, & demum ad extremum compulsi exitium, cuius rei testem citauimus ipsum è libris suis Bellarminum?

Non ille sibi metuebat [m] Imperator, qui nudo [n] pede in niue & gelu totum triduum prius stetit ad ianuam Pontificis quàm admissus est? [o] Non ille, qui pronus [p] humi iacuit, vt alteri Pontifici ceruicem præberet calcandam? Non [q] ille qui pati [r] coactus est vt alius Pontifex sacram de capite coronam pede excuteret?

Non

Non Philippus [a] ille, cui Pontifex Innocentius tertius, quo inuito Imperator creatus fuit, his verbis fertur minatus, *Aut Pontifex auferet Philippo diadema aut Philippus mitram Pontifici?* nec mora, contra eum excitatus est Otho, qui eo occiso Romam se contulit, & primum à Pontifice coronatus fuit Imperator, deinde à [b] Pontifice imperio exutus. Non metuebat Fredericus [c] ille, quem Innocentius quartus excommunicatum priuauit Imperio, Principibus sacramento fidelitatis absolutis, subornatoque in Apulia qui illi venenum propinaret? & quùm ex ea potione conualesceret, conducto filio notho Manfredo, qui patrẽ nouo & nocentiore veneno extingueret, quod & factum est? Quid scripsit Alexander [d] tertius Sultano? Vt si in pace cuperet viuere, Imperatorem, [e] cuius effigiem mittebat, quauis ratione tollendum curaret. Non Alexander [f] Sextus ducenta aureorum millia accepit à Baiazete, vt fratrem eius Gemen, vel vt alij appellant Sisimum, tum Romæ captiuum occideret? Non recepit veneno eum se extincturum, & patrato scelere percepit mercedem? Non metuebat post Thomæ Becketi cædem noster [g] Henricus secundus, qui, prẽterquam quòd nudis pedibus religionem peregrinantis impleuit, virgis quoque per capitul[illegible]actus est, vt puer in literario ludo, lætus etiam quod sic euaderet? Non iure metuebat Christianissimi Regis proauus Iohannes, quùm Hispano tradi videret suum regnum [h] Nauarræ, cuius dimidium etiamnum detinetur? Non illius successor, qui iam regnat iure metuebat, quùm excommunicatione absolui se tam supplex peteret, nec inuitus largiretur vt legatus suus Romæ virgis cæderetur, pro eo scilicet agens pænitentiam? Non erat cur sibi caueret nupera Regina Elizabetha iam excommunicata à Pio Quinto, subditis fidelitatis sacramento solutis, donatâ etiam Hispaniarum regi Hibernià? quúm famosus ille & transfuga Theologus auctus galeri honore, vt nunc Bellarminus, proditionis Stanleianæ [i] apologiam ederet; qua confirmabat non licere modò, sed & conscientiæ causa vnicuique Subditorum ex officio incumbere, vt Reginam, hæreticam nempe & excommunicatam, omni sua ope destituerent, exercitusque & vrbes & propugnacula sibi commissa Hispaniarum regi ipsius hosti dederent, siquidem Regina nullo iure ea teneret?

Cæterùm etsi viri prudentes ex alienis malis discant sapere, & sibi prospicere, iuxta vulgatum illud,

Tunc tua res agitur paries cum proximus ardet: Ego tamen propiùs, & meo periculo iussus sum circumspicere, primò quidem bullis quas dixi transmissis ne debitam huius regni hæreditatem cernerem: deinde post aditam & pacatam eius possessionem illo Sulphureæ Coniurationis portento, quo me meosque omnes & regno & vita ibant exutum. Vt vt autem Pontifex videri nolit illi proditioni fauisse, negari

a Abbas Vrsperg. ad anno 1191. Naucler. gener. 40. Cuspinian. in Philippo.

b Abbas Vrsperg.

c Matth. Paris in Henr. 3. Petr. de vineis epist. lib. 1. & 2. Cuspin. in Freder. 2.

d Vita Frederici Germanicè conscripta.

e Frederic. Barbaross.

f Paul. Iouius hist. l. 2. Cuspinian. in Baiaz. 2. Guicciard. l. 2.

g Houeden pag. 308. Matt. Paris in Hen. 2. Walsing. in Hypo. Neust. Ioann. Capgraue.

h Gomesius de reb. gestis Francis. Ximenij Archiep. Tolet. l. 5.

i Cardinalis Alani responsio ad literas Stanlæi. Anno 1587.

Digitized by Google

tamen non poteſt quin miniſtri eius apud nos præcipui, & mancipiorum eius primores, Ieſuitæ, illius conflandæ primi extiterint artifices: quorum is, qui ſacerrimæ cohortis dux fuit, in ipſa ſceleris confeſſione expirauit, alij conſcientia facinoris patriam fugere; nonnulli ſe in Italiam recepere. Nec tamen fugitiui illi, nec Balduinus, qui quùm in Belgica viueret non vixit tamen exſors huius criminis, vnquam à Pontifice in iudicium vocati fuere, nedum vt pœnam vllam tam immanis & nefarij facinoris pertulerint.

Nihil iam opus eſt mirari vnum regem eſſe qui timeat, aut exclamare, quis Chriſtianorum principum vnquam ſibi metuit prẽter eum? quaſi vi ſuadæ efficere poſſet; ne ego & mei ſubditi crederemus ſolem in meridie lucere, nec factum fuiſſe aliquando quod noſtris hiſce vidimus oculis. vel vt aures noſtras obturemus non ad illius incantationes, ſed ad perſpicuæ veritatis euidentiam. At miretur quantum volet, nunquam tamen euincet panicum vllum propterea mihi metum in ceſſiſſe. Quando ego à Pontifice ſecuritatis cautionẽ importuniùs expetij? Quando Chriſtianis Principibus amicis & affinibus meis moleſtus fui, vt mihi beneuolentiam Pontificis conciliarent? Quando eorum operam ad meæ ſecuritatis præſidium flagitaui? non [illegible]ra progreditur mirabilis hic noſter metus, quàm vt in meis paſcuis oues diſtinguam à capris. Quæcunque enim fuerint, in Sulphurea coniuratione Pontificis Romani partes, illud ſanè ex conſtanti Coniuratorum confeſſione in ipſa quoque morte ſatis conſtat, ſolam religionem tanti facinoris audendi cauſam eos habuiſſe. quidam etiã in ipſa morte induci non potuere, vt Deum aut regem veniam poſcerent delicti: quin & conſortes ſuos ad ſimilem animabant conſtantiam. Et non iuſtiſſima iam ſuberat cauſa, cur vnâ cum ordinibus regni hac iuramenti formula bonos ſubditos diſtingueremus à malis? imo Papiſtas illos, qui quamuis ſuæ religionis ſtudio tenerentur boni tamen ciues manerent, à Furijs illis & Orci iucendiarijs ſecerneremus, qui cum Sulphureæ coniurationis authoribus idem ſentirent? Imo quæ maior gratia (abſit verbo inuidia) diuerſæ religionis hominibus à rege poterat exhiberi, quàm vt ab ijs iuramentũ eiuſmodi exigeretur, quo honeſtam mentem & fidem erga Principem in rebus ciuilibus teſtantes ignominiam & dedecus eluerent, quod omnibus earum partium hominibus ex coniurationis Sulphureæ noxa adhereſcebat?

Quòd autem ad confirmationem prævalidi illius argumenti Iuliani apoſtatæ exemplum adducit, * illiuſque aſtutias aduerſus Chriſtianos, quos eo ſcilicet redegerit, vt aut idololatriam aut lęſę maieſtatis crimen admitterent: meminiſſe vellem Lectorem bonæ quoque ſimilitudinis eam eſſe conditionem, vt vno nonnunquam pede claudicet; at hæc ita inepta eſt, vt manibus, pedibus, & membris omnibus capta ſit; quùm præſenti

*Nazianzen. in Iuli. inuectiua Prima.

præſenti negotio nihil ſimile appareat, præter hoc vnum quòd Iulianus Imperator fuerit, ego rex ſim. Primò enim Iulianus apoſtata fuit, & Chriſtiana fide, quam olim ſequutus fuerat, renunciatâ ad Ethnicorum ſuperſtitionem vel atheiſmum potiùs reuerſus eſt; ego Chriſtianus ſum, nec religionem, quam cum materno lacte pæne imbibi, vnquam deſerui; nec illius, Deo ſit laus, vnquam me puduit. Iulianus ob ſolam Chriſti fidem Chriſtianis fuit infeſtus; ego in hoc cum meis ſubditis negotio id vnum ſpecto, vt bonos ciues a perfidis proditoribus ſecernam. Iulianus ſibi Chriſtianorum interitum proponebat; ego vt Chriſtiana religio in pacata floreat Republica. Iulianus illos voluit ad idololatriam allectos; ego meos ad fidei & obſequij quæ mihi naſcendi iure debentur profeſſionem. Vtebatur Iulianus dolis quibus illos nec opinantes irretiret; mea omnis ratio plana eſt & perſpicua & ab omni obſcuritate quàm remotiſſima, nemini eorum qui iuraturi ſunt negatâ veniâ (ſi petat modo) aut meditandi, aut deliberandi, aut dubitationes quaſcunque proponendi. Sed ſumma diſſimilitudo in eo eſt, quòd Iulianus ad Idolorum & ſtatuarum cultum illos compelleret; quùm ego cæteriquè omnes noſtrarum partium tantum ab hac culpa abſimus, vt hæretici a vobis non aliam ob cauſam habeamur, quàm quia ab idololatriæ communione ſumus alieni. ita quod in ſimilitudine præcipuum eſſe debuit diſſimillimum apparet. Iulianus enim perſequebatur Chriſtianos, quia nolebant eſſe idololatræ: ego apud vos audio Perſecutor, quia idololatra eſſe nolo. Vt finem faciam vetus illud in tam ineptæ ſimilitudinis artificem Bellarminum optimè quadrat,

Bellarminianæ ſimilitudinis euerſio.

Perdere quos vult Iupiter, hos dementat.

Quocirca nulla habenda eſt ea illius concluſio, contra charitatis leges illata, ſibi videri non ſine dolo malo excogitatum hoc iuramentum, ne quis (ſi ipſi credimus) proditionis odium aut regis obſequium profiteri poſſet, quin vnâ eâdemque opera, Apoſtolicæ ſedis primatum abnegaret. Vnde hoc illi commentum in mentem venerit, ego equidem diuinare non poſſum: nam veriſimile eſſe quod dicit, ne ipſe quidem nititur oſtendere. neque mihi operæ eſt cum larua luctari, id eſt, abſonam rem & incredibilem refellere.

Negari id quidem non poteſt, Chriſti ſeruos non paucos, Sacerdotes, alioſque, propter Chriſti confeſſionem tormenta omnia & mortem quoque ipſam perpeſſos. neque exemplis, quæ ad hanc rem adducit, alia ratione occurrere neceſſe eſt, quàm vt moneam illum, dum conſtantiam Martyrum his illuſtrat, ſtrenuè agere Sophiſtam, quia controuerſum pro confeſſo vbique accipit, quaſi Martyrum eorum cauſa eadem foret cum noſtrâ.

Vt tamen melius videat Lector non ſolum quàm ſint aliena quæ adhibet

hibet exempla, verumetiam quàm mala paſſim fide authores citet, viſum eſt loca ipſa, ad quæ digitum intendit, exſcribere, & ſtatum cauſę de qua in ſingulis agitur, breuiter exponere; vt quàm parum ad rem faciant, & quàm facile in eos qui adferunt pro telis retorqueri poſſint, manifeſtius appareat.

2. Maccab. c.6.v.18. Et primò ad Eleazarum quod attinet; ſi Archi-preſbyter pari iure abſtinere poſſet a iuramento, quo ille a ſuilla; non foret hoc a Cardinalis inſtituto exemplum alienum. Vt enim Scribarum princeps fuit Eleazarus, ſic iſte eſt Archi-preſbyter. Et vt in Eleazari exemplo permagna vis erat iuniores ſcribas animandi ad legis obſeruationem, vel ad diſſimulationem eos trahendi, ſi videri ille voluiſſet ſuillam guſtaſſe: ſic archi-preſbyter inferiores ſacerdotes ſuo poterat exemplo ad iuramentum fidelitatis inuitare vel auertere. Sed cum fundamentum vitioſum eſt, domus diu ſtare non poteſt. Quod enim, obſecro, in ſacris literis exemplum patrocinetur ijs qui recuſent iurare in verba Principis, vel fidelitatem ei debitam negant? Poſſet Cardinalis, ſi vellet, reminiſci eum hominem cenſuris Eccleſiæ iure eſſe obnoxium, qui legibus authoritate Eccleſiæ ſtabilitis recuſat parere, verbi gratiâ certis diebus ab eſu carnium abſtinere. Igitur ſi ſatius eſt mori, quàm minimum ceremonialis legis apicem violare; corpuſque affligere & macerare multò præſtat quàm poſitiuum Eccleſiæ ius negligere; nonne permittet Archi-preſbytero, quò animam ſuam a peccato & corpus a pæna redimat, viuere ſecundum regni leges, & mihi ſuo exemplo ſpem facere cæteros eiuſdem ordinis homines dignitate minores, pari tamen eſſe cum ipſo probitate, parique in Principem fide? hic erat, ni fallor, longè melior illius exempli vſus.

Excutitur exemplum Eleazari.

1. Sam. 14. 25. Sed mihi de alio iuramento monendus eſt hic Cardinalis, quod Rex a populo pæne cum ſuæ vitæ & totius exercitus periculo exegit, quùm eos compulit iurare abſtinentiam ab omni cibo a mane in veſperam: cuius ſacramenti tam ſeuerus vindex fuit, vt Ionathanem filium ſuum natu maximum, & futurum (vt tum ſpes erat) regni hæredem tantum non ad mortem compulerit quòd pauxillo mellis de ſumma virga guſtato legem violaſſet, quam tamen ille latam neſcierat. Et ſtratagema Satanæ vocabitur iuramentum noſtrum, cuius exigendi tanta fuit neceſſitas ad firmandam meam poſterorumq; meorum incolumitatem, neu populus meus Antichriſtianæ ſcortationis amarorem tam altè dehinc imbiberet, ſed in cordibus ſuis tantillum mellis retinerent ſubditi, quo ſe teſtarentur ſemel mihi deſponſatos ſemper fore meos, integro & illibato obſequij & fidelitatis vinculo? hoc ſolùm dico, ſortem a deo profectam in iuramento Saulis, & Bellarminianam noſtri iuramenti cenſuram ab eodem ſpiritu eſſe non videri.

Theodoret. l.4.c.19. De exemplo Baſilij quod ille ſuæ cauſæ tam putat accommodatum,

hoc

Digitized by Google

hoc primum neceſſe habeo monere, in Sanctorum patrum, quæ adfert teſtimonijs examinandis minus futurum nobis moleſtiæ, ſi familiarem & tritum iam nimis dolum amoueret; neu quùm ea adducit quæ pro ipſo faciunt, quæcunque officiunt omitteret; ſed rerum ſenſus non minùs quàm verborum ſententias proferret. Nec longè exemplum nobis petendum eſt. in hoc ipſo Theodoreti teſtimonio, ſi ſequentem duntaxat verſiculum citatis a ſe verbis adiunxiſſet, Archi-preſbyterum potius ad iurandum induxiſſet, quàm a iurando deterruiſſet. proximè enim ſequitur: *Imperatoris quidem amicitiam magni ſe pendere cum pietate, qua remota perniciosam eſſe dicere.* Cæterùm vt conſtet vtri noſtrum maius ſit ius in hanc Theodoreti ſententiam auctoris ſcopum paucis indicabo. Excutitur exemplum de S. Baſilio.

Imperator Valens ipſe Arrianus, poſtquam vxoris conſilio omnes Eccleſias ſuis nudaſſet paſtoribus, venit Cæſaream, cui præerat Epiſcopus Baſilius, ille quem Lumen orbis indigitat hiſtoria. Egerat cum eo Imperator per *legatum vt cum Eudoxio Conſtantinopolitano Epiſcopo Arrianæ factionis principe communicaret: aliàs minabatur exilium. Appellens legatus Cæſaream Baſilium ad ſe accerſit, honorificéque & blandè compellatum monet, vt cedat tempori; neu tenui dogmatis exquiſitione tot Eccleſiarum commoda in periculum adduceret. offert præterea Cæſaris amicitiam, & ſe illius ſi vellet conciliatorem. Reſpondet S. Baſilius *illecebras has ſermonis eſſe, & pueris quidē capiendis idoneas, inhiantibus ad palpum. illos vero qui diuinis innutriti eſſent literis nunquam omnino pati poſſe vt earum vna ſyllaba in diſcrimen veniret; adeoque ſi opus eſſet nullum genus mortis pro illis ſubeundum recuſaturos. Imperatoris quidem amicitiam magni ſe pendere cum pietate, illa remota perniciosam eſſe.* Theodoret. l. 4. c. 19.

*Modeſtum nomine, vt ait Nazianz. in oratione funebri pro Baſilio. Theod. l. 4. c. 12.

Ita ſe habet hiſtoria: nunc cauſam vtriuſque comparemus, St. Baſilij, inquam, & Archi-preſbyteri. Baſilius imprimis ad Arrianiſmum inuitabatur: Archi-preſbytero nihil fuit in religione mutandum. Baſilius niſi verbum diuinum obſtitiſſet, Imperatori libens paruiſſet: at hic homo ideo iubetur parere, quia ita iubet Deus in verbo ſuo. Baſilius magni faciebat amicitiam Principis cum pietate coniunctam: eam iubetur Archi-preſbyter ſpernere, quam ſalua nihilominus pietate poſſet amplecti.

Verum vt iniquiore multo onere Archi preſbyterum premat, non contentus Eleazari & Baſilij exemplis eum ad fortitudinem & conſtantiam hortari, planè iam miſerum affligit humi, cum St. Petri & Marcellini lapſu eius comparans: quorum hominum peccato, ſeu perſonas ſeu dignitatem intueare, nihil vel in ſacrarum literarum vel hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis formidabilius aut grauius inuenies. alter vnum & verum Deum, alter dominum & ſaluatorem Ieſum Chriſtum Exempla a St. Petro & Marcellino ſumpta excutiuntur.

ſtum negauit. alter cum prophanis Gentilibus immolauit idolis, alter cum contumacibus Iudæis Dominum & magiſtrum eiurauit. Ego non aſſequor quid hac comparatione ſibi velit Cardinalis, niſi fortè id agat, vt conſcientiam hominis horrificet, & in deſperationem præcipitet. certò ſcio omnes homines, quotquot eorum veneno non ſunt potionati, miraturos, quùm audierint iuramentum fidelitatis naſcendi iure Principi debitum aſſimilari apoſtaſiæ a Deo & abnegationi Saluatoris.

Sed vt amborum cauſas τὰ ἄκρα καὶ τῶν μέσων diuerſas, & indecoram illam St. Petri capitis Eccleſiæ cum Apoſtata Pontifice comparationem prætereamus; miror ab eo vſurpatum hoc Marcellini exemplum, quùm de totius hiſtoriæ veritate dubitet frater eius Baronius, Binnius verò in vltima Conciliorum editione clarè refutari poſſe affirmet, & probabiliter oſtendi hiſtoriam duntaxat obreptitiam eſſe, niſi a recepta opinione non temere foret recedendum.

Plat. in vita Marcell. Concil. tom. 1. pag 222. Baron. Ann. 302. num. 96.

Et ſi liceat conijcere, in eadem mente foret & Bellarminus, ſi vna vel altera Concilij illius Sinueſſani ſententia ipſius cauſæ admodum opportuna non obſtaret. eæ ſunt, *Prima ſedes iudicatur a nemine*; &, *Iudica cauſam tuam, noſtra ſententia non condemnaberis*. Sed cui bono numeroſum hoc (vt Cardinalis fatetur) Concilium ex trecentis videlicet Epiſcopis præter cæteros, in vnum cogeretur, quùm priuſquam coirent ſatis intelligerent ſe nihil poſſe iure agere? & poſtquam coijſſent cuculorum more eandem nobis cantilenam aliquoties occentarent, *Prima ſedes iudicatur a nemine*, & quùm totum triduum ſediſſent (diuturnum mehercule Concilium & graue) nulla re peracta domos reuerterentur? ita tamen vt ſeptuaginta & duo homines contra Pontificem ibi teſtimonium dixerint, & illius excommunicationi ſubſcripſerint, ipſe verò ſuo ſibi ore denunciârit *Anathema maranatha*? hæc tam enormiter diſſona vt reconcilientur probè, ablegandus mihi eſt Cardinalis Venetias ad patrem Paulum, qui in ſuâ aduerſus Cardinalis oppoſitiones apologiâ eruditiſſimè ſuper ijs diſſeruit.

Tom. 1. Conc. in act. Concil. Sinueſſ.

Apolog. Pat. Pauli aduerſ. oppoſit Card. Baron.

Sed ab vno Pontifice tranſeamus ad alium: ſatis enim iam docui quàm ſit grauis Catholicæ fidei articulus hoc iuramentum. Cur hîc St. Gregorum noſtrum vocarit Apoſtolum ignoro ſanè, niſi fortè, quia Auguſtinum Monachum cum alijs in Angliam miſit qui nos ad Chriſti fidem conuerterent. atque vtinam poſteriores Papæ illius inhærerent veſtigijs. Ille enim quanquam diuino vt aiebat monitu eos in Angliam miſerit ad regem Ethelbertum, nullam tamen illi muneris ſui partem niſi regis permiſſu obiere. Sic Rex Lucius a deceſſore illius Eleutherio multos impetrauit Epiſcopos, quibus authoritate regia ſedes in Anglia conceſſæ fuere. hi ſuadebant hominibus credere in Deum, & obedire Regi. Quorum mores ſi imitarentur hodierni Pontifices,

Ad locum St. Gregorij Gre. l. 11. c. 42. Bed. Eccleſ. hiſt gent. Ang. l. 1. c. 4.

fices, non iam regum transfugas alerent, nec eos inuitis Regibus, inuitis Regibus in patriam remitterent, perfidiæ & rebellionis imbutos disciplina, qua subditos a suorũ Principũ natiuo auocent obsequio. Nec cum deuotis hisce mancipijs tam inhumaniter agerent, quos nunc eiusmodi instructos merce & suspectos faciunt Reipublicæ, & in certum adducunt vitæ periculum.

Nunc ad Apostolum nostrum, quoniam sic eum appellari placet Cardinali: non inutilem nauarem Ecclesiæ operam, si id duntaxat ab eo possem impetrare, ne mala in posterum fide patres citaret, neu verba contra authorum mentem dehinc adduceret. Nam hæc epistola Gregorij ad Iohannem Panormi Episcopum scripta fuit, cui pallij nimirum vsum concedebat, vt ijs temporibus atq; ordine gestaret, quo decessores eius Sicilienses Episcopi antea soliti fuerunt: sed ea addita lege, *ne Apostolicæ sedis reuerentia vllius præsumptione turbetur. tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulsetur iniuria, & canonum maneat incolumis atque intemerata semper authoritas.* Greg. l. 11. c. 42.

Nunc expendamus verba. scripta fuit epistola hæc ad Episcopum, cui concedebatur vsus pallij, res suapte natura neutra & adiaphora. Quòd autem pallio, nisi cum Apostolicę sedis venia, vti vereretur Ioannes, rem fecit opinor non ingratam Pontifici: vnde & ea quam adferebat Cardinalis monitio sequuta est. Nos quod ibi docet Gregorius ambabus (quod aiunt) vlnis amplectimur, nedum vt impugnemus: nempe, obseruandum esse sine renisu quicquid ceremoniarùm a magistratu politico & ab Ecclesia ordinis gratia iniungitur; quùm pestifera sequatur διαφθορὰ & confusio in membris, quæ capiti suo in eiusmodi rebus negant obsequium. At quòd Gregorius, cum CAPVT FIDEI dixit, seipsum intellexerit, quasi ipse Caput Fidei vel Christianæ religionis haberi voluerit, id vero reliquæ ipsius doctrinæ & scriptis è regione aduersatur. Primò enim, cum alius quidam VNIVERSALIS EPISCOPI titulum inuaderet, dicere non dubitauit Gregorius: *Ego vero fidenter dico quia quisquis se* VNIVERSALEM EPISCOPVM *vocat vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit.* At CAPVT FIDEI nomen est infinitum quantum ambitiosius. Iohann. Constantinop. vid. Greg. lib. 4. ep. 32. Lib. 6. ep. 30.

Deinde vero VNIVERSALIS EPISCOPI oblatum nomen spernens Gregorius, *Nullus* (inquit) *vnquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo vti consensit. Nullus eorum vnquam hoc singularitatis vocabulum adsumpsit, nec vti consensit. Nos* (Romani Episcopi) *huius vocabuli gloriam oblatam non quærimus.* Iam obsecro, qui Vniuersalis Episcopus dici noluit non hic longè ferret indignius *Caput Fidei* nominari, nisi fortè eo quo iam dixi sensu? quem si Cardinalis repudiet, liceat bona illius venia de Gregorio dicere, quod ipse alicubi de Lyra, *minus cautè loquutus est*; vel quod alibi de Chrysostomo, *loquutus est per excessũ.* Greg. l. 4. ep. 32. & 36. Bellarm. de Rom. Pontif. l. 2. c. 10. Idem. l. 2. de missa c. 10.

Itaque

Itaque vt noſtrum Apoſtolum aſſeramus in libertatem, quònoſtra in acie aduerſus illos militet, quod dixit longè id fatemur veriſſimum, ſed eo quo dixit ſenſu. nempe, quùm turbatum itis, vel iniminutum, vel abolitum authoritatem & primatum Eccleſiæ, qui eſt penes Principem in ſua terra, ſtatim vt ſic dicam obtruncatis Eccleſiam, demeſſoque capite eius & rectore præcipuo totius corporis membrorumque conſtitutionem diſſoluitis. Ita velim apud ſe ſtatuat Cardinalis eam nobis eſſe de Apoſtoli noſtri bona mente opinionem, vt nihil malimus nunc & Pontifici & Cardinalibus ſuggeri, quàm quod Gregorius Imperatori & Reipublicæ per Sabinianum voluit ſuggeſtum: *Vnum eſt* (inquit) *quod breuiter ſuggeras Sereniſſimis Dominis veſtris, quia ſi ego ſeruus eorum in morte Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet diuiſa. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuſlibet hominis me miſcere formido.*

Greg. l. 7. ep. 1.

Ad teſtimonium Leonis.

Tranſeamus nunc a Gregorio ad alium Papam, S. Leonem, quem ſuum vocat Cardinalis Apoſtolum. Ac vt intelligat non contradicendi quod Sophiſtarum eſt, ſed veritatis indagandæ ſtudio litem illi in prioribus locis motam; fateor tria illa ex Leone teſtimonia bonâ ab eo fide produci, verbis nimirum cum auctoris mente & conſilio conſpirantibus.

Leo in die aſſumpt. ſuæ ad Pont. ſerm. 3. Leo epiſt. 89. ad Epiſcop. Vienn. idem. ibid.

At liceat illi non nihil in aurem dicere, quod an verum ſit ipſius conſcientiam arbitram ſtatuo; videlicet, conuenire id in Leonem quod de ſe Cicero olim faſſus eſt Hortenſio. Aiebat ille ideo ſe *in cœlum extuliſſe eloquentiam vt vnà adſcenderet*: & S. Leo immodicis tollebat laudibus D. Petrum vt eius ex aſſe * hæres eas ſibi ſolidè vendicaret. fuit ille Orator eximius, & Romam graſſantibus Attila & Genſerico ſolius facundiæ virtute à gemino incendio liberauit.

Cic. in Hort.

*Ita ſe nominat in ſerm. 1. in die aſſump. Ex breuiario Romano.

Ex hac tanta facundia libabat ille interdum nonnihil D. Petro, vt cum eum canit *aſſumptum in conſortium indiuiduæ vnitatis.* quæ verba cum ijs ſubiecta ſint quæ citat Cardinalis (*exortem eſſe myſterij diuini quiſquis auſus eſt a Petri ſodalitate recedere*) religionem certè illi incutere debebant, ne præcedentia verba pro Romanę ſedis aut Pontificis prærogatiua adduceret, quùm maieſtati diuinæ tantum derogent ſequentia. Ac rurſus: *Scripta humilitatis noſtræ* (inquit) *auctoritate & merito Domini mei Beatiſſimi Petri Apoſtoli roborata ſunt. Obteſtamur, vt ea quæ à nobis Deo inſpirante, & Beatiſſimo Petro Apoſtolo decreta ſunt, ſeruetis. Si quid à nobis rectè agitur rectéque diſcernitur, ſi quid quotidianis ſupplicationibus à miſericordiâ Dei obtinetur, illius eſt operum atque meritorum, cuius in Sede ſuâ viuit poteſtas, excellit auctoritas. Petrus Apoſtolus ab ipſo omnium Chariſmatum fonte, tam copioſis eſt irrigationibus inundatus, vt cùm multa ſolus acceperit, nihil in quenquam ſine illius participatione tranſierit.* In ſumma,

Epiſt. 89.

Epiſt. 52.

Epiſt. 89.

Serm. 2. in die anniuerſ. aſſumpt. ſuæ.

Serm. 3. in die anniuerſ. aſſumpt. ſuæ.

Digitized by Google

ma, tam fuit D. Petri ſtudioſus Leo, vt a D. Petro ſcilicet fuerint quicunque ab ipſo mitterentur Legati: & coram D. Petro fierent quæcunque coram ipſo fiebant. Epiſt. 24. Epiſt. 4.

Neque verò eo facundiæ genere temere & inconſultò vtebatur. nam ea tempeſtate certamen illi erat de Primatu cum Patriarcha Conſtantinopolitano. Et in Concilio Chalcedonenſi ſexcenti amplius Epiſcopi decreuerant Conſtantinopolitanæ ſedis parem eſſe cum Romana authoritatem, nulla illi in ſpeciem relictâ prærogatiuâ; & vno verbo, victus erat Leo. Concil. Chal. Act. 16 & can. 28.

Et tamen qui tantum dat Petro nihil aufert Cæſari, ſed honoris titulos, & debita illius cuncta agnoſcit iura, poteſtatem quoque Concilij conuocandi, vt duo vel tria è multis loca quæ iam proferam teſtantur: *Si pietas veſtra* (inquit) *ſuggeſtioni ac ſupplicationi noſtræ dignetur annuere, vt intra Italiam habere iubeatis Epiſcopale Concilium.* Epiſt. 9. Theodoſio. Itemque ad Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſcribens; *Quia*, inquit, *clementiſſimus Imperator, pro Eccleſiæ pace ſollicitus, Synodum voluit congregari, quamuis appareat rem de qua agitur, nequaquam Synodi indigere tractatu.* Epiſt. 16. Flau. Rurſus; *Quamuis ad diem Concilij Epiſcopalis, quem pietas veſtra conſtituit, occurrere me nulla ratio permittat.* Epiſt. 17. Theodoſio. Vt vel ex his appareat quùm Petro tantum tribueret, Cæſari tamen quod Cæſaris erat non negaſſe. Sed iniquius nobiſcum agit Cardinalis, quòd dum diſtortis iſtis exemplis & rationibus quod vult ſatagit efficere, neminem tamen adducat teſtem, niſi reum; & Pontificum Romanorum authoritatem ſuis ipſorum confirmet decretis.

Vnum tamen illi in media exemplorum turba laudabile verbum excidit, quòd ſatius ſit Martyribus cruciatus omnes & ipſam mortem pati, quàm vt vnam diuinæ legis ſyllabam patiantur corrumpi. Quam diſciplinam ſi ipſemet cum cæteris ſuæ ſectæ popularibus imbibiſſet, non iam Euchariſtia ſub vna ſpecie adminiſtraretur contra manifeſtam Chriſti inſtitutionem, contra multorum in Primitiua Eccleſia ſæculorum vſum: non inuaderent priuatæ Miſſæ locum Dominicæ Cænæ: non repugnaret D. Pauli & D. Lucæ verbis canon Miſſæ; quod aduerſarius ipſe non negat, & ſe ingenuè fatetur ea reconciliare non poſſe. non tot denique in Eccleſiam reciperentur traditiones hominum, non dicam pari cum diuino verbo, ſed maiore vtique honore. Sed vereor ne ab ipſius mente aberrauerim, neu per diuina dogmata Dei verbum voluerit intelligi, ſed tantum Canones & Leges Domini Dei PAPÆ. aliàs tanti non fieret Apoſtolicæ ſedis primatus, cuius tantillum eſt in ſacris literis fundamentum.

Quòd autem tantopere metuit ne Archi-preſbytero cauſam lapſus dederit aut inopinata eius comprehenſio, aut perſecutionis acerbitas, aut ſenectutis imbecillitas, aut alia ſimilis difficultas; id quam nihil ſit ſatis

ſatis dictum eſt prius. Blakwellus ſua ſponte iurauit in verba, nullis minis, nullis precibus adductis, vt ipſe teſtari poterit & nos ante monuimus.

Cæterùm in hoc teſtium Catalogo S. Sanderum cum illius viſibili Monarchia nefas putabat omittere, quem ego hominem nonnullaque eius ante notaui facinora. Quiſquis librorum eius æquus æſtimator eſſe volet de Angloromanis forte ſuis non malè meritum interpretabitur, at vt de rege vel regno bene meritum putet, fieri omnino non poteſt. Teſtis ſunt ipſi libri, è quibus vt è florentiſſimo prato pauculos qui ſequuntur excerpſi flores.

Sander. de viſi. monar. l. 6. c. 4. *ELIZABETHA Regina officium ſacerdotale in Angliâ exercet docendi atque euangelizandi, non minori cum auctoritate, quàm Chriſtus ipſe, aut Moyſes vnquam fecerunt.*

Sand. de clan. Dauid l. 6. c. 1. *Foeminæ Primatus in rebus Eccleſiaſticis non aliunde eſt, quàm à Diabolo.*

Sand. de viſib. monar. l. 2. c. 4. *Porrò de Regibus omnibus ſic generatim pronunciat; Rex qui Pontificis auctoritati ſe ſubijcere recuſabit, nullo modo tolerandus eſt; ſed omnem operam ſubditi dare debent, vt alius in eius locum quamprimùm ſurrogetur.*

Ibid. *Et Regem hæreticum à regno quod in Chriſtianos obtinet, remouere oportet, Epiſcopóſque omni ratione prouidere, vt alius quamprimùm in eius locum ſuccedat.*

Ibidem. *Et, Meritò aſſerimus quoſcunque Reges Chriſtianos, in ijs quæ ad Fidei negotia pertinent, ita Epiſcopis & Presbyteris ſubeſſe, vt cùm in religionem Chriſtianam poſt vnam & alteram correptionem pertinaciter delinquentes perſeuerauerint, ob eam cauſſam à temporali ſuâ præfecturâ, quam in Chriſtianos habent, per ſententiam Epiſcoporum deponi & poßint, & debeant.*

Ibidem. *Et, Epiſcopi præſunt regnis temporalibus, ſi talia regna ſubijciunt ſe fidei Chriſtianæ.*

Sand. de clan. Dauid l. 5. c. 2. *Et, Poteſtas ſecularis, ſiue Regia, ſiue alia quælibet ex hominibus eſt.*

Et,

Et, Inunctio quæ à ſacerdote Regi confertur, declarat eundem ſacerdote minorem eſſe. Ibid.

Poſtremò, Prorſus contra Chriſti voluntatem eſt, vt Reges primatum habeant in Eccleſiâ. Sand. de claui Dauid. l. 5. c. 4.

Quod autem exemplorum hoc agmen nobili illa Anglorum Martyrum biga concludit, Moro ſcilicet & Roffenſi, quos propter grauiſſimum religionis dogma ſcilicet, quum in primatum regium iurare recuſarent, mortem ſcribit oppetiiſſe: pace eius dixero, de Martyribus illis nonnulla malè doctus eſt, etiam quæ ad caput cauſæ proximè videntur ſpectare. Manifeſtum enim id eſt, & ex actis non vnis euincitur, integrum annum mancipatos fuiſſe eos cuſtodiæ priuſquam de Pontificis primatu capitis anquirerentur; partim quòd in negotio ſucceſſionis regiæ, quam omnes regni ordines chirographis ſuis confirmauerant, ſe præbuiſſent auſteriores; partim quòd eorum alter Fiſherus in cauſa Sanctæ Virginis * Cantianæ nomiñatus eſſet, & iam læſæ Maieſtatis teneretur, conſcius ſcilicet fraudum illius pſeudoprophetiſſæ, & coniurationis in Regem, quam cælabat. Quale illud ſit par Martyrum Cardinalis. * Elizabethæ Barton, vide decretum Ordinum.

Quum haſce ob cauſas vterque mancipatus eſſet cuſtodiæ (hactenus enim de primatu ſuo ſecurus erat Rex, vnanimi ſubditorum ſuorum conſenſu fretus; tantum angebatur quo pacto ad ſobolem ex ſecundis nuptijs ſuſceptam regnum deuolueret) in promptu eſt conijcere quàm faciles eſſent iam irritati amborum animi ad vlteriorem Regis offenſam, & ad poteſtatem regiam magis magiſque oppugnandam: id quod etiam contigit. Publicatâ enim, dum illi in carcere eſſent, legitimâ Regis poteſtate in rebus Eccleſiaſticis, quæ iam & Cleri ſuffragijs in Synodo & cæterorum ordinum decreto in Comitijs rata erat, ita illi aduerſati ſunt, vt recandeſcente regis ira de nouo capitis anquirerentur, tum propter *graue illud fidei dogma*, nempe primatum Pontificis; tum propter nuptiarum & ſucceſſionis regiæ negotium; id quod ex Mori confeſſione perſpicuum eſt. Pro tribunali enim, auditâ mortis ſententiâ, *non ignoro*, inquit, *cur me morti adiudicaueritis, videlicet ob id quod nunquam voluerim aſſentiri in negotio matrimonij regis*: vt ex ipſius verbis iam conſtet, magnum illum Martyrem non aliam agnouiſſe mortis ſuæ cauſam quàm quod regijs nuptijs & ſucceſſioni renixus fuerit: quæ martyrij cauſa (niſi ego fallor) parum aut nihil cum religione habet commune. Hiſtor. aliquot Martyrum noſtri ſæculi. Anno 1550.

Roffenſis autem Mori in martyrio collega, qui Primatus regij iuramentum certa ratione temperatum non renuebat ſuſcipere, is quemadmodum aliam ob cauſam mancipatus eſt carceri, ita *grauis illius dogmatis de Primatu* teſtis obijt & martyr admodum claudicans & ſingularis, tota Eccleſia Anglicana remis veliſque ea tempeſtate in contrari-

Digitized by Google

um eunte, è quibus multi & literarum & prudentiæ opinione multis poſt ſe gradibus relinquebant Roffenſem.

Quocirca à Bellarmino ipſo, qui inter cæteras veræ Eccleſiæ notas *Vniuerſalitatem* nominat, mutuabimur hîc auxilium, nitemurque generali & Catholico totius Eccleſiæ Anglicanæ pro nobis decreto: vt conſtat ex libello, cui nomen inditum fuit *Chriſtiani hominis inſtitutio*, Cleri coeuntis authoritate publicato. Quod argumentum eruditiſſimè à diuerſis tractatum fuit; à Stephano Gardinero in libro *de vera obedientia*, cui adnexa fuit *Boneri epiſcopi præfatio* de ſummo & abſoluto Regis imperio: à Domino Beckinlaw *de vera differentia regiæ poteſtis & Eccleſiaſticæ*: ab Epiſcopis Tonſtallo & Longlando pro concione, & in literis eiuſdem Tonſtalli ad Cardinalem Polum, vt alia omittam vtrâque conſcripta linguâ, Anglicâ & Latinâ. Quod niſi æger Fiſheri animus Cardinalitij petaſi expectatione fuiſſet ſuſtentatus (& hic Caletum prius allatus fuit, quàm ille caput cui deſtinabatur amitteret) valde dubito, an propter illud *graue fidei dogma* ſuſtinuiſſet mori.

Et ſanè duo hi Duces in ipſa Martyrij acie à popularibus ſuis prorſus deſerti fuere. nec enim quenquam alicuius nominis, nec alios temere multos reperias qui graue hoc fidei dogma ſanguine ſuo poſt firmarunt. Atque ita hinc expenſis calamitatum vtriuſque veris quas dixi cauſis, illinc paucitate teſtium qui decumanum illum Bellarminianæ fidei articulum ſanguine ſuo obſignarunt; exigua profectò inde gloria ad Eccleſiam Romano anglicam redundet, è qua duo ſoli Elias & Enochus aduerſus noſtram Antichriſtianam doctrinam teſtes reperti ſunt.

Primatus Regum nititur authoritate ſacrarum literarum.

Illud perſuaſiſſimum habeo ex Dei verbo, ad cuius amuſſim grauia fidei dogmata exploranda ſunt, Primatum regium melius defendi poſſe & in poſterum ſpero ſemper defenſum iri, tanquam verum & proprium Chriſtiani regis in ſuis ditionibus officium; quam ille ſuas poterit Regum degradationes, & deiectiones, & cæteras aduerſus ſacram Maieſtatem contumelias, & ſcabioſa dicteria, quibus tum priora illius ſcatent volumina tum nuperi aduerſus Venetos libelli.

Sub veteri teſtamento Reges [a] gubernabant ipſimet Eccleſiam, illius vitia [b] purgabant, corruptelas reformabant, arcam in [c] ſuum locum [d] præſultantes ducebant, templum [e] & ædificabant & [f] dedicabant, ac conſecrationem illius ſuâ præſentia iuuabant, librum [g] legis erui è tenebris & coram populo recitari faciebant, [h] fœdus inter Deum & populum renouabant, [i] æneum ſerpentem diuino erectum iuſſu Meſſiæque venturi typum confringebant, [k] idola & deos falſos euertebant, per ſuos delegatos, qui vtriuſque erant ordinis Eccleſiaſtici & ciuilis, publicos mores emendabant, [m] ſupremum Sacerdotem deijciebant, ſufficiebantque ſucceſſorem. In ſumma, quæcunque ad regimen Eccleſiæ

a 2.Chron. 19.4.
b 2.Sam.5.6.
c 1.Chro.13. 12.
d 2.Sam.6. 16.
e 1.Chr.28.6.
f 2.Chro.6.
g 2.Reg.22. 11.
h Neh.9.38. Dauid. Salomon.
i 2.Reg.18.4.
k 1 Reg.15 12 2.Reg. 23.4.
l 2.Chron. 17.8.
m 1.Reg 2. 27.

Digitized by Google

cleſiæ ſpectare videbantur ordinabant Reges. Nec ab hoc eorum officio abludebant tituli & priuilegia diuinitus illis conceſſa, [n] *Filij* enim vocantur *Altiſſimi*, imo & [o] *Dij*, & [p] *Vncti Domini, in Dei* [q] *ſolio ſedentes, Dei* [r] *famuli, Dei* [ſ] *Angeli, facti iuxta* [t] *cor Dei*, [u] *Lumina Iſraëlis*, [x] *Nutritij Eccleſiæ*; cum innumeris id genus titulis honorum, quibus veteris Teſtamenti volumina referta ſunt, quod nec aduerſarium ipſum latet.

At in nouo Teſtamento *omnis anima* [y] *illis ſubijcitur, & quidem propter conſcientiam.* [z] *Orandum eſt pro omnibus, ſed præcipuè pro regibus & in authoritate conſtitutis, vt ſub ijs piam & pacatam honeſtamq; vitam degamus.* [a] *Magiſtratus Dei adminiſter eſt ad vlciſcendos facinoroſos, innocentes autem atque probos remunerandos.* [b] *Omnibus quidem obtemperandum eſt ſuperioribus poteſtatibus, ſed potiſſimùm Principibus, & in eminentia collocatis. Reddite vnicuique quod ſuum eſt, Timorem cui timor, amorem cui amor iure debetur. Date* [c] *Cæſari quæ Cæſaris ſunt, Deo quæ Dei ſunt.* [d] *Regnum meum non eſt huius mundi.* [e] *Quis me conſtituit Iudicem ſuper vos? Reges* [f] *gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.*

An tot exempla, ſententiæ, tituli, prorogatiuæ, aliaque in Vetere & nouo Teſtamento innumera idoneam non conferant in Chriſtianos Reges poteſtatem, vt Eccleſiam intra ſuas ditiones non minus quàm populum regant, & vtriuſque Tabulæ ſint cuſtodes; non quòd nouos fidei articulos cudere eos conueniat (quod proprium eſt Romani Pontificis officium) ſed quod diuino verbo obedientiam conciliare debeant, exque illius præſcripto lapſam religionis integritatem reſtituere, ſpiritualem poteſtatem ciuili gladio protegere, corruptelas tollere, decus & reuerentiam Eccleſiæ conſeruare, ambigua definire, quæſtionum ineptias præcidere quod fecit Conſtantinus, denique in rebus omnibus decorum ſeruare, certum rerum neutrarum & indifferentium morem præſcribere, quò Iuramentum Primatus regij velut in propriam ſpectabat metam: An non hoc ſit Principum officium ipſis à Deo conceſſum penes æquos & candidos æſtimatores iudicium eſto.

At quo pacto iſta munia, & prærogatiuæ, & titulorum inſignia Regibus in veteri & nouo teſtamento diuinitus data cum eximijs illis & hyperbolicis honoribus conueniant, quibus eos Bellarminus mactat, non video.

1 *REges potiùs ſeruos eſſe quàm Dominos.* 1 De laicis c.7.

2 *Quòd non ſolùm ſubiecti ſint Pontificibus, ſed & Epiſcopis, ſed & Presbytèris, atque adeò etiam Diaconis.* 2 De Pontif. l.1.c.7.

3 *Quòd Imperatorem non grauatè bibere oporteat non ſolum poſt Epiſcopum, ſed etiam poſt Presbyterum.* 3 Ibidem.

n 2.Sam.7. 14.
o Pſal. 82.6. & Exod 22.8.
p 1.Sam.24. 11.
q 2.Chro 9.8.
r 2.Chr.6.15
ſ 2.Sam.14. 20.
t 1.Sam.13. 14.
u 2.Sam 21. 17.
x Iſai.49. 23.
y Rom.13.5.
z 1.Tim.22.
a Rom.13.4.
b 1.Petr.2. 13.
c Matth.22. 21.
d Ioh.18.36.
e Luc.22.14.
f Luc.22.25.

Euſeb lib.3. de vita Conſtantini.

4 Ibid. & de Clero cap. 28. 4 *Quòd Regum auctoritas atque functio non immediatè ex Deo descendat, neque ex iure Diuino, sed duntaxat ex iure gentium.*

5 De Pontif. lib. 3. cap. 16. de Rom. Pontif. l. 5 c. 8. 5 *Quòd Pontifices multos quidem Imperatores deposuerint; nemo autem Imperator aliquando Pontificem: imò verò quòd Episcopis, qui mancipia sunt Papæ; deponere liceat Principes, & eorum leges rescindere.*

6 De Laicis c. 6. 6 *Quòd Ecclesiastici homines tam longè supra Principes sint, quàm anima supra corpus.*

7 De Pontif. l. 5. c. 18. 7 *Quòd Reges deponi possunt per subditos suos ob multas causas.*

8 De Pontif. l. 2. c. 26. 8 *Pontifices nullo modo deponi posse: nemini enim mortalium permissum esse de ijs iudicare.*

9 De Pontif. l. 4. c. 25. 9 *Obedientiam Papæ deberi propter conscientiam.*

10 De Cleric. c. 28. 10 *Obedientiam autem Regi non alio respectu deberi quàm propter ordinem politicum.*

11 Ibidem. 11 *Quòd ipsi illi homines Ecclesiastici, qui & nati sunt & degunt in Regnis Principum, non tamen sunt eorum subditi, nec ab ijs iudicari possint, ipsis autem fas sit principes suos iudicare.*

12 Ibidem. 12 *Quòd obedientia quam Clerici tribuunt Regibus etiam in minimis mereq; ciuilibus negotijs, non sit à necessariâ aliquâ subiectione, sed tantùm ex discretione, & propter obseruationem boni ordinis atque moris.*

Antipathiam diuini & Bellarminiani codicis hactenus contuli, vt ex contrarijs iuxta se positis magis eluceſcat veritas. Id autem fidenter dicam, & idem mecum sentiet quisquis sepositis affectibus hæc tam pugnantia inter se commiserit, non magis opponi Christum Beliali, aut lucem tenebris, aut cælum inferno, quàm Roberti Bellarmini de regibus opinio diuinis oraculis aduersatur.

Ad literarum epilogum, quùm nihil habeat nisi hortationis vehementiam, vt Blakwellus ad constantiam & martyrium obfirmet animum: dolet mihi profecto tot sententias è sacris literis tam commodè & dextrè consutas tam incommode & falsò vsurpari. Sed nullo colore probari potest mala causa, nec falsa oratio vllis verborum offucijs sanescit: vt iam ipse (quod nobis obijciebat) stratagemate Satanico vti videatur,

videatur, quùm tanta ſanctitatis ſpecie hortatur ad nefas. Qua ipſa in re rectiùs, me iudice, ſeruaſſet decorum, ſi inter tot ſacra & diuina verba duas aut tres Gentilitiæ profanitatis voculas non paſſus fuiſſet ſibi excidere. Nam in ſacro codice, præſertim in nouo Teſtamento PONTIFICIS MAXIMI nomen non occurrit. Quocirca illius ius tituli & ſucceſſionis referat Pontifex ad Numæ Pompilij potius quam D. Petri inſtitutionem. D. Petrus enim de eo officij genere nihil quicquam ne per ſomnium quidem vnquam audiuit.

Quod ad CAPVT FIDEI quo titulo quoque vtitur Bellarminus, & nos ſupra meminimus; certum eſt Apoſtolos non niſi vnum Chriſtū hoc honore dignatos. Itaq; in Epiſtola tam ſacra & cathara ab vtroque titulorum genere abſtinendum erat, & quorum vocabula in ſacro codice non comparent, & quorum honos (eo nimirum ſenſu quo vſurpantur à Cardinale) ſoli Chriſto competit.

Sed vt tandem finem faciam, candidos literarum illius & Pontificiorum breuium lectores obnixè volo rogatos, non ex verborum ſpecie ſed rerum pondere cauſam æſtiment, neu tam reſpiciant quid affirmetur ſtrenuè quàm quid probetur legitimè. Apud bonos deinde ſubditos contendo, vt maneant in veritate, neu tranſmarinis præſtigijs patiantur ſe ab officio & naſcendi iure mihi debita obedientia abduci. Denique cæteros obteſtor in quorum manus hæc noſtra venient, vt poſitis tantiſper affectibus candidè iudicent de nuda & infucata rerum veritate, quò calumniarum atræ nebulæ quibus iniuſtiſſimè premor tandem euaneſcant, conſtetque omnibus vnicam illam mihi & ſcriptionis & editionis cauſam extitiſſe.

SACRATISSIMO ATQVE INVICTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO RODOLPHO II.

ROM. IMP. SEMPER AVGVSTO;

SERENISSIMIS ATQVE POTENTISSIMIS CHRISTIANI ORBIS Monarchis ac Regibus;

ILLVSTRISSIMIS CELSISSIMISQVE LIBERIS PRINCIPIBVS, REBVS PVBLICIS atque Ordinibus;

FRATRIBVS. CONSANGVINEIS, AFFINIBVS, FOEDERATIS, ATQVE AMICIS CHARISSIMIS;

IACOBVS

IACOBVS

DEI GRATIA, MAGNAE BRITANNIAE, FRANCIAE ET HIBERNIAE REX,

FIDEI VERE CHRISTIANÆ, CATHOLICÆ, APOSTOLICÆ, VETERISQVE AC PRIMITIVÆ Ecclesiæ, tot Episcoporum, aliorumque Fidelium Martirij gloriâ coronatorum sanguine illustris, Propagator, ac DEFENSOR:

IN CHRISTO IESV,

omnium nostrûm SERVATORE ac MEDIATORE vnico; SALVTEM Fœlicitatémque perpetuam.

(***)

SACRA-

Digitized by Google

SACRATISSIME ATQVE INVICTISSIME IMPERATOR, SERENISSIMI POTENTISSIMIQVE REGES, ILLVSTRISSIMI CELSISSIMIQVE PRINCIPES, INCLYTI ORDINES, FRATRES, CONSANGVINEI, AFFINES, FOEDERATI ATQVE AMICI CHARISSIMI.

VOBIS, ad quos iure ac merito pertinet, conſecro, dedicóque Monitoriam hanc meàm Præfationem, quam Apologiæ pro Iuramento fidelitatis iàm ſecundùm editæ, viſum eſt præfigere. Cauſſa enim communis agitur, & quæ ad ius dignitatémque pertinet omnium non modò Regum, ſed aliorum etiam quibuſcunque ſuprema eſt à Deo rerum Ciuilium demandata poteſtas. Quòd ſi in omni ſocietate, ſiue vniuerſitate ciuium, ſiue opificum collegijs, vnicuique ea cura eſt, ne quid ex illius communitatis, cui fidem dedit, priuilegijs delibetur; omnéſque adeò communem agi rem exiſtimantes coïtione facta cuiuis ſe periculo potiùs obijciunt, quàm vt vel tantillum de immunitatibus ſuis detrahi patiantur: ſi tenuioris, inquam, fortunæ hominibus tantus inſedit animorum ardor, tanta tuendorum iurium & priuilegiorum ſollicitudo, vt iniuriam, vel infimo cuique illatam, omnes ad ſe pertinere putent; quid nobis in pari cauſſa faciendum, quos Deus in altiſſimo dignitatis gradu, quaſi ſuos Vicarios & Legatos ad exercenda iudicia, in ſuo ſolio collocauit?

Quæ me ratio impulit, vt rem vobis exponerem, quæ non tam propriè me attingit, quàm ad vires auctoritatis noſtræ (de Regibus generatim loquor) debilitandas, & iura conuellenda, aditum patefacit. Cùm autem Pronunciatum ſit, non omnium modò gentium ordinúmque moribus inuiolatè receptum, ſed & iuris Ciuilis, quo maxima pars orbis Chriſtiani regitur, auctoritate comprobatum, vt æquas in diſceptando partes obtineant, qui conſimilem fouent cauſſam: quanto magis

gis vestrâ hoc interest quod nunc agitur, cùm non in pari aut simili, sed eâdem prorsus caussâ versemini ; quam vnà mecum omnes aut fouetis, aut saltem fouere debetis ? Quoniam igitur vna eadémque omnium est caussa, cùm Ciuilia, tum Municipalia omnium populorum iura concedunt, monéntque, vt simul ad patrocinium coëant, quos eadem caussa, & vnum discrimen coniungit. Quin & ipse Naturæ sensus hoc docet, quod Poëta cecinit:

——ecquid
Ad te pòst paulò ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Expergiscimini igitur, dum tempus est, & licet, neque sinite somno diuturniore incîdi in singulis, ad ruinam vniuersorum, auctoritatis vestræ neruos ; qui iunctis viribus complicati, velut in laqueum excrescerent tam validum, vt si hostis eum rumpere pertendat, cum Achitophele potiùs suffocetur, quàm perfringendo possit euadere. *Nunc dum singuli pugnant, vniuersi vincuntur.*

Quod autem ad Apologiam attinet, certè mihi visum non fuit, vt cùm primùm est edita, frontem eius nomine meo insignirem ; neque ea tamen mente, vt eam aliquando eiurarem. Satis insidebat animo, quod excerptum ex Scripturis in Præfatione ad Lectorem in ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ ΔΩΡΟΝ inserui, *Nihil tam occultum esse, quod non aliquando reuelabitur* : quo in loco sum pollicitus (nec auspice Deo datæ fidei deero) nihil me in secretissimis penetralibus facturum, quod, si foras sit prolatum, possit mihi ruboris pudorisue necessitatem afferre.

Apologiam sanè meam suppresso auctoris nomine primùm emisi, cùm hoc mihi consilium duabus potissimùm de caussis placuisset. Prior erat, ipsius rei de qua agebatur argumentum ; altera, hominum quibuscum negotium erat conditio. Res enim & materia scribendi, ad quam accingebar, tractatus erat argumentis & quęstionibus Theologicis plenus, quibus iusiurandum fidelitatis ab eorum, qui in illud scripserant, calumnijs asserebam. Mihi autem penè indignum videbatur nomen Regium libris eiusmodi, qui scholasticas disputationes continent, præfigi ; cùm potiùs è Maiestate nostra sit Edicta & Decreta scribere. Nam neque me Pontifice vlla ex parte inferiorem esse credo, (pace illius dixerim) quem eâdem ratione Censores meæ Apologiæ excusant : eum quippe Breuia strictim & præcisè conscripsisse ; nec aut rationes aut argumenta addidisse ; quòd non sit illius disputare, sed iudicare atque decernere.

Altera tacendi nominis ratio mihi fuit, eorum conditio cum quibus ad disceptandum descendebam. Quanquam enim paucis Pontificia

Breuia

Breuia notabam, mihi tamen id præcipuè laboris dederam, vt Bellarmini literas ad Blackwellum refellerem. Neque verò mihi vnquam perſuaſi, tantum eſſe in purpura Cardinalitia dignitatis, vt occurrere Regio fulgori par ac æmula, & velut æquali maieſtate cum eo poſſit ad certamen componi. Nam & multa millia in ſubditis habeo, qui ſplendore natalium Bellarmino non concedant: & hanc illius Eccleſiaſticam dignitatem, Cardinalatum inquam, neſcio quo loco, aut precio habeam, ſiue ad Scripturarum auctoritatem, ſiue ad Imperatorum Conſtitutiones expendam: cùm ſit nihil aliud, quàm noua Paparum inſtitutio, quam in immenſum excreſcere deceſſorum noſtrorum, Regum inquam, qui his aliquot ſæculis rem Chriſtianam rexerunt, mollis, & ad omnia Pontifici conniuens lenitas permiſit. Sed & quanquam Apologię meum nomen non pręſcripſi, nihilominus veſtrûm aliquot, ad quos hoc quod agitur potiſſimum ſpectat, Fratres & Conſanguinei mei chariſſimi, ex Legatis ſuis reſcire potuerunt, me, nihil diſſimulato nomine, cùm primùm ille liber prodijſſet, ijs aliquot exemplaria obtuliſſe, auctorémque palàm eſſe profeſſum. Anglus item Paragraphiſta, vel potiùs petulans ille atque peruerſus Parſonius (quandoquidem ſuo illo P. tantopere delectatur) rectè veréque animaduertit, mea inſignia ipſi fronti voluminis præpoſita fuiſſe: quod haud temere fit in libris, quos priuati homines euulgant. Vnde facile eſt ipſius malam mentem arguere, qui vt in me inuehatur atrociùs, Auctoris ignorationem prætendit. Nunc verò quùm animaduertam, licet ab Apologia nomen meum abſtinuerim, Cenſores tamen meos nihilo mitiores factos, calamum à conuitiorum plauſtris non abſtinuiſſe: (nec enim pepercerunt in me inclementer dicere, modò nominatim ac directè, modò obliquè Auctorem exagitando) iam omnino maturum eſt velum exuere, nec dubitanter aut furtim meos fœtus agnoſcere, tanquam pudendos & exponendos produxiſſem. Sed vt melius totius quæſtionis vim ac rationem percipere poſſitis, à principio omnia repetenda ſunt, & quibus initijs ac fundamentis hæc tanta controuerſia excitata eſt.

Horrenda illa & prodigioſa cõiuratio, quę per tormentarij pulueris impetum deſtinabatur, de cuius flagitij immanitate nulla vnquam ætas conticeſcet, (quanquam illius mentio tam ſæpe repetita mitem ac miſericordem Parſonij animum perfodiat) non in me tantùm meóſque poſteros inita, publicos etiam Regni Ordines euertere ac delere inſtituerat; nec alij tanti facinoris auctores, quàm Papiſtæ aliquot, præpoſtero ſuæ religionis ſubuehendæ zelo, ad hanc immanitatem inducti. Ex ijs nonnulli tantâ pertinaciâ obſtinauerant ſcelus, vt nec in ſupremo vitæ articulo deteſtarentur ſuum crimen, ſupremíſque verbis, & penè ſuperueniente morte præciſis, reos ſe vllius flagitij confiteri abnuerent, aut petere cogitati facinoris veniam, niſi priùs Romana Eccleſia, hoc

tantæ

gis vestrâ hoc interest quod nunc agitur, cùm non in pari aut simili, sed eádem prorsus caussâ versemini ; quam vnà mecum omnes aut fouetis, aut saltem fouere debetis ? Quoniam igitur vna eadémque omnium est caussa, cùm Ciuilia, tum Municipalia omnium populorum iura concedunt, monéntque, vt simul ad patrocinium coëant, quos eadem caussa, & vnum discrimen coniungit. Quin & ipse Naturæ sensus hoc docet, quod Poëta cecinit:

——————————*ecquid*
Ad te pòst paulò ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Expergiscimini igitur, dum tempus est, & licet, neque finite somno diuturniore incîdi in singulis, ad ruinam vniuersorum, auctoritatis vestræ neruos; qui iunctis viribus complicati, velut in laqueum excrescerent tam validum, vt si hostis eum rumpere pertendat, cum Achitophele potiùs suffocetur, quàm perfringendo possit euadere. *Nunc dum singuli pugnant, vniuersi vincuntur.*

Quod autem ad Apologiam attinet, certè mihi visum non fuit, vt cùm primùm est edita, frontem eius nomine meo insignirem; neque ea tamen mente, vt eam aliquando eiurarem. Satis insidebat animo, quod excerptum ex Scripturis in Præfatione ad Lectorem in ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ ΔΩΡΟΝ inserui, *Nihil tam occultum esse, quod non aliquando reuelabitur*: quo in loco sum pollicitus (nec auspice Deo datæ fidei deero) nihil me in secretissimis penetralibus factu rum, quod, si foras sit prolatum, possit mihi ruboris pudorísue necessitatem afferre.

Apologiam sanè meam suppresso auctoris nomine primùm emisi, cùm hoc mihi consilium duabus potissimùm de caussis placuisset. Prior erat, ipsius rei de qua agebatur argumentum; altera, hominum quibuscum negotium erat conditio. Res enim & materia scribendi, ad quam accingebar, tractatus erat argumentis & quęstionibus Theologicis plenus, quibus iusiurandum fidelitatis ab eorum, qui in illud scripserant, calumnijs asserebam. Mihi autem penè indignum videbatur nomen Regium libris eiusmodi, qui scholasticas disputationes continent, præfigi; cùm potiùs è Maiestate nostra sit Edicta & Decreta scribere. Nam neque me Pontifice vlla ex parte inferiorem esse credo, (pace illius dixerim) quem eâdem ratione Censores meæ Apologiæ excusant: eum quippe Breuia strictim & præcisè conscripsisse; nec aut rationes aut argumenta addidisse; quòd non sit illius disputare, sed iudicare atque decernere.

Altera tacendi nominis ratio mihi fuit, eorum conditio cum quibus ad disceptandum descendebam. Quanquam enim paucis Pontificia

Breuia

Digitized by Google

Breuia notabam, mihi tamen id præcipuè laboris dederam, vt Bellarmini literas ad Blackwellum refellerem. Neque verò mihi vnquam perſuaſi, tantum eſſe in purpura Cardinalitia dignitatis, vt occurrere Regio fulgori par ac æmula, & velut æquali maieſtate cum eo poſſit ad certamen componi. Nam & multa millia in ſubditis habeo, qui ſplendore natalium Bellarmino non concedant: & hanc illius Eccleſiaſticam dignitatem, Cardinalatum inquam, neſcio quo loco, aut precio habeam, ſiue ad Scripturarum auctoritatem, ſiue ad Imperatorum Conſtitutiones expendam: cùm ſit nihil aliud, quàm noua Paparum inſtitutio, quam in immenſum excreſcere deceſſorum noſtrorum, Regum inquam, qui his aliquot ſæculis rem Chriſtianam rexerunt, mollis, & ad omnia Pontifici conniuens lenitas permiſit. Sed & quanquam Apologię meum nomen non pręſcripſi, nihilominus veſtrûm aliquot, ad quos hoc quod agitur potiſſimum ſpectat, Fratres & Conſanguinei mei chariſſimi, ex Legatis ſuis reſcire potuerunt, me, nihil diſſimulato nomine, cùm primùm ille liber prodijſſet, ijs aliquot exemplaria obtuliſſe, auctorémque palàm eſſe profeſſum. Anglus item Paragraphiſta, vel potiùs petulans ille atque peruerſus Parſonius (quandoquidem ſuo illo P. tantopere delectatur) rectè veréque animaduertit, mea inſignia ipſi fronti voluminis præpoſita fuiſſe: quod haud temere fit in libris, quos priuati homines euulgant. Vnde facile eſt ipſius malam mentem arguere, qui vt in me inuehatur atrociùs, Auctoris ignorationem prætendit. Nunc verò quùm animaduertam, licet ab Apologia nomen meum abſtinuerim, Cenſores tamen meos nihilo mitiores factos, calamum à conuitiorum plauſtris non abſtinuiſſe: (nec enim pepercerunt in me inclementer dicere, modò nominatim ac directè, modò obliquè Auctorem exagitando) iam omnino maturum eſt velum exuere, nec dubitanter aut furtim meos fœtus agnoſcere, tanquam pudendos & exponendos produxiſſem. Sed vt melius totius quæſtionis vim ac rationem percipere poſſitis, à principio omnia repetenda ſunt, & quibus initijs ac fundamentis hæc tanta controuerſia excitata eſt.

Horrenda illa & prodigioſa cõiuratio, quę per tormentarij pulueris impetum deſtinabatur, de cuius flagitij immanitate nulla vnquam ætas conticeſcet, (quanquam illius mentio tam ſæpe repetita mitem ac miſericordem Parſonij animum perfodiat) non in me tantùm meóſque poſteros inita, publicos etiam Regni Ordines euertere ac delere inſtituerat; nec alij tanti facinoris auctores, quàm Papiſtæ aliquot, præpoſtero ſuæ religionis ſubuehendæ zelo, ad hanc immanitatem inducti. Ex ijs nonnulli tantâ pertinaciâ obſtinauerant ſcelus, vt nec in ſupremo vitæ articulo deteſtarentur ſuum crimen, ſupremíſque verbis, & penè ſuperueniente morte præciſis, reos ſe vllius flagitij confiteri abnuerent, aut petere cogitati facinoris veniam, niſi priùs Romana Eccleſia, hoc

tantæ

tantæ coniurationis consilium, suâ sententiâ damnauisset. Nec multò post innotuit, non paucos ex meorum subditorum numero, qui Romanam religionem profitentur, omnis conditionis atque sexus, alios domi, alios foris & apud gentes exteras, confusa & obscura significatione resciuisse, magnum aliquid, quo Romanæ Ecclesiæ vtilitas promoueretur, in id coëuntium Ordinum tempus comparari: quamquam illis, ne vulgata res secretum omne perderet, destinatæ rei modus, ac consiliorum ratio nequaquam proderetur. Sed & certæ precationum formulæ conceptæ, & à multis vsurpatæ, quibus prosperos successus tanto & tam graui negotio precabantur. Ipsi quoque coniurationis auctores atque architecti in constantiæ suę pignus, & silentij auctoramentum, sæpius, & multorum sacerdotum ministerio, Eucharistiæ sacramento sumpto, animos suos ad flagitium obfirmárunt. Quidam præterea ex Iesuitarum primarijs contagione tanti sceleris infecti: ex his aliquot maturâ ad exteras gentes fugâ vim iudiciorum eluserunt: intercepti aliquot (inter quos Sanctus ille Garnetus & Ouldcornius) & facinus confitentes, capitis supplicio affecti sunt.

Hæc tanta & tam atrox coniuratio, tot circumstantijs infamis, vtrum illis Regni Ordinibus, in quorum exitium conflata fuerat, iustam occasionem præbuerit, vt cùm primùm deinde conuenissent, magno, ardentique animo omnes vias quærerent, inirentque, quibus posset deprehendi, an adhuc restarent hîc aliqui, qui cum coniuratis in tam immani scelere sentirent; id verò vestri iudicij sit, quos Deus præcipuos sibi in terris Vicarios in administratione Iustitiæ esse iussit. Inter cætera, quæ ad hanc rem facere videbantur, hoc etiam fidelitatis Iusiurandum, quod hodie tam indignè ab iniquis æstimatoribus carpitur, sancitum, & inter publica Ordinum decreta relatum est. Quòd si tunc leges aliquæ tristiores sunt in Papistas latæ, qui tamen receptis hîc antea legibus minus audientes erant, sanè temporis, locíque, & hominum denique ratio, qui eas ferebant, vobis omnem, seu mirandi, seu indignandi ansam præripiet; cùm hæc omnia seueritatem istam legum in Pontificios non tàm suaserint, quàm extorserint. *Tempus* erat, proximus Ordinum conuentus post patefactum & illustratum coniurationis scelus. *Locus* autem idem ille, in quem parata fuerat sulphureorum fulminum immanitas: vt, vel parietum aspectus ipse, ad tam recentis atrocitatis memoriam intuentes excitaret. Ipsi quoque *Homines* non alij, quàm qui publicè ad celeberrimum illum Conuentum fuerant delegati; quibus nempe tam cruentum funestúmque exitium intentabatur. Ita tamen animus meus, & instituta administrandarum rerum ratio, ab omni acerbitate abhorret, vt vix vlla ad superiores leges seuerior accessio in hunc vsque diem executioni mandata sit. Atque vt certioribus indicijs perditam horum conuitiatorum malitiam deprehendere

dere poſſitis, qui hoc iuſiurandum excogitatum eſſe impudenter aſſerunt, ad improuidorum Pontificiorum conſcientias in cauſis fidei in fraudem illiciendas, rem omnem paucis expediam.

Eâ pars publicorum Ordinum, quæ inferiore Curia continetur, (inferiorem domum Parliamenti vocant) cùm primùm concipereturiuriſiurandi formula, clauſulam inſeruerat, qua Pontifici excommunicandi mei poteſtas adimebatur. ſed hanc clauſulam induci protinus ac deleri volui, vt vis alia huius iuriſiurandi non eſſet, quàm excommunicationem Pontificis, iuſtam ac legitimam cauſſam meis ſubditis miniſtrare non poſſe, vt quicquam apertis aut clandeſtinis conſilijs, in me, meúmue imperium moliantur: qui abdicandorum Regum ius, nullo legitimo modo Pontifici quæſitum eſſe cenſeam: & hanc iniuſtam Paparum vſurpationem & violentiam ſæcularem, Excommunicationis, quæ ſpiritualis cenſura eſt, fines longè latéque excedere arbitrer. Tanto ſtudio, tantáque ſollicitudine cauebam, ne quicquam hoc iureiurando contineretur, præter fidelitatis illius, ciuiliſque & temporalis obedientiæ profeſſionem, quam ipſa Natura omnibus ſub regno naſcentibus præſcribit: addita ſponſione, qua opem & auxilium contra omnem vim debitæ fidei aduerſam à ſubditis ſtipulabar.

Hoc igitur iuſiurandum tantis támque iuſtis rationibus ſubnixum, tam æqua támque moderata formula conceptum, cuius vnus ille finis erat, vt Pontificij nequaquam turbulenti, cæteráque boni ciues, ab eis dignoſcerentur, quorum animis opiniones illæ furioſæ & ſanguinariæ inhæſerant, quæ coniurationem nitrati pulueris pepererunt: Hoc, inquam, iuſiurandum cùm promulgatum eſſet, poſitúmque iam in vſu, tantum turbarum in Pontificis, Clerique Pontificij animis conciuit, vt inſtar vndarum vndas ſuperuenientium ipſa Breuia in Angliam certatim aduolarent, quibus interdicebatur Catholicis, ne ſe illius ſacramenti religione obligarent: rem eſſe fidei contrariam, quámque ipſi ſine iactura animarum admittere non poſſent. Cardinalis quoque Bellarmini literæ ad Blackwellum allatæ ſunt, in eandem ſententiam quidem ſcriptæ, ſed quibus prolixiùs de hoc iureiurando differebatur.

Hîc ego tam æqui iuriſiurandi támque legitimi tam iniuſtam oppugnationem mecum perpendere, hîc metuere, ne Sophiſtarum illorum calumnijs & argutijs rudes ſimplicioris vulgi animi, religionis & conſcientiæ obtentu, in fraudem inducerentur. Viſum itaque è re eſſe vt huius iuriſiurandi Apologiam ederem, in qua ſuſcipiebam probandum, nihil in eo contineri, niſi quod ad obedientiam merè ciuilem ac temporalem ſpectat, qualis ſummis Principibus à ſubditis debetur: huic autem æquiſſime legi controuerſiam non aliunde eſſe motam, quàm ab ambitioſâ Pontificum tyrannide, quam illi contra auctoritatem Scripturarum, contra Conciliorum antiquorúmque Patrum men-

tem sibi in temporalia Regum iura & auctoritatem iniustè vsurparunt: in qua quidem Regum auctoritate asserenda totam meam Apologiam impendi.

Sed cùm id operis emisissem, ecce tibi exortos subitò duos Censores, qui non tam argumentis in librum, quàm in me conuitijs certauerunt; vt impudentiam hominum omnes meritò mirentur. Cùm enim librum Anglico sermone conscripsissem, qui, pro argumento, iurisiurandi Anglicani patrocinium complecteretur, totàque res Anglos meos potissimùm tangeret; & mox aliqui, faciliorem illi viam ad exteras gentes sterni cupientes, eundem latinitate donassent; redijt ad me non multò post malè mulctatus, & vtróque idiomate vapulans. Atque equidem credo, si tot támque varijs linguis prodijsset, quotquot erant in illa confusione Babylonica, vexatum illis omnibus fuisse rediturum: ex quo intelligas, quàm impiger sit Diabolus, & quàm in omnes occasiones intentus, quo venenatas suas merces extrudat. Sed illorum malam mentem vel hoc ipsum liquidò arguat, quòd me statim gemina confutatione exceperint: Blackwelli autem Archi-presbyteri libro (quo ille huius iurisiurandi æquitatem, & ius Regum in rebus ciuilibus innumeris Scholasticorum Pontificiorum testimonijs, tuetur) ne verbo quidem responderint.

Quod ad istum, qui mihi Anglicè respondit, fugitiuum illum meum, & officiorum, quæ mihi iure naturæ debuit, eiuratorem; neque sacras vestras aures violari, neque stylum meum fœdari patiar, in eo homuncione depingendo; qui non erubuit, immo non exhorruit debacchari, atque acerbitatis suæ virus in Reginam recentis fœlicisque memoriæ euomere. Subditúmne Principi naturali maledicere? Virum fœminę, cíque Heroinæ conuitiari? Hominem pium, externa saltem professione, in demortuam impiè insultare? Denique Rhadamanthi munus inuadere, sedere atque agere Iudicem apud inferos? Hoc illum cruciat scilicet; hinc omnis illius furor & rabies, quod ferre non potest, vel me successorem, vel quenquam ex eius ministris, quicquam honorificè de ea prædicare. Maledictus, qui maledicit vncto Domini: pereátq; interitu Core, qui peccauit in contradictione Core: foras eiusmodi canes, porcique eijciuntur, extra cœlestem, dico, Ierusalem.

ἐγὼ οὐδὲν φθονῶν λαλῶ.

Venio nunc ad illum, qui Latinè in me scripsit. sanè de homine ipso quod dicam, non habeo: ex subditis meis non est; Domino suo stat, vel cadit. hoc tamen mihi constat, vtrumque eorùm iecisse sortem super libro meo, quem diuidere non poterant. fugitiuo meo obtigit, vt defunctæ Reginæ memoriam conuitijs oneraret; sed non alia re, quàm recte refellenda sunt huius rabulæ mendacia. Alteri externo, vt me meámque Apologiam petulantius lacesseret, quod & videbatur maiori cum audacia facturus, & reuera confidentiùs præstitit: sed quàm iustè,

iustè, siue ipsam materiam, siue tractandi modum spectes, nunc videndum.

Primùm quidem, quis illi libro auctor sit, tantùm ex coniectura augurari possum. id nominis sibi adscripsit, Matthæus Tortus Cardinali Bellamîno à sacellis; distortus sanè Doctor, tortuosa Matæologia imbutus; auctor obscurus; mihi quidem prorsus incognitus, & parum vt opinor, ex vllis suis operibus orbi notus. Quis non igitur perditum nebulonem arbitretur, qui non in refutando tantùm Rege, sed etiam calumnijs onerando, prima artis suæ rudimenta posuerit? Verùm quisquis totius libri seriem accuratè perpenderit, quàm elato spiritu stylóque decurrat, vt nec toti Regum ordini, nec mihi nominatim ipsi pepercerit, quanto denique fastu & supercilio, hæc & similia in eo scribantur; [a] *Habemus enim exemplaria Breuium illorum in manibus*: & [b] *Decernimus* &c. id quicquid est operis, Cardinali certè potiùs, quàm illius ministro imputauerit. ac quo loco præcipuè [c] *certitudinem suam moralem*, & suum illud *piè credi* sibi à me obiectum conqueritur, fœdo memoriæ lapsu suam ipse laruam prodens, [d] *Mala fide nobiscum agit*, inquit; hoc ipso non alium esse se à Bellarmino confessus. Sed sit sane Torti quisquis ille est, non autem personati Cardinalis liber: factum omninò præstare Cardinalem oportet, cùm & bonus iste Tortus ex illius familia sit, & patrocinaturus Domino causam susceperit; cùm sit, inquam, negotium Bellarmini, & per seruum tanquam procuratorem gestum, quicquid in eo actum est, non potest non Bellarmino imputari; cùm præsertim Anglus ille meæ Apologiæ oppugnator, quater prædixerit, eam aut opera Bellarmini, aut mandato propediem refutandam.

a Pag. 46.
b Pag. 63.
c Pag. 69.
d Ibid. 69.

Nunc verò *rem* ipsam, obsecro, & *modum* respondendi videamus. certè *modus* ipse ab omni modestia alienus, dehonestandæ materiæ abundè suffecerit. Primùm enim ad arrogantiam suam prodendam, in Præfatione Typographo Politano adscripta, qui hunc elegantem (ita enim appellat) libellum excudit, Cardinalitiam dignitatem in omnibus cum mea componere voluit. Tortum enim, licet obscurum & ignobilem fateatur, cùm sit tamen à Sacellis Cardinali, satis idoneus, scilicet, ei videtur, qui Anglico libro respondeat sine nomine auctoris euulgato: quasi suppositititium & obscurum nomen libro Cardinalis præpositum, Regis libro, qui nullum authoris nomen præ se ferret, refellendo sufficeret: aut Cardinalis Sacellanus Decanum Regij Sacelli æquare debeat; quem, vt videtur, Parsonius cum Cardinale conspirans auctorem Apologiæ inscripsit. Nec in Præfatione solùm, hac se mihi maiestatis comparatione adæquauit; sed eodem vbique fastu tota libri series intumescit. quam ego in scribendo breuitatem, eandem ipse in respondendo sequi voluit: quo compendio in secundo Pontificis Breui refutan-

ui refutando vsus eram, eodem in me voluit vti, meóque exemplo sese penè intra vnius paginæ angustias coërcere. Et quoniam Sacramenti fidelitatis summam in articulos quatuordecim distribui, peccare in suã amplitudinem credidisset, nisi & publicorum Ordinum edictum, quo istud iusiurandum continetur, in totidem particulas diuisisset. Quòd si inani hac superbia & amplitudinis suæ ostentatione ita animum expleuisset, vt à grauiori in me iniuria temperaret; videri sanè tolerabilior potuisset. Nunc verò quid esse causæ dicat, cur penè continuis in me, meámque Apologiam conuicijs suam responsionem referserit? Nam cùm in tota mea Apologia nusquam Bellarminum verbo atrociore læserim; & præcipuè id cauerim, ne hominem mendacij insimularem; ille, hâc lege humanitatis spreta, nouies disertis verbis me mentiri pronunciat, & septies falsi arguit: quod perinde est, ac si mendacium mihi exprobraret. cæteris verò contumelijs, nescio an vlla pars libri vacet, cuiusmodi sunt: *Nugæ, conuitia, temeritas, vanitas, impudentia, blasphemiæ, sermonis barbaries, cum eadem felicitate scribendi, cauillationes, applicatio ineptæ, fingere historias, audacia quæ in hominem sanæ mentis cadere non potest, vel sensu communi caret, imperitia & leuitas, omnem omnino pudorem & conscientiam exuisse, mala fide nobiscum agit, vt lectoribus per fas & nefas imponat.* His & eiusmodi conuicijs, nescio vllámne paginam immunem reliquerit, nisi fortè vbi inutili otio abutens, Pontificia Breuia, suámque ipsius epistolam recitat. Sed hæc fortè in ignotum Apologiæ authorem solummodo; quem tamen (vt suprà demonstraui) probè norat, probra mittebat: immo verò nec mihi ipsi, nec nomini meo pepercit. Modò affirmat Clementem Pontificem sensisse, *me* [a] *non abhorrere à fide Catholica*; modò, me [b] *in Scotia Puritanum, & Protestantium inimicum extitisse*, alibi concludit, [c] *Quia Iacobus non est Catholicus, hoc ipso hæreticus est*: iterum, [d] *Ex Christiano Caluinistam fecerunt*: alio loco, [e] *Neque omnino verum est, Iacobum nunquam deseruisse religionem, quam primò susceperat.* Et posteaquam Iuliano Apostatæ me contulisset, hoc argumento rem concludit, [f] *Cum Catholicus non sit, neque Christianus est.* Sit hæc honesta necne ratio cum Rege agendi, vestro sane iudicio relinquo; quos non potest tanta contumelia vni vestri ordinis illata, non grauiter commouere.

a Tortus pag. 47.
b Pag. 98.
c Pag. 87.
d Pag. 98.
e Ibid.
f Pag. 97.

Iam verò argumentum, & subiecta materia libri, modo tractandi probe conuenit. nusquam enim ad id, in quo causæ cardo vertitur, directè respondet. quippe duo tantum sunt capita, de quibus in Apologia disserui, vt suprà monui. Prius, vt probarem in fidelitatis Sacramento, nihil aliud, quàm obedientiam merè Ciuilem & secularem, summis Principibus à subditis debitam, contineri. Alterum, vt ostenderem, hanc in Reges potestatem à Pontificibus iniquè vsurpatam, cum Scripturis, Concilijs, & Patribus pugnare. Prius, non aliter quàm

hac

Digitized by Google

hac vitiosa consequutione refutat: cùm hoc iureiurando, ius abdicandorum Regum, Pontifici negetur; ne quidem excommunicandorum potestatem illi relinqui. Nec posterius disputationis meæ caput alijs machinis adoritur, quàm illis Christi verbis, *Pasce oues meas*: &, *Tibi dabo claues regni cœlorum*: &, *Nemini vnquam Catholico id dubium fuisse*: vt asseuerare verè possim, aut non ab eo intelligi meum librum; aut certè ignorationem simulari, eò quòd nusquam appositè respondeat primariæ quæstioni; vt suprà demonstratum est. Itaque iure optimo possum in ipsum ignorantiæ sugillationem retorquere, cuius me temerè damnauit initio libri, dum affirmat me, nec *Pontificis Breuia, nec epistolam, nec iuramentum ipsum intelligere.* Cæterùm vt hac vitiosa consequutione delectatus, eandem ad fastidium repetit, in eáque triumphat, non posse Pontifici coërcendorum & proscribendorum Regum ius, nisi cum Primatu & spirituali excommunicationis potestate, auferri: ita hoc verborum fundamento, *Pasce oues meas*, immane quàm amplum solutúmque imperium Pontifici exstruat; quo ad libidinem condonare atque adimere regna possit: huic tamen seruituri, non alios quàm Christianos Reges addicens. Nec dubito, quin pro Imperij vestri maiestate, iniuriam tam indignè auctoritati vestræ illatam sitis grauiter laturi: præsertim cùm illis omnibus è vestro numero, qui Romanam amplectuntur religionem, hoc, magis quàm mihi, prouidendum sit. Nam cùm me hæreticis annumeret, cùm Iuliano Apostatæ æquet, extra caulam etiam, gregémque Pontificium, esse putet necesse est. Eodem itaque iure cum Ethnicis Principibus censendus sum, in quos ipse nihil posse Pontificem fatetur. At vos, de Pontificio grege estis: vos magnus ille Pastor *instar ouium ad occisionem ducere* pro libidine sua potest. Cùm aselli auriculas vellet Leo pro cornibus accipi, idem omnes sentire oportebat; & vos pura fortasse nitidáque cute, nihilominus vt scabie infectæ oues, segregandi prorsus estis, si vos censura Pontificia tales esse iudicarit.

Sic nouum & egregium, scilicet, sensum his Christi verbis affinxit, *Pasce oues meas*: tanquam hoc significarent, Tolle, proscribe, abdica Christianos Principes atque Reges: Illis quoque, *Quodcunque solueris*, quibus potestatem Pontifici datam esse contendit, in omni iuramentorum, votorúmque, mulctarum quoque, censurarum, atque legum genere dispensandi: immo & soluendi naturale hoc vinculum, quod subditos ad obtemperandum suis Principibus astringit: interpretationem absurdam, eíque simillimam, quam nuper ex illius fratribus vnus ridiculè diuulgauit: nam hæc verba, quæ Petro in ecstasin rapto dicta sunt: *Surge Petre, occide, & manduca*: ita [a] Baronius exponit: Age, Papa, confice Venetos, penitúsque disperde.

[a] Sent. Baron. super excom. Venet.

Sed est totus in fermento, quòd sententiâ ex Controuersiarum ope-

Lib. de Clericis cap. 28.

re productâ, alienum à Regibus eius animum detexerim. Nam cùm in ea parte, quæ est de Clericis, eò audaciæ deuenerit, vt Ecclesiasticos homines, omni terrenorum Regum potestate solutos pronunciet: nec eos, vel in ciuilibus rebus, ad obsequium posse adigi, nisi tantummodo *vi rationis*, & pro arbitratu suo, pacis, & tranquillitatis publicæ conseruandæ gratiâ: quia, inquam, citans hunc locum in libro meo, mirabundus refero, eximere illum omnes Clericos potestate Regum, etiam eorum sub quorum imperio nati sunt, & in quorum regnis degunt: Tortus, meis verbis commotus additionem esse ait, ad concitandum ipsi odium, & conflandam inuidiam, astutè insertam. *Affirmat quidem Bellarminus cum communi sententia Catholicorum*, inquit, *Ecclesiasticos exemptos esse à potestate Principum terrenorum: sea illas particulas, qui & nati sunt, & degunt in regnis Principum, Bellarminus in libro suo non posuit*: quasi verò hæc verba, de omnibus Ecclesiasticis, Regibúsque omnibus absolutè prolata, non eum, quem elicui sensum faciant. Nam ne Laici quidem, vt Clericos mittam, alijs quàm legitimis suis Principibus ad obsequendi parendique necessitatem tenentur. Sed nec erubescit confiteri, eam sibi fuisse mentem, quam argui: *Non quòd*, inquit, *Verum esse existimem; sed quia non erat opus ad ista descendere*. mihi autem succenset, quòd arcanum eius extulerim, iampridem typis ab ipso auctore cuulgatum. Sed quorum ille odium in hoc pertimuit? nónne vestrum? quorúmue interest, nisi Regum, nequid prærogatiuis regalibus detrahatur? Quòd si potentissimus quisque vestrûm altè serióque recogitet, penè tertiam populi solíque vestri partem, Ecclesiæ esse dicatam, nónne illius, quæso, iacturæ sensus animos vestros percutiet, quæ tantum hominum fundorúmque vestro iuri subtrahat, vt vbique Pontifici coloniæ prouinciæque constituantur? immò quantum spinarum & tribulorum in medijs vestris ditionibus relinquitur, cùm asseratur tam potens hominum factio sub imperijs vestris nasci, edûcari, opimísque prædijs frui posse, quæ à vestra potestate immunis sit, nec vllo iure vestris legibus iudicijsque subiecta? Adeò vt, cùm antiquitùs, Clerici nihil vltrà decimas appeterent, ijsque contenti viuerent: nunc Papa Clericorum caput, non nisi tertia ciuium & bonorum ac fundorum parte, in omnibus Regnis & prouincijs accepta, acquiescat. Sed nec hoc tantùm loco prærogatiuam illam Papæ in Reges Principésque exequitur; totam libri seriem tum in eâ extollendâ impendit; tum in iniqua mea seueritate accusanda, quòd Catholicos homines adigam ad hoc fidelitatis sacramentũ, quod euincere nititur, nihil esse præter antiquum illud Primatus *iuramentũ*, nunc recens *verbis obscurioribus, & per ambages circumlocutionum formatũ*, in hoc tantùm, vt clandestinis machinis spiritualis Pontifici auctoritas eripiatur: quam ipse sæcularem Pontificis in Reges Dictaturam, præcipuis Catholicæ fidei articulis annumerat.

Pag 135.

Pag. 11.

Ac

Digitized by Google

Ac vt vobis in perſpicuo magis ſit, non alium mihi ſcopum in hoc negotio extitiſſe; quàm vt de ciuili & temporali *obedientia*, quæ mihià ſubditis debetur, agerem; nec illorum conſcientijs inſidias à me eſſe comparatas (quod hic mihi Conuitiator falſiſſimè obiecit) primùm illud videamus, quàm longè Imperatores atque Reges, qui ſuperioribus ſæculis religiosè Chriſtianéque vixerunt, ab eo abfuerint, vt ius in ſe aliquod Pontifici eſſe crederent: cùm contrà, Papas ipſi creauerint, in ordinem redegerint, adeóque de ſede deiecerint. Inſtituam deinde deceſſorum meorum Regum Angliæ Catalogum, qui eo ipſo tempore, quo res Pontificiæ florentiſſimæ fuerunt, Pontificibus in eorum temporalem auctoritatem graſſantibus animosè reſtiterunt.

Ac primùm quidem Imperatores Chriſtiani, multis ſæculis, non modò Romano Antiſtiti non ſubmittebant ſua ſceptra, ſed & Papa ſe Imperatorum Beneficiarium ac ſubditum omni obſequio & ſubmiſſione fatebatur. huius aſſertionis probationes ac exempla ex mea Apologia peti poſſunt.

Sed & per ætates complurimas certum ius ac inuiolatum apud Imperatores manſit, Romanos Pontifices creandi. Teſtis mihi princeps erit ille Pontifex, qui in [a] Concilio 153. Epiſcoporum, Abbatúmque decreuit, vt Carolo Magno Imperatori ius ac poteſtas eſſet, eligendi Papam, & *ordinandi ſedem Apoſtolicam: dignitatem quoque Patriciatus ei conceſsit. Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas prouincias ab eo inueſtituram accipere definiuit: vt niſi à rege laudetur & inueſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur: & quicunque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodauit: & niſi reſipiſceret, bona eius publicari præcepit.*

Quòd verò Imperatoris aſſenſus, longo annorum decurſu, eligendis Pontificibus interuenerit, [b] Platina, multique ex Pontificijs ſcriptoribus teſtes ſunt: atque ipſe [c] Bellarminus in ſuo Controuerſiarum opere hoc commodè eludere non poteſt. Quin & certam pecuniam, vt confirmationem obtinerent, Pontifices in Imperatorium fiſcum dependere cogebantur, quem morem penè ad ſeptingenteſimum Chriſti annum duraſſe, [d] Sigebertus & [e] Luitprandus, alijque Pontificiæ ſectæ hiſtorici, teſtes ſunt.

Sed & paſſim occurrunt Imperatorum exempla, qui Romanis Pontificibus ſuam poteſtatem abrogarunt. [f] Ottho Imperator, Iohannem duodecimum Pontificatu abdicauit, quòd eſſet varijs criminibus, ac præcipuè libidine infamis. [g] Henricus tertius Imperator exiguo temporis ſpatio, Benedictum nonum, Sylueſtrum tertium, & Gregorium ſextum, *Synodaliter depoſuit*, cùm inſimulatos auaritiæ, tum quòd hanc in Principes extraordinariam poteſtatem proteruè & procaciter vſurpaſſent.

Nec minor Regum conſtantia, hoc in ſe ius Pontificis temporale aſper-

a Sigebert. ad annum 773. Walſram. Naumburg lib. de Epiſc. inueſt. Mart. Polon. ad annũ 980. Theod. à Niem. de Priuil. & iurib. Imperij & d. ſt. 63. C. Hadrian.

b Vide Platinam in vit. Pelag 2. Gregor. 1. & Scuerini.

c Lib. de Clericis.

d In Chronicis ad an. 680.

e In vit. Agath & Anaſt. in vit. Agathon & Her. Contract ad annum 678. edit. poſt. & diſt. 63. c. Agat.

f Luitprand. hiſt. lib. 6. cap. 10. 11. Rhegino ad an 963. & Plat. in vita Ioan. 13.

g Marianus Scot. Sigeb. Abbas Vrſp. ad an. 1046 & Plat. in vit. Greg 6.

aſpernantium. nam primùm, illuſtrium auctorum conſenſu, qui res Regum Chriſtianorum Scriptis prodiderunt, accepimus (vt [a] Walthramus teſtis eſt) *de Epiſcopis Hiſpaniæ, Scotiæ, Angliæ, Hungariæ, quomodo ex antiqua inſtitutione vſque ad modernam nouitatem, per Reges introierint, cum pace temporalium, purè & integrè. Qui pacificè ſollicitus eſt, reuoluat vitas Patrum, & hiſtorias legat, & intelligat.* Ac vt hanc illius ſententiam vniuersè prolatam, per partes & articulos probemus, ordiamur à Franciæ Regibus, quanquam à Walthramo in hac diuerſarum gentium enumeratione prætermiſſis. Ex illorum monimentis primùm eruam, [b] Philippi, cui cognomen Pulchro fuit, illas celebres ad Bonifacium octauum literas, quarum (poſt ridiculam ſalutationem) initium in hæc verba conceptum eſt: *Sciat tua maxima fatuitas, nos in temporalibus alicui non ſubeſſe, &c.*

[c] Ludouicus quóque nonus, qui Sanctus vſurpatur, publicâ ſanctione, quam Pragmaticam appellant, omnes Curiæ Papalis exactiones intra regnum ſuum prohibuit. Sub initia deinde Ludouici vndecimi, [d] Pius ſecundus Pontifex, ſanctionem illam ante tot annos latam ægrè ferens, legatum cum ſolennibus publicíſque literis ad Ludouicum tranſmiſit, quibus vehementer efflagitabat illius promiſſi fidem, quo ſe Ludouicus, cùm tantùm Delphinatus Princeps eſſet, obſtrinxerat, ſi quando Francico ſceptro potiretur, ſe Pragmaticam ſanctionem antiquaturum. Rex ad Pariſienſe Concilium, cui rem cognoſcendam commiſerat, Legatum literáſque reiecit. ibi cum negotium agitari cœptum eſſet, Pontificia primum poſtulatio eſt à Iohanne Romano, Regis Aduocato, acriter oppugnata: in cuius ſententiam cùm Pariſienſis Academia iuiſſet, à Pontificijs conatibus, ad proximum generale Concilium prouocatum eſt. Ita Cardinalis irarum plenus, re infecta, diſceſſit. Immenſi laboris ſit, & qui in volumina excreſcat; ſigillatim percenſere, quoties Franciæ Reges, ipſáque Gallicana Eccleſia, Pontifici obſtiterint; vel aliquod ſibi ius in eos temporale arroganti; vel in ipſorum priuilegia irrumpenti: adeò vt nec illi in ipsâ Beneficiorum collatione aſſenſerint. ſed & tanto ſtudio à Regis Eccleſiæque Gallicanæ partibus, Sorboniſtæ ſteterunt, vt ſenſerint, ſi Pontifex Romanus Regi de eiuſmodi rebus controuerſiam mouiſſet, poſſe Eccleſiam Gallicanam ſibi Patriarcham conſtituere, & à Romana ſede deficere. Et Gerſonus ille, cætera Romanæ fidei tam pius rigidúſque propugnator, tantum abfuit vt ius iſtud ſæculare Pontificibus aſſereret, vt contrà, de *Auferibilitate Papæ ab Eccleſia*, librum ſcripſerit, quanto magis à Regum ac Principum ceruicibus? Nunc verò vt cætera externorum Regum facta præteream, ſatis erit deceſſorum meorum aliquot, qui in Anglia regnarunt, exempla memorare: vt omnibus inde conſtet, etiam illis ſæculis quibus craſſior cæciórque veritatis ignoratio Orbi incubuit,

Angliæ

[a] Walthram. Naumburg lib. de inueſtit. Epiſ. vixit circa annum 1110.

[b] Vide Annal. Franc. Nicolai Gillij in Philippo Pulchro.

[c] Anno 1468 ex arreſtis Senatus Pariſienſis.

[d] Ioan. Maierius lib. de Schiſmat. & Concil.

Angliæ Reges ſępe, Pontificium ambitum, gliſcentémque tyrannidem non modò non tuliſſe, ſed & illi fortiter reſtitiſſe.

Atque in hoc ordine princeps mihi erit Rex [a] Henricus id nominis poſt Conqueſtum primus, *qui conceſsit Epiſcopatum Wintonienſem Willielmo Gifford, & continuò de poſſeſsionibus cunctis ad Epiſcopatum pertinentibus, contra noui Concilij ſtatuta inueſtiuit.* a Matt. Paris in Henric. 1. anno 1100.

[b] Idem Henricus *dedit Archiepiſcopatum Cantuarienſem Radulpho Londinenſi Epiſcopo, & illum per annulum & paſtoralem baculum inueſtiuit.* b Idem ibid. anno 1113.

[c] Sed & *Papa Calixtus Rhemis Concilium tenuit, ad quod Rex Henricus quoſdam Angliæ & Normanniæ Epiſcopos deſtinauit. Turſtanus quoque Archiepiſcopus Eboracenſis electus, illuc veniendi licentiam à Rege impetrauit, interpoſita fide, quòd benedictionem ab eo non reciperet. Qui ad Concilium veniens, Romanos (ſicut mos eſt) in ſuum fauorem largitatis beneficio tranſtulit: & per eos vt à Papa conſecraretur, impetrauit. Quod vt Regi Anglorum innotuit, omnem ei locum ſuæ dominationis interdixit.* c Idem ibid. anno 1119.

[d] Rex Edwardus 1. Abbati de Waltham, & Decano Eccleſiæ Sancti Pauli interdixit, ne decimus bonorum cuiuſque in Hieroſolymitani belli ſumptum colligerent, quanquam hanc prouinciam illis Pontifex tribus *Bullis* demandaſſet: Decanus verò, Abbate interim mortuo, Regi, Regióque ſe ſtitit conſilio, promisítque ſe, quâ erat in Regem obſeruãtiâ, nihil vltrà, niſi iuſſu nutúue Regis in eo negotio geſturum. Hîc hominem Eccleſiaſticum teneo, qui Papæ non paruit, vt Regi ſuo parêret, in rebus quoque Eccleſiaſticis. nondum ſcilicet noua hæc Ieſuitarum Theologia orbi innotuerat. d Ex archiuis Regni.

Idem ille Edwardus, diem Decano Sacelli de Woluerhampton dici iuſſit, quòd contrà regni priuilegia ex ſacelli ſui Prebendis vnam, ad Pontificis mandatum, cuidam contuliſſet. Decanus autem comparuit, culpámque confeſſus ſeſe regiæ clementiæ permiſit. Sed & Dunelmenſem Epiſcopum prærogatiuis ac priuilegijs omnibus idem Rex ſpoliauit, quòd prohibitorio cuidam interdicto minimè paruiſſet. Inde palàm eſt, nequaquam illius ſæculi Principes credidiſſe, Clericos à ſua iuriſdictione eſſe exemptos. Sed nunc ſublimior quædam nobis & Seraphica in contrarium doctrina proponitur.

Denique ad pleniorem huius rei fidem faciendam Ioannis de Ibſtok accedat exemplum, qui in carcerem ab eodem Edwardo coniectus eſt, quòd totos ſeptem annos apud Romanæ Curiæ Iudices, ſuper Neuchurchienſi Rectoratu contendiſſet.

Edwardus ſecundus paternis veſtigijs inſiſtens, Abbatem de Walden, quòd Sancti Albani Abbatem cum alijs aliquot ad Romanam Curiam citauiſſet, primò ad cauſſæ dictionem vocari, mox & in cuſtodiam duci iuſſit.

Eâdem ratione, cùm Bamburienſis quidam Præbendarius, Beuercotum

cotum quendam ad Romanam Curiam traxisset, literæ statim Regiæ interceſſerunt, quibus capi præbendarius, & custodiæ mandari iubebatur.

Nec verò Edwardus tertius ab his Aui, Patrísque exemplis abiuit. Cùm Lichensis Rector diem Priori Sancti Oswaldi dixisset, vt se Pontifici Auenione sisteret; quòd apud Iudices in Curia Domini Regis pensionem quandam contra ipsum recuperâsset: Rex imperauit, vt in temporalia simul ac spiritualia eiusdem Rectoris bona inuaderetur. Idem cùm Harwoden quidam, Pontificiam Bullam contra sententiam à suis Iudicibus latam impetrâsset, reum esse, dignúmque in quem animaduerteretur, pronunciauit.

Sic & illum qui Pontificijs Bullis fretus, seipsum in Barnuellensis Prioratus possessionem miserat, deduci in Turrim Londinensem iussit, & in ea custodia, Regis arbitrium expectare.

Ex quibus liquet, ne florentissimis quidem Pontificis rebus, maiores meos vllius ex subditis contumaciam inultam tulisse, qui mandato Pontificio Regium imperium posthaberet, etiam in eis rebus, quæ ad Ecclesiam pertinere videbantur: tantum aberat, vt se, vel Pontificiæ potestati in temporalibus mancipatos; vel Clericos à sua Iurisdictione emancipatos iudicarent. Et hæc quidem tot Regum exempla obsignabo, publicorum Ordinum, sub Richardo secundo, decreto, quo cauetur, Nequis beneficium à Pontifice Romano impetraret: qui secus faxit, extra Regis fidem & tutelam censeretur. Ita quod quatuor illi Reges continua serie factitarunt, id lege publica confirmatum videmus.

Paucis hisce exemplis, satis, vt opinor, apparet me omni calumnia liberatum; neque ambitione, aut nouandarum rerum studio quicquam esse molitum, quò aliquid Pontifici debitum subtraherem: vel mihi aliud arrogarem, quàm quod Imperatores Christiani, & diuersarum gentium Reges, præsertim qui ante me in Anglia regnârunt, multis retrò sæculis pro suo vindicarunt. Neque verò illa Parsonij ad D. Cookium responsio accipienda est; multò plures Angliæ Reges esse, qui obsequij & ad omnia Pontificis imperia facilitatis suæ monimenta reliquerint: cùm quibusdam fortasse occasio, alijs vires ad resistendum defuerint. Nam ipso iure Ciuili, satis est iniustam meorum iurium vsucapionem, quotiescunque licuit, fuisse interruptam.

Verum hoc fidelitatis Sacramentum, non tantum ob conceptas in eo formulas, sed & illius ratione, cui præstandum est, Bellarminus repudiandum censet. *Rex* enim, inquit, * *Catholicus non est*: & alijs aliquot locis, addito meo nomine, vt suprà memoratum est, mè hæreticum dicere non dubitauit. Sed vel ipso iure Pontificio, antequam hæreticus publica sententia renunciatus fuero, non est vt populus meus

* Pag. 97.

auctoritatem

Digitized by Google

auctoritatem meam defugiat. Equidem ſi priuati tantummodo hominis perſonam ſuſtinerem, cauſſamque coram ipſo ac Cardinalibus in Conclaui ſuo dicerem; credo, difficile foret hæreticum me euincere, ſi ex antiquis ipſorum Decretis & Canonibus iudicium hoc exercere vellent.

Primùm enim, quicquid Cardinalis in contrarium aſſerat, non ſum Apoſtata, qui non modò in eadem, quam hodie profiteor, religione ſemper ab ipſis incunabulis innutritus fuerim: ſed & Patrem, paternúmque Auum, idem de fide ſentientes habuerim, vt nec ex ipſorum regulis (cùm in eorum nunquam Eccleſia fuerim) propriè hæreticus dici poſſim. Regina autem mater mea Auguſtæ memoriæ, quanquam in ea religione perſtiterit, quam à teneris imbiberat; tantum tamen à craſſioribus quorundam Papiſtarum ſuperſtitionibus, & nuperis Ieſuitarum dogmatibus abfuit, vt & Archiepiſcopo illi, qui me Baptiſmatis fonte abluerat, interdici curauerit, ne ſaliuâ inter ceremonias vteretur. Et quidem mos geſtus imperanti; omiſſáque res illa, fœda ſanè, magiſque ad mimicum Chriſti deriſum, quàm ad imitationis pietatem inuenta. Eius verba hæc fuerunt; Nolle ſe, vt impurus, & lue Venerea infectus preſbyter, in os infantuli ſui inſpueret. Quin & Baptiſterium, in quo ſalutari aqua tinctus ſum, hinc in Scotiam, Sereniſſima & immortalis memoriæ Elizabetha tranſmiſerat; quæ etiam me per Legatum de fonte ſuſcepit: quę quidem in religione quid ſenſerit, Pium V. non latebat. Ac vt clarioribus argumentis illam glorioſiſſimi nominis Reginam, meam Matrem, à ſuperſtitionum ineptijs vindicem, id aſſeuerare poſſum, me nullis literis, quas ab ea frequentes habui, ad Pontificiam religionem fuiſſe inuitatum. ſupremis quoque verbis Præfectum domus ſuæ, nobilem Scotum, qui hodie viuit, & in meis domeſticis eſt, his mandatis ad me perferendis onerauit: quanquam ipſa diuerſæ religionis eſſet ab ea, in qua, Dei beneficio, mihi educari contigit; nolle ſe tamen me ad ſua ſacra vehementiùs hortari, niſi mihi mutationem illam, conſcientiæ ſecreta vis perſuaderet. Si probè, ſanctéque viuerem; ſi ſedulò ius redderem, & commiſſos mihi populos prudenter piéque gubernarem, non dubitare ſe, quin bene mecum ageretur; & poſſem in ea, quam colebam, religione perſeuerare. Non ſum ergo Apoſtata, qui nec eius fidei deſertor, quam partim parentum meorum tenuerunt, partim arbitrio meo permiſerunt. Nec ſi illorum ritibus Baptiſmate ablutus, nihilominus ab ijs in religione diſſentio, ideò aut Apoſtata, aut hæreticus dici poſſum: cùm de *Baptiſmi ſubſtantia* nulla ſit lis inter nos, omnéque baptizemur *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: atque ita in hoc doctrinæ capite nulla eſt inter nos controuerſia.

Quòd autem me Hæreticum arguunt; nunquam equidem me pudebit

debit *fidei* meæ rationem reddere, &, vt iubet [a] Apostolus, *illius spei quæ in me est.* Is ego sum *Catholico-Christianus*, qui in tria *Fidei* symbola, Apostolicum, Nicenum, & illud Athanasij libens iurem; quorum duo posteriora primi paraphrasin continent. Hęc in eum sensum interpretor, quem illis esse voluerunt Patres atque Concilia, à quibus sunt condita atque descripta: quibus quidem symbolis, quotquot sunt in Anglia Ministri, subscribunt, cùm ordinantur. Sed & alijs omnibus Symbolis, tanquam legitimis & Orthodoxis assentior, quæ, vel à Concilio aliquo publicè, vel priuatim, ab antiquis Patribus, in eiusmodi hæreticos cõscripta sunt, qui ipsorũ sæcula, pestiferâ aliquâ doctrinâ infestarunt.

a 1. Pet.

Prima quatuor generalia Concilia, tanquam Catholica & Orthodoxa veneror atque recipio: quæ & publica Ordinum nostrorum sanctione recepta sunt, & ab Ecclesia nostra pro Orthodoxis habentur.

Patribus autem eam venerationem exhibeo, quâ nec ipsi maiorem optarent, nec Iesuitæ parem vnquam detulerunt. Quicquid enim quadringintis post Christum annis, vnanimi consensu, Patres ad æternam salutem esse necessarium statuerunt, aut cum ijs ita esse sentiam, aut modesto saltem silentio obmutescam; reprehendere certè non audeo. Sed priuatis singulorum Patrum sententijs ita meam mentem astringere, vt ab eis recedere integrâ *fide* non possim; quî id mihi iugum imponam, quod ipse à se Bellarminus amolitur, cùm præsertim ipsi Patres inter se soleant repugnantibus & contradictorijs sententijs decertare? Mihi igitur in antiquorum Patrum scriptis, [b] Augustini cautione vti placet, *Quod in eis diuinarum Scripturarum auctoritati congruit, cum laude eorum accipio; quod autem non congruit, cum pace eorum respuo.*

b Lib. 2. contra Crescon. cap. 32.

Scripturis quidem ipsis, nemo opinor est, qui non à me eam fidem haberi, quæ illis à Christiano homine debetur, existimet. Ipsa etiam Apocrypha eo loco habeo, quem illis Antiquitas tribuit: cum Biblijs nostris excudi solent, & eodem volumine compingi; publicéque in Ecclesijs lectitantur. Et hæc quidem, vt à sanctis pijsque hominibus scripta, veneror: sed cùm absint à Sacrorum librorum Canone, ac Catalogo, *secundæ lectionis, ac ordinis* (quæ & ipsa [c] Bellarmini distinctio est) esse credimus: nec illorum auctoritatem tanti esse, vt Fidei vllum caput (nisi quod alijs Canonicæ Scripturæ locis asseritur) elici, aut stabiliri inde possit. Atque ita cum [d] Ruffino, qui nouitius, credo, non est, hunc locum concludo, qui Patres ait, *Omnia quidem legi in Ecclesijs voluisse: non tamen proferri ad auctoritatem ex his Fidei confirmandam.*

c Lib. 1. de Verbo Dei. cap. 4.

d In expositione Symboli.

De *Sanctis* verò vitâ functis, colo equidem illorum memoriam; cuius honestandæ ergô, nostra publicè Ecclesia tot solennes dies instituit, quot Scripturæ auctoritate in album Sanctorum relatos legimus. Sed tot nugis, quæ in nouitiorum Sanctorum actis ac legendis perscribuntur, sanè credulitatem meam deludi non fero.

Ac

Ac primùm id *Beatæ Virgini* tribuo, quod de ea Gabriel asseruit, & in suo Cantico de se ipsa prædixit, [a] *Benedictam esse in mulieribus*, & [b] *benedictam eam omnes generationes esse dicturas.* Hanc ego Christi Matrem veneror, ex qua humanum sibi corpus assumere Saluatori nostro visum: atque adeò Dei Matrem, cùm in Christo non possit à diuinitate humana natura separari. Illam ego supra omnes beatorum hominum, ac Spirituum ordines ad cælestem gloriam elatam, excepto illo vno, Deo simul ac homine, eius Filio, piè ingenuéque fateor, constantérq; contendo. Sed, nec ipsam deridiculo ausim habere, nec impias in Deum voces emittere, non illi Diuæ modò, sed & Deæ nomen tribuens, obtestánsque vt Filio illi quidem, sed & Deo & Saluatori suo, imperet & dominetur. Ne illud quidem in animum induco, tàm otiosè in cœlis eam degere, vt absurdis cuiuslibet inepti hominis orationibus pateat, seséque eius rebus ac negotijs immisceat; nunc precibus, nunc imperio cum Filio suo agens; modò in terras ad sacerdotum oscula & complexus descendens, modò cum dæmonibus acri ac pertinaci altercatione contendens. In cœlis, in æterno sanctarum animarum receptaculo, in æternam est fœlicitatem collocata, nunquam à tantis gaudijs vllà terrenarum rerum curâ, aut sollicitudine auocanda. Sit ibi sanè cum chariſſimo Filio, suo, nostróque Redemptore, in perenni beatitudine, & omnibus sæculis duratura.

[a] Luc. 1. v. 28.
[b] Ibid. ver. 48.

Venio ad *Sanctorum suffragia*. Scio ego [c] Christum præcepisse, vt ad ipsum veniamus, quicunque peccatis oneramur: illum quippe nos refecturum & leuaturum. Scio Paulum [d] Apostolum, humilitatem, & religionem Angelorum prohibuisse, omnémque eiusmodi venerationis cultum, in superstitione & humilitate, non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis. Sed quâ fiduciâ, quóue auctore decurratur ad Deos Penates istos, siue Tutelares, quasi Aulicos & familiares Dei Opt. Maximi, equidem nescio. Id illis probandum reliquerim, qui noua disputandi ac philosophandi ratione Theologiam corruperunt. Mihi satis est, Deum, per Iesum Christum, prout iubemur, inuocare: & hanc viam tutiorem, ideóque in rebus ad æternam salutem spectantibus potiorem, insistere. Quòd si Romanæ Ecclesiæ officina, Fidei articulos ante quingentesimum Christi annum inauditos ac inusitos recenter excudit; non sum credo damnandus pro hæretico, si ad hæc nouitia & nupera non accedam. In his Articulis, priuatas illas missas numero, in quibus Sacrificus simul & populi personam, & sacerdotis sustinet. In his quoque est *Sacramenti mutilatio*, quâ Laicis partem illius mediam subtraxerunt; *Transubstantiatio*, *adorandi causa eleuatio*, in supplicationibus, Sacramenti *circumgestatio*, *Supererogationis opera* (quibus *Thesauri Ecclesiastici* nomen iure optimo accommodauerunt) *Baptizatio campanarum*, & mille præterea nugæ; & quidem

[c] Mat. 11. 28.
[d] Col. 2. 8. 23.

dem super omnia illa *veneratio* statuis imaginibúsque delata. Si in hisce fides mea hæreat, fateor me malle in istiusmodi rebus parùm, quàm nimiùm credere. Nihilominus cùm eatenus credendo processerim, quatenus Scripturæ præscribunt, Fidei symbola suadent, vetera Concilia decernunt, *Schismaticum* me dicant licet, & à Romana Ecclesia defecisse, certè *Hæreticus* esse nullo modo possum.

Quòd ad *Reliquias Sanctorum*, si quas eiusmodi haberem, quas constaret Sanctorum corporum partes esse; eas ego honorificis tumulis solenniter inferrem: nec committerem, vt supremis defectæ funeribus, ad eius infamiæ imaginem seruarentur, quam perditis hominibus, publicòque iudicio damnatis, constituimus in pœnam vltra mortem duraturam.

Sed cùm *reliquiarum*, tum *imaginum* adorationem, pro intolerabili Idololatria habeo atque abominor; Iconomachus sanè non sum: non arguo, si quis aut fingere statuas, aut imagines pingere, siue ad publicum splendorem, siue ad priuatorum hominum domesticos vsus, volet. Sed quòd illas adorari, quòd illis supplicari, quòd aliquam sanctitatis opinionem affingi illis oporteat, id quidem antiquis inauditum; Scripturis verò in contrarium apertissimè atque ex diametro pugnantibus, ita est oppositum, vt mirari non desinam, quod hominum ingenium, quæ Satanæ fraus, hoc tam audax commentum Ecclesiæ Christianæ obtrudere attentarit. Quæ tamen omnia excusantur argutis, hoc genus, effugijs, & sophisticis distinctiunculis; *Idolum*, scilicet, *nihil esse*: se autem rerum *quæ sunt*, & *veri Dei* imagines venerari. At Scriptura omnis rei à Deo conditæ similitudinem coli vetat. Non igitur, *Nihil* fuit, cui Deus cultum deferri interdixit. Sed nec serpens æneus, nec corpus Moysis *nihil* erant; ille tamen contritus est, hoc absconditum, ne Idololatriæ materiam caussámque præberent. Quin & Dei imaginem non venerari tantùm, sed & effingere prohibemur: additáque ratio, Deum sub nullius vnquam aspectum cecidisse. Sanè quî delineemus eius faciem, si Moysi, quo nemo mortalium Deo familiarior, tantùm eius posteriora licuit contemplari? Cum igitur Deus ad viuum exprimi non possit, superuacaneus est labor conatúsque inanis, id falsâ adumbratione corrumpere, quod imitari non possis: quod nemo, non dico, Princeps, sed vix quisquam homo plebeius in sua effigie ferre sustineat. Meditentur itaque, qui sic in religione sentiunt, defensionem aliquam, quâ se in vltimo iudicio Idololatriam exprobranti Christo, probent: qui, an tum temporis istiusmodi excusationes, ex illis argûtiarum ineptijs petitas, in solutum accepturus sit, vehementer ambigo.

At *Cruci*, inquiunt, *Saluatoris*, prærogatiua quædam singularis deferenda est, debétque *ratione contactus* adorari. Primùm videamus quod

Digitized by Google

quod contactus genus sit, qui vim virtutémque ex Christi corpore eliciat : omnísne contactus, an is tantùm, qui cum fide coniungitur. Non cuilibet id esse datum, non potest dubitari. [a] *Mulier quæ erat in fluxu sanguinis, cùm vestimentum Christi tetigit*, propter suam *fidem salua* ac sana *facta est* : *nam alioqui turbæ* (Petri verbis) *comprimebant & affligebant Iesum*, cùm accessit hæc mulier, in quam solam *virtus de Christo exiuit*. Iudas cùm sæpè eum aliàs, tum postremo illo osculo tetigit : tetigit & illa perditorum manus, quæ illum *colaphis cecîdit*, & *cruci affixit*. Ausim tamen profanos impiósque dicere, si qui carnificum illorum colendas reliquias ac adorandas esse credant. Sed & *terra Chanaan* quotidianis Christi vestigijs *tacta*, hodie tam maledicta conspicitur, à Turcis occupata, innumeris Christianorum hæresibus ac sectis infamis; primęquoque fertilitatis oblita, & in miserabilem sterilitatem degenerans, vt qui eam beatis ac benedictis annumerat, ipse inter maledictos poni debeat. Quin & proclamante muliere, [b] *Beatum ventrem, qui Christum portauisset*, Imò ait, *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*. Aut igitur id animi fuisse Christo probent, vt in lignum illud crucis, ad quod clauis suffixus est, benedictionem effuderit : aut cum suo argumento *de contactu* valeant. Sed demus virtutem patrandi miracula, quæ & vmbrę Petri data est, cruci esse concessam : an hinc, quæso, consequens est, ipsi cruci adorationem deferendam, quam nec sibi, nec suæ vmbræ Petrus deferri pateretur ? Equidem non dubito, quin Prophetæ, qui toties maledixêre eiusmodi imaginum cultoribus, quæ oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt, multo acerbiùs dicturi in eos fuerint, qui arboris truncæ partem, ne ad aurium quidem, vel oculorum similitudinem, efformatam venerantur.

a Luc. 8.

b Luc. 11.

Iam *Purgatorium*, iam illa friuola, [c] quæ id commentum consequuntur, indigna existimo, in quibus opera ac tempus impendatur. Sanè [d] Bellarminus nullum ei ex Scripturis fundamentum astruere potuit. hoc eum tantummodo percontari velim, an viridis ille amœnúsque campus, qui in Purgatorio florentibus spatijs extenditur, interfluente riuo distinctus sit, vt si fortè in eam regionem peruenero, aucupio tempus ac otium fallam. Equidem cœlos, ac inferos esse scio, in præmium ac pœnam Electis, reprobísque constitutos : quot sint præterea animarum sedes, atque receptacula, ego, qui Deo à Consilijs non sum, scire nequeo. [e] *Multæ sunt mansiones in domo Patris mei*, ait Christus, qui ipse est vera expiatio, verúmque Purgatorium nostrorum peccatorum. Sed quot atria, quot conclauia in malorum Dæmonum domo sint, melius illi dixerint, qui iam illa perlustrarunt. quòd si sint plures animabus sedes, quàm quas ipsi nouimus, destinatæ : satis certè nobis fuerit, eas cognoscere, quas Deus suo Verbo nobis esse voluit reuelatas; nec vlterius diuinæ mentis arcana scrutemur. *Cœlum* ac *infernum* humano ge-

c Vt sunt Inbilæa, Indulgentiæ, Satisfactiones pro mortuis, &c.

d Lib. 2. de Purgatorio cap. 7.

e Ioan. 14. v. 2

neri æterna domicilia constituta, ex Scripturis didicimus. Id agamus, vt alterum consequamur, alterum defugiamus: atque hîc finis, extremáque rerum meta.

Sed in hâc omni oratione, nondum Romanæ religionis arcem attigimus, id est, *Caput Ecclesiæ, Petrique Primatum.* nàm qui hunc articulum negat, ex Bellarmini sententia, Catholicam fidem negat. Episcopos esse in Ecclesiâ debere, tanquam institutionem Apostolicam, ac ordinationem proinde diuinam, contra Puritanos, contráque Bellarminum semper sensi; qui * negat Episcopos à Deo immediatè suam iurisdictionem accepisse. Sed nihil mirum à Puritanis eum stare, cùm Iesuitæ nihil aliud, quàm Puritano-papistæ sint. Et quo studio in Episcoporum, & Ecclesiasticæ Hierarchiæ (Politici duntaxat ordinis caussa) defensionem semper incubui, eodem in confusam illam Anarchiam & parilitatem Puritanorum inuectus sum, vt vel ex ΒΑΣΙΛΙΚΟ meo ΔΩΡΟ satis constat. Cœlum, cœlestésque spiritus per ordines ac discrimina disponi ac gubernari scimus: immo nec Inferi sine suo quodam ordine & distinctione stare possunt. Dæmones in legiones digesti sunt, suósque principes habent. Quî igitur cœtus in terris aliquis confusus permistúsque, nullo ordinum dignitatúmque discrimine, possit consistere? Quamobrem, satis equidem mirari non possum, quo ore iste Apologiæ meæ Censor pronunciare potuerit, *me in Scotia Puritanum, & Protestantium inimicum extitisse.* Ego igitur Puritanus, qui à Puritanis non solùm à natiuitate continuò vexatus fui; verumetiam in ipso matris vtero propemodum extinctus, antequam in lucem editus essem? Ego, qui anno salutis 1584. suam Episcopis dignitatem restitui, & æqualitatem illam popularem, cùm nondum ad ætatis annum duodeuicesimum peruenissem, repressi? Ego, qui in meo ad Filium libro multò acriùs ac vehementiùs in Puritanos, quàm Pontificios inuectus sum. cui etiam, cùm secundò ederetur, prolixam in odium Puritanorum Præfationem Apologeticam præposui? Ego denique, cui sex totis annis antequam in Angliam venirem, præcipuus labor fuit, deiectos Episcopos restituere, & Puritanorum Anarchiam expugnare? Imò verò si de rebus in Scotia à me gestis, ad instar Cæsaris, Commentarij ederentur, vix à tertio decimo ætatis meæ anno integrum mensem abijsse constaret, in quo non eiusmodi aliquid acciderit, quod Cardinalitium in hac re mendacium arguere, ac refutare possit. Præclara sanè laus, præclarum encomium, quo Puritanos ornaui, cùm me plus fidei, vel in illis efferis cùm montanis, tum limitaneis latronibus, quàm in hoc genere hominum inuenisse professus sim. Sed omissâ hominis impudentiâ, ad rem ipsam redeamus.

* Bellarm. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 25.

Pag 98.

Episcopos, & Ecclesiæ Hierarchiam (vt modo dixi) & inter ipsos

Episcopos

Epiſcopos ordinem aliquem,ac diſcrimen libens agnoſco. Scio Patriarchas in Eccleſia Primitiua extitiſſe ; & inſtitutionem illam ordinis & diſcriminis cauſſâ amplexor. Sed & inter illos de principatu magna contentione certatum eſt : quòd ſi in eo quæſtio adhuc verteretur, meo libens ſuffragio primum locum Epiſcopo Romano deferrem : Ego Occidentalis Rex, Occidentali Patriarchæ adhærerem. Sed nec illi de temporali ſuo iure litem moueo : ſit, per me licet, *primus Epiſcopus inter omnes Epiſcopos*, ſed eo ſenſu *Epiſcoporum Princeps*, quo Petrus *Apoſtolorum Princeps* fuit. At verò, vt Hierarchiam Eccleſiaſticam probo, ad ordinum dignitatúmque diſcrimen (ſic enim intelligi volo) ita prorſus pernego, terreſtrem eſſe aliquem Eccleſiæ Monarcham, cuius verba pro legibus eſſe debeant, quíque *infallibilitate* ſpiritus, nunquam in ſuis ſententijs errare poſſit. Nec, ſi regna terreſtria à Monarchis terreſtribus regi debent, ideo Eccleſiam ſequitur à terreſtri quoque Monarcha debere gubernari. nam neq; vnus eſt aliquis totius orbis regnorúmque omnium moderator ac Monarcha. Chriſtus Eccleſiæ ſuæ Monarcha eſt, Chriſtíque vices explet, quem venturum promiſerat Spiritus Sanctus. [a] *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.* Nec Chriſtus antequam in cœlos aſcenderet, pollicitus eſt ſe Petrum, qui Apoſtolos dirigeret ac doceret, relicturum ; ſed [b] Spiritum Sanctum ſe in eum finem miſſurum eſſe prædixit.

[a] Luc.22.v.25.

[b] Ioan.14.26.

Et quidem quòd ad geminam illam ex Scripturis probationem, quâ fretus Bellarminus Papam ſupra Reges effert ; nimirum, *Paſce oues* : & *Tibi dabo claues*, haud ignorat Cardinalis hanc poteſtatem Clauium à Chriſto [c] alibi Apoſtolis in plurali numero eſſe conceſſam. ſed nec eſt inſcius, quam rationem Veteres afferant, cur Sancto Petro potiſſimùm *oues paſcere* mandauerit : quantum præterea tum ſcriptorum veterum, tum nouitiorum Papiſtarum agmen ſit, quibus nec pauci Cardinales aſſentiuntur, qui vtrumque Petro quidem dictum, ſed ad omnes pertinuiſſe Apoſtolos arbitrantur, quorum ipſe perſonas ſuſtinebat. Quod nî eſſet, quî potuit quęſo, [d] Paulus Corinthiorum Eccleſiæ auctor eſſe inceſtum illum excommunicandi, *cum ſpiritu ſuo ?* dicendum ſanè fuerat, cum ſpiritu Petri. Quî potuerunt omnes Apoſtoli cenſuris ſuis in nomine Chriſti vti, nec vllibi eius Vicarij meminiſſe ? In omnibus Apoſtolorum congreſſibus Petrum, vt è multis vnum, legimus inter illos conſediſſe. cúmque Antiochiam lecti viri ab illo celebri Apoſtolico Concilio, quod Hieroſolymis eſt habitum, mitterentur, diſertè ſcribitur, [e] *Viſum eſt Apoſtolis & presbyteris, totique Eccleſiæ, mittere lectos viros* : ſed merum de Eccleſiæ capite ſilentium. Sic & in eorum literis, Apoſtolorum, Seniorúmque, & Fratrum fit mentio, de Petro nec verbum. Sed & mirum eſt Corinthios à [f] Paulo obiurgatos, quòd perſonis hominum plus æquo deferrent, aliíque ſe Pauli, alij Apollo, alij

[c] Mat.18.18.

[d] 1.Cor.5.4.

[e] Act.15.22. 23.

[f] 1.Cor.1.12.

Cephæ sectatores profiterentur. nam si Petrus *visibile Ecclesiæ caput* fuit, qui non ab eo stabant, à fide Catholica recedebant. Sed apertissimè constat Paulum non satis in hac nupera ac nouitia doctrina fuisse institutum, [a] qui cum Petro tam parum comiter egit, vt illi se non æquaret modò, sed etiam anteferret. Nihilominus Cardinalis ex eo superiorem Petrum probat, quòd eius inuisendi gratiâ [b] Paulus Hierosolyma profectus sit. sanè Paulus eò se profectum, vt Petrum viseret, & de certis rebus cum eo ageret, testatur: sed addidisse debuit, eò quoque se, ad sacra pedum oscula esse profectum. Ac quidem vt hanc quæstionem absoluam, verum est Petrum, & ætatis, & temporis, quo à Christo vocatus est, ratione, vnum ex primarijs Apostolis fuisse: Principem ordine illorum duodecim, quos primos Christus elegit, & de tribus illis vnum quos Dominus, ordinis seruandi gratiâ, cæteris præposuit. Nec aliquid sibi amplius trecentis post Christum annis Romanæ sedis Episcopus arrogauit. Ita interim generalibus Concilijs suberant, vt & nuper Constantiense Concilium tribus Pontificibus abdicatis, quartum inaugurauerit: Imperatoribus autem vsque ad Phocæ tempora parierunt, qui Domini sui cæde sibi ad culmen Imperij iter fecit. Nunc autem quibus artibus facti sint *Christi Vicarij*, imò verò *Dij in terra*, *triplici corona insigniti*, *cæli nimirum*, *terræque ac inferorum Reges*, *totius Orbis Iudices*, & ipsi à nemine iudicandi, *Fidei Capita*, *supremi omnium controuersiarum decisores*, propter certitudinem & *infallibilitatem spiritus*: omni potestate tam spirituali, quàm temporali præditi, *summi Episcopi*, *Orbis terrarum Monarchæ*, *super Imperatores omnes Regésque euecti*, denique *supremi Vice-dei*, qui velint nolint, errare non possunt: quibus, inquam, artibus ad tantum fastigium ascenderint equidem nescio: illud scio, maximè nostrâ referre, qui Reges sumus, vt huic rei maturè occurratur. Quantum ad me, Petrum & Paulum, tanquam præcipuas Ecclesiæ columnas agnosco & veneror: istos autem non noui: & illud tamen in dubium reuocare, est à fide Catholica deficere: imò furfum deorsum omnia ferri, ordinémque naturæ inuerti, præponi [c] læuam dexteræ, numeróque ac ordine postremum, honore primum esse oportet, vt illi Primatui suus splendor, suáque dignitas conseruetur.

a Galat. 2.

b Galat. 1. 18.

c Bellar. de Rom. Pont. lib. 1. c. 27.

Hac iam ingenua fidei meæ confessione, spero effectum, vt neque Apostata, neque Hæreticus iure censeri debeam: vt qui Scripturis Canonicis credam, tribúsque Fidei Symbolis, primísque quatuor generalibus Concilijs adhæream. si nimis facilis ac credulus, præsertim noua dogmata afferentibus, esse nolo; eruditiores fortasse fidei meæ infirmitatem miserabuntur: sed me nemo, scio, pro hæretico damnabit; nisi fortè qui pro Deo Papam colunt, eúmque sic habent, quasi Scripturam loquentem: vt nec Hæresin aliter definiant, quàm opinionem

nem quamcunque in cauſis Fidei deciſioni Papali contrariam. Ego verò id ingenuè ſpondeo, quoties Religionis illius, quam profiteor, vllum caput oſtendetur non antiquum, Catholicum, & Apoſtolicum; ſed nouitium eſſe ac recens (in rebus ſcilicet, ſpectantibus ad Fidem) me ſtatim ab eo diſceſſurum. Totum igitur hunc locum [a] Vincentij Lirinenſis auctoritate ſic concludam: Me nunquam vllum Fidei dogma, quod quidem ad ſalutem eſt neceſſarium, amplecti recuſaturum, quod tota Catholica Eccleſia iam inde ab Apoſtolorum temporibus, ſine intermiſſione, multis pòſt ſæculis, conſtanter docuerit & crediderit. Sed opinione Cardinalis, me in eo hæreticum, ſat ſcio, prodidi, quòd in Babylonis, Vrbíſque ſuper ſeptem colles exſtructæ vocabulo luſerim, tanquam innuerem, Romam hodie eſſe ſpiritualem Babylonem: quanquam & Babylonis nomine, tum in [b] Petri Epiſtola, tum in Ioannis Apocalypſi, Romam intelligi, noſter iſte cauillator nec grauatè concedat. Sanè quòd ad definitionem Antichriſti, nolo rem tam obſcuram & inuolutam tanquam omnibus Chriſtianis ad credendum neceſſariam vrgere: ſed quid de toto hoc negotio ſentiam, nudè & ſimpliciter explicabo.

a Libello aduerſus hæreſes.

b 1. Pet. 5. 13.

Antichriſtum eſſe venturum, & cùm venerit, vniuerſalem defectionem fore, inter nos conuenit. ſed *tempus, ſedes, perſona* eiuſdem, ea ſunt, de quibus diſſentimus; & in diſputatione tanta, ſcrutari nos Scripturas oportet, vt veritatem eruamus. Meâ quidem ſententiâ [b] S. Paulus id planiùs explicat, quod S. Ioannes magis myſticè de Antichriſto prædixerat. Nam quòd Paulus ibi de Antichriſto loquutus ſit, ſatis ex illis verbis conſtat, [c] *niſi venerit diſceſſio primùm.* Diſceſſionem enim illam generalem, tantùm Antichriſti temporibus fore in Eccleſia, omnes Pontificij conſtanter affirmant: alioquin eorum Eccleſia eſſet quotidie erroribus obnoxia, quod omnino ipſorum doctrinæ repugnat. Eum deinde deſcribens ait, quòd [d] *homo peccati, filius perditionis extollet ſe ſuper omne, quod dicitur Deus.* At verò qui ſint, de quibus Pſalmiſta cecinit, [e] *Dixi, vos Dij eſtis*, Bellarminus non ignorat. Apud veteres Theologos Reges erant; Bellarminus etiam Eccleſiæ Antiſtites adiungit. Fac vtroſque intelligi. Nemini obſcurum eſt, quis ille ſit, qui ſuper vtriuſque gladij poteſtatem hodie ſe efferat.

Deſcriptio Antichriſti à tempore, ſede, & perſona.

b 2. Theſſ. 2.

c Verſ. 3.

d Verſ. 3. 4.

e Pſal. 82. 1.

Poſt hanc autem Perſonæ deſcriptionem, deinde Apoſtolus *Sedem* deſignat: [f] *vt ſedeat* inquit, *in templo Dei*, id eſt, in ſinu atque adeò penetralibus Eccleſiæ. Iam vbi ſit Apoſtolica illa ſedes, cuilibet relinquo diuinandum: ſed & quis in ea ſedens pro Deo ſeſe gerat, peccata condonans, animas redimens, Fidei articulos definiens, omnium hominum cenſor & iudex, ipſe à nemine iudicandus.

f 2. Theſſ. 2. 4.

Tempus notat idem Apoſtolus omnium euidentiſſimè, cùm reuocat Theſſalonicenſibus in memoriam, [g] *quòd cùm adhuc apud eos eſſet, hæc illis*

g Verſ. 5.

illis prædixerat. Itaque [a] *nouerant*, inquit, *quid obstaret, & quis detineret, quò minus homo peccati reuelaretur*, licet *mysterium iniquitatis iam tum operaretur*. Porrò S. Pauli temporibus necessarium non fuisse, vt reuelaretur Christianis, Imperatores Romanorum, *homines esse peccati*, nemo adeò rerum imperitus est, qui non videat. Sed hæc reuelatio, de qua Apostolus loquitur, arcanum fuit magnúmque mysterium: vnde & videri potest, non esse ausum in hac sua Epistola quid illud impedimenti fuerit prodere. fortassis translationem sedis Imperij Romani intelligit, quæ locum vacuum *homini peccati* relinqueret, in quo consideret. Non enim sensisse, *hominem illum peccati*, fuisse Ethnicos Imperatores sui temporis, illa præmunitio, quam facit, ad tractandam hanc quæstionem, luce clariùs ostendit. Ne seducerentur enim veritus, *diem Domini appropinquare opinantes*, ait visum esse sibi, prænonere eos, vniuersalem à Fide discessionem antè venturam. Ex quo patet, non illum præsens illud tempus, sed futurum, idque longinquum innuere: alioqui malè probaret argumentum suum, quo secundum aduentum Domini non instare confirmat. Sed neque interitus ratio, qua periturus est ille homo peccati, conuenit vastationi [b] Ethnicæ Romæ à Gotthis Vandalísque factæ. Ait enim noster Apostolus, [c] *illum impium spiritu oris Domini conficiendum esse, ac demum aduentu eius abolendum*. Iam vt mea fert opinio, spiritus oris Domini, non aliud est, quàm Verbum Dei, & Verbi prædicatio, qua potentia illius hominis peccati paulatim minuitur, atque consumitur, donec splendor aduentus Domini penitùs illum sustulerit. Porrò modum ac rationem operationis eius explicans, meâ quidem sententiâ, quid senserit, optimè explanat. Ait enim [d] *fore per efficaciam erroris in signis & prodigijs, &c.* Iam quæ tandem Ecclesia iactet innumerabilia miracula, quæ tamen maximam partem aduersantur suæ ipsorum doctrinæ, nemo melius [e] Bellarmino dixerit, *cum iumento suo famelico, quod pabuli oblitum, Sacramentũ genibus curuatis, eo quo potuit modo adorabat*. Et tamen certè erubescet dicere, institutum esse sanctissimum Sacramentum, quod adorarent oues, & boues, & pecora campi.

Iam auctoritate S. Pauli planum fecimus, *tempus*, quo venturus est Antichristus, & vniuersalis illa discessio futura, non nisi longo pòst tempore; quàm scripsit illam Epistolam, futurum fuisse: *sedem* eius futuram in templo atque Ecclesia Dei: actiones, quibus potissimum *persona* eius dignoscitur, eas fore, *vt extollat se super omne, quod dicitur Deus*. Iohannes quidem fusiùs, licet, vt dixi, [illegible], describit hunc Antichristum, quem sub figura prodigiosæ cuiusdam bestiæ, cui septem erant capita, cornua decem, xiij. cap. proponit; deinde xvij. interpretatur: vbi illam appellat [f] *meretricem, quæ sederet super aquas multas* & [g] *prodigiosæ bestiæ insideret*. Denique sic concludit illud caput, vt mulierem hanc [h] *magnam illam ciuitatem, quæ Regibus terræ dominatur*, appellet. Et tam illo capite,

a Vers. 6. 7.

b Sic enim Tortus Romam appellat, cùm ab eis vastata fuisset, licet multis ante annis Christiana fuerit.

c Vers. 8.

d Vers. 9. 10.

e Bellar. lib. 3. de Euchar. cap. 8.

f Apoc. 17. vers. 1.

g Vers. 3.

h Vers. 18. Vers. 5.

capite,quàm initio proximi,ciuitatem magnam,[a] *Babylonem* vocet. Itaque vt illam eandem mihi propoſitam methodum, de *tempore, ſede,* & *perſona* Antichriſti perſequar, Romam aut eſſe, aut fore ſedem illius Antichriſti, locus iſte perſpicuè, & ſine vlla contradictione declarat. Primùm enim nullus iam Papiſta inficiatur, Babylonis nomine ibi planiſſimè Romam intelligi: Deinde hanc *mulierem*, eſſe illum Antichriſtum,liquet ex tempore,quo vim ſuam atque operationem exeret, quod erit quadraginta duûm menſium, prout xiij. cap. habetur: prorſúſque conſentit cum illo triennio & ſex menſibus,quod temporis ſpatium omnes Pontificij Regnó Antichriſti tribuunt. Præterea Beſtia cum ſeptem illis capitibus, & decem cornibus, quorum vnum caput vulneratum eſt, rurſúſque ſanatum, xiij. & xvij. capitibus iuxtà deſcribitur: quam in priore capite ex tempore, quo regnum obtinebit, Antichriſtum eſſe conſtat: in poſteriore Romam ſignificari nomine Babylonis,Pontificiorum ipſorum confeſſione euincitur. Ita iam liquidò probata eſt pars vna de tribus propoſitis, Romam eſſe ſedem ipſius Antichriſti. Neque quod cap. xj. legitur, effugium aperit, aut probat Antichriſti ſedem eſſe Hieroſolymis,vbi dicitur,[b] *cadauera teſtium iacebunt in plateis Ciuitatis magnæ,quæ ſpiritualiter Sodoma atque Ægyptus vocatur: vbi & Dominus noſter crucifixus eſt.* Verbum enim illud *ſpiritualiter*,Sodomis, Ægypto,& Hieroſolymis tribuitur. Et cùm nominaſſet Sodoma atque Ægyptum,non ſubiungit Ieruſalem, addito ſolùm *vbi*, ſed *vbi &*: quaſi diceret,Etiam hæc Antichriſti abominatio tanta erit, vt ſedes eius tam plena ſit futura ſpiritualibus fornicationibus, atque Idololatrijs, quàm Sodoma & Ægyptus olim fuerunt: imò perſecutione Sanctorũ tam cruenta, ac ſi Dominus noſter iterũ ibi in membris ſuis ſit crucifigendus. Quis autem eſt tam mediocriter verſatus in ſacris literis,ſi eas vel à limine ſalutauit, qui neſciat vſitatam hanc eſſe in illis locutionem, vt Chriſtus ipſe dicatur perſecutionem pati atque interfici,cùm hoc fit Sanctis qui membra ſunt Chriſti? [c] Chriſtus ſic loquitur de ſuprema die diſſerens: necnon eodem dicendi genere ad [d] S. Paulum,in eius conuerſione,vtitur. Babylonem autem, ſiue Romam (quando Bellarmino ſic vocari placet) magnam eſſe ciuitatem illam, vbi Dominus crucifixus eſt,verſus etiam xviij.capitis extremus apertè confirmat. Sic enim ibi, [e] *In ea ciuitate, ſanguis Prophetarum & Sanctorum inuentus eſt, omniúmque qui interfecti ſunt in terra.* Iam neminem negaturum ſpero, Chriſtum ex illis vnum fuiſſe, qui in terra ſunt interfecti. Præterea rectè dici poteſt, illum interfectum fuiſſe in illa magna ciuitate Babylonis, quandoquidem auctoritate Romani imperij morte affectus eſt ſub iudice Romano, criminiſque in Rom. Imperium, licet iniuſtiſſimè,reus. parum enim amicus Cæſari videbatur,qui Chriſti non eſſet inimicus.

[a] Cap.18. verſ.2.

[b] Cap.11.8.

[c] Matth. 25. 40.

[d] Act.9.4.

[e] Apoc.18. 24.

Hac

Digitized by Google

Hac igitur iam parte illustrata de sede Antichristi, proximum est *Tempus* exquirere, quo regnum obtinebit ille Antichristus, si nondum aduenerit. Sanctus quidem Ioannes ait, xiij. capite, huic Bestiæ, cui capita sunt septem, cornua decem, [a] *vnum caput vulneratum fuisse, rursúsque sanatum.* Quibus explanationem adhibens xvij. capite ait: *hæc* [b] *capita septem, totidem esse Reges, quorum quinque ceciderint, vnum esse, septimum nondum venisse: sed cùm venerit, exiguo spatio remansurum.* [c] *Bestiam autem, quæ fuit, & non est, octauum esse, & vnum tamen è septem.* quâ designat illum Antichristum, qui nondum venerat (Apostolorum dico temporibus) sed postea erat venturus. Quò fit, vt inter ætatem Apostolorum, & finem sæculi, intercedere oporteat aduentum illius Antichristi: id quod etiam ipsi Pontificij fatentur. Vnde manifestum est Babylonem, quæ est eadem Roma, sedem fore ipsius Antichristi: sed non illam veterem Romam siue Ethnicam, quæ fuit Apostolicis temporibus ([d] Ipse enim palàm prædicat, sibi nihil esse scribendum, nisi quod erat post suum tempus euenturum) neque etiam illam, iam aliqua ex parte Christianam Romam, dum in motu fuit conuersionis suæ, quæ è vestigio consequuta est ætatem Apostolorum, illustris tot piorum Episcoporum martyrijs: Sed Romam illam Antichristianam, tum cùm ipse Antichristus ibi sedem posuerit, posteáquam per operationem mysterij iniquitatis, Christiana Roma planè corrupta fuerit, & sinceritatem religionis amiserit. Atque ita illud læthale vulnus, quod à Gothis ac Vandalis acceperat, curabitur in illo capite, siue Rege Antichristo, qui deinde exurget, atque ad diuturnum tempus regno potietur.

a Apoc. 13. 3.
b Cap. 17. 10.
c Vers. 11.
d Apoc. 4. 1.

Sed hîc obijci poterit, non diu posse regnare illum Antichristum, quando S. Iohannes duobus tribúsue locis dicit Antichristum non amplius triennio, & sex mensibus dominaturum. Sanè cui vel paulùm modò notus est stilus, & loquendi modus S. Iohannis in Apocalypsi sua, facilè animaduertet, illum *certum numerum pro incerto ponere* consueuisse. Id [e] quod facit in xij. illis millibus suis de quaque tribu, qui obsignati sunt ad salutem: [f] Et in exercitu ducentûm millium, qui missi sunt ad delendam hominum partem tertiam: idem alijs compluribus in locis facitat. Itaque qui recordabitur illum in omnibus suis Visionibus, ex professo morem à Prophetis nempe Ezechiele, Daniele, Zacharia, in Visionibus suis vsurpatum imitari, mutuantem locutionum formulas, ab illis qui prophetarunt ante Christum natum, ad explicandas suas de nouissimis diebus Prophetias; admodum verisimile esse comperiet, in illis tribus diebus & dimidio, eum imitari Danielis Hebdomadas: Hebdomadam vnam accipiendo, totum illud tempus, quod inter aduentum Christi primum ac secundum interceserit, cuius temporis, siue spiritualis hebdomadæ dimidio triumphantem inducit Antichristum. Nam quòd ad literalem illam interpretationem, quam

e Cap. 7.
f Cap. 9. 16. 18.

omnes

omnes Pontificij ſequuntur, trium annorum & ſex menſium: qua volunt illud tempus ad amuſſim incidere in dies omnium nouiſſimos, exceptis quadraginta quinque ante ſecundum Domini aduentum, planè toti nouo Teſtamento repugnat. Chriſtus enim ait in nouiſſimis diebus epulaturos homines, celebraturos nuptias, omnibus eiuſmodi ſecularibus negotijs implicatum iri, cùm hora nouiſſima repentè eos nec-opinantes opprimet. [a] *Hic erit ad molam, alius ſuper tectum domus, &c.* quibus omnibus ſignificatur illorum temporum ſumma ſecuritas. Idem narrat [b] parabolam quinque ſtultarum Virginum, ad declarandam inexpectatam, miniméque ſuſpectam horam, quæ nos occupabit. ſed [c] *de die illo*, inquit, *vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater.* S. Petrus iubet nos [d] *vigilare & ſobrios eſſe*, ad excipiendum illum diem ſemper intentos. S. autem Ioannes in hac eâdem [e] Apocalypſi, bis nos admonet, vt furem nocturnum, ſic Chriſtum eſſe venturum: quod in [f] Euangelio quoque Chriſtus ipſe teſtatur. Atqui ſi Antichriſtus regnabit annos tres & ſex menſes ante nouiſſimum diem, non plus autem temporis diebus xlv. poſt eius interitum effluet: profectò dies ipſe, & hora illius diei, non poteſt fugere eos, qui ſuperſtites futuri ſunt illo tempore, quo periturus eſt Antichriſtus. Nam vt Pontificij docent, mundus non ignorabit illum eſſe Antichriſtum, tam duorum teſtium doctrinâ, quàm repentino eius interitu. Ex quo conſequitur, neminem fore neſcium, continuò, nulla mora interpoſita, poſt xlv. dies exactos, diem extremum eſſe venturum. quod ſi verum eſſet, non vti fur venturus eſt Chriſtus, neque mundum oſcitantem oppreſſurus, contra omnia Scripturæ teſtimonia à nobis citata, aliáque complura. Ad hunc modum docuimus Romam eſſe ſedem ac domicilium Antichriſti: poſterius autem dimidium ſpiritualis illius hebdomadis inter primum ac ſecundum Domini aduentum, tempus illud eſſe, quo dominabitur. nam in priore myſterium iniquitatis cœpit operari: ſed nondum erat ille homo peccati reuelatus.

a Matth. 24. 41.

b Matth. 25.

c Matt. 24. 36.

d 1. Pet. 5. 8.

e Apoc. 3. 3. & 16. 15.

f Matt. 24. 44.

Confutatio demonſtrationis Bellar. qua probare nititur, Enochum & Eliam duos eſſe teſtes de quibus fit mentio xi. Apocal.

Quinam verò ſint illi teſtes, magna eſt quæſtio. Recepta opinio Papiſtarum eſt, Enochum atque Eliam eſſe oportere, quod ita Bellarminus pertendit, atque in ea ſententia ſic obfirmatus eſt, vt putet eum, qui de hoc dubitat, ſi non hæreticum eſſe, in magno tamen errore verſari. Sed vanitatem Iudaicæ, quam ſequitur, fabulæ, paucis aperiam.

Cardinalis in libro Controuerſiarum producit quatuor Scripturæ locos ad otioſum hoc ſomnium confirmandum, duos è veteri Teſtamento, ex Malachia, atque Eccleſiaſtico; totidémque è nouo, alterum apud Matthæum, Chriſti, (potuit addidiſſe etiam Marcum) alterum Ioannis in Apocalypſi xj. cap. Primùm quòd ad illos locos in genere attinet, fidenter affirmo, verbum in illis non reperiri, reliquíſue Scripturis, quod innuat vel Enochum, vel Eliam redituros eſſe, & cum Antichriſto

Bell. de Rom. Pont. li. 3. c. 6.

tichristo dimicaturos; in eóque conflictu occidendos; aut quicquam simile. Deinde, vt cuique loco sigillatim respondeam, ac primùm illi Malachiæ, nescio quis Christo, eius sit melior interpres, qui bis apud a Matthæum, apud b Marcum semel, certiores facit tam ipsam multitudinem, quàm discipulos suos, Iohannem Baptistam illum esse Eliam repromissum. Atque hîc c Bellarminus pessima cum Christo fide agit, qui vt demonstret nondum venisse Antichristum, eò, scilicet, quòd Enoch & Elias nondum reuersi sunt; ad hoc probandum verba Christi citat Matthæi xvij. *Elias quidem veniet, & restituet omnia*: sed quod sequitur, dissimulat, à quo priora interpretationem capiunt: nimirum *iam Eliam venisse* in Iohannis Baptistæ persona. Quid? quòd in se recipiens Bibliandri obiectionem soluere, qui Christum ait sensisse prophetiam Eliæ venturi completam esse in Iohanne, arripit illud, *Qui habet aures, audiat*, xj. Matt. quod continuò sermonem illum excipit de Elia magnúmque inde elicit mysterium: Sed callidè dissimulat, quod xvij (quem locum ipse antea allegauerat) Christus interpretatur eodem modo Malachiam, sine eorundem subiunctione verborum, *Qui habet aures, audiat*; suam eôdem adiungens non ferendam paraphrasim; nobisque impudenter exponens, quid Christus vellet dicere; immo sanè, quid Christum dicere oporteret, si bonus probúsque Catholicus fuisset. hoc enim sensisse eum persuasissimum habeo, glossemate Aurelianensi addito, quo contextum euertit. Iam videtis, quantâ cum impudentiâ Christi verbis abutatur, qui tribus in locis, vti dixi, alterum aduentum Eliæ de Iohanne Baptista interpretatur. Idem improbissimè cauillatur super verbo *venturus*. Christus enim vtitur illo quidem verbo, sed repetens vulgarem opinionem: interpretatur autem, iam eum in Iohanne venisse, ac si diceret; vera est quidem prophetia, Eliam esse venturum: d *Sed ego dico vobis, Elias iam venit*, de Iohanne Baptista sentiens. Ita primùm verba prophetiæ tempore futuro repetit, vt apud Prophetam reperiuntur; deinde ea iam in Iohanne completa esse, in præsenti tempore demonstrat. Neque est, vt hæc verba Malachiæ, e *Dies magnus & horribilis*, Christi in eum f expositionem refellant. Etenim si quo die Saluator mundi passus est, g Sol obscuratus fuit omnino ad tres horas, velum Templi scissum in duas partes à summo vsque ad imum; terra contremuit, petræ fissę sunt, monumenta aperta, mortui resurrexerunt: si ille, inquam, dies non fuit magnus atque horribilis, quid horribile sit, non video, qui haud dubiè omnes sine exceptione Iudæos iusto anathemate perdidisset, nisi idem Iohannes, præcursor Domini, permultos prius conuertisset doctrinâ pœnitentiæ atque Baptismo. Sed quid ego laborem ampliùs de interpretatione Malachiæ? quidue hoc mihi arrogem? cùm omnibus satis esse debeat, Christum ipsum sic interpretatum esse; cúmque ipse dixerit, adeóque ter dixerit,

per

a Matth. 11. 14. & 17. 12.
b Marc. 9. 13.
c Bellar. lib. 3.
d Matt. 17. 11.
e Mal. 4. 5.
f Matth 27.
g Hæc solis obscuratio ita supra omnem modum horribilis fuit, vt Dionysius solo naturæ instinctu, & Philosophiæ naturalis cognitione, cum videret, attonitus exclamaret: *Aut Deus patitur, aut vices patientis dolet.*
Malach. 4. 6.

per quem facta ſunt omnia, quis mortalis audebit aliam interpretationem, immo contrariam affingere?

Iam quòd ad locum Eccleſiaſtici pertinet, ſicut filius Sirach tantùm mutuatus eſt illum à Malachia, quod liquet ex verbis eius *de conuertendo filiorum corda ad patres*, quæ verba ſunt ipſius Malachiæ; ſic Chriſtus eſt optimus habendus vtriuſque interpres: neque dedecori eſt huic mortali Ieſu explicari ab immortali veróque Ieſu, licet ad pudorem & confuſionem hæreſeôs Ieſuitarum. Sed Enochum oportet in hoc negotio cum Elia coniungi, nullam aliam ad rem, ni fallor, niſi ad iugum ex altera parte tollendum. Nullus enim Scripturæ locus de reditu eius loquitur. Hoc tantùm in Eccleſiaſtico legitur, placuiſſe Enochum Deo, ob eámque cauſſam tranſlatum fuiſſe in Paradiſum, *vt daret Gentibus ſapientiam, vel pœnitentiam*, quando ita volunt. Et quid iſtuc eſt, dare Gentibus pœnitentiam? nimirum Enoch in hanc vitam reuerſurum, & pugnaturum contra Antichriſtum. Scitum quidem commentum, ſed parum aptum huic loco commentarium. Cùm Bellarminus ageret de Elia, vrgebat hoc maximè, venturum eſſe Eliam, qui Iudæos conuerteret potiſſimùm, *& reſtitueret tribus Iacob.* Sed vbi ad Enoch redit, oportet illum *dare Gentibus pœnitentiam*: de Iudæis autem ne verbum quidem. adfuturi ſunt, nimirum, vt ſuam quiſque curet prouinciam, neque vtrique idem detur negotium; ſed ita ſortiantur prouincias, vt Petrus & Paulus; qui ſic inter ſe partiti ſunt, vt ille Iudęorum eſſet Apoſtolus, hic iret ad Gentes. Quid opus eſt tam longè petitis, coactiſque commentationibus tribus de verbis? nónne ſenſus hic ſatis rectè claréque conſtabit; Enochum Deo placuiſſe, atque in Paradiſum fuiſſe tranſlatum, vt exemplo Gentibus eſſet; & hic tantus honos illi habitus, Gentes impelleret ad agendum pœnitentiam, ſanctiſque eius veſtigijs inſiſtendum? Quid enim potuit efficacius perſuadere & adigere Nationes ad pœnitentiam, quàm vt ipſis inſpectantibus Diuinus ille vir, viuus in cœlum, pro mercede integritatis ſuæ ſuſtolleretur; cæteri omnes interirent atque in corruptionem abirent? Deſtitutus autem à Scripturis, neceſſe habet Cardinalis ad Patres confugere; quò probet Enochum atque Eliam adhuc viuere, poſteáque morituros. Sed pari fœlicitate, atque in Scripturis verſatus eſt, vt verbo eius vtar, quo ille in libello ſuo [a] contra me vſus. Ad hoc probandum quinque de Patribus adducit, Irenæum, Tertullianum, Epiphanium, Hieronymum, Auguſtinum: qui quidem omnes ſuper hoc conſentiunt, vtrumque, Enochum atque Eliam adhuc viuere: quod nemo Chriſtianus vnquam, opinor, negauerit. Abraham enim, Iſaac & Iacob etiamnum viuunt, vt Chriſtus eſt auctor: [b] *Deus enim*, inquit, *viuentium eſt, non mortuorum Deus.* quanto magis in viuis ſunt Enoch & Elias, qui nunquam mortem more aliorum guſtauerunt? Sed de reli-

Eccleſiaſt. 48. 2. Malach. 4. 6.

Eccleſiaſt. 44. 16.

a Pag. 27.

b Mat. 22. 32.

qua quæstione, an postea morituri sint primi duo testes eius, Irenæus
a Irenæus l.5. ac Tertullianus planè negant. [a] Ille enim ait, in Paradiso remansuros vsque ad consummationem, *conspicantes incorruptionem.* Iam remanere illic vsque ad consummationem, & non videre corruptionem, ex diametro repugnat reditioni in hunc mundum, mortísque perpessioni.
b Lib. contra Iudæos cap. 2. [b] Tertullianus etiam huic consentiens planissimè dicit, Enochum nunquam gustâsse mortem, *vt æternitatis candidatum.* Iam malè sibi firmatum habet ius æternitatis, si iterum moriturus est. Loca autem ex tribus reliquis Patribus adducta, alterum confirmant, illos hodie viuere: alterius nullam faciunt mentionem, esse aliquando morituros.

Sed quoniam in hunc de Patribus antiquis fortè sermonem incidimus, finite, quæso, hac occasione obiter vos moneam, mirum non esse, si sæpius Patres hîc errent, & minus rectè multa Apocalypsis mysteria intelligant, propterea quòd liber ille eorum temporibus adhuc obsignatus fuit: & licet [c] *mysterium iniquitatis* iam tum ageretur, ille tamen *homo peccati* nondum erat reuelatus. In omnibus enim obscuris Prophetijs certissima est regula, nunquam eas satis intelligi posse, vsque dum compleantur.
c 2. Thess. 2.

Atque ad hunc modum duobus Bellarmini locis è Veteri Testamento depromptis, per hunc tertium è Nouo, qui verba Christi continet, satisfeci. quæ quoniam luce sunt clariora, quartum nunc Scripturæ locum [d] xj. Apocal. videamus. Illi enim *duo testes*, scilicet, quorum ibi fit mentio, non alij, quàm Enoch atque Elias sint, necesse est. Sed quî possit hoc cum Theologia, vel ratione consistere, vt hæc duo glorificata corpora, de Paradiso, cœlóue (vtro, vos videritis) descendant; prædicent, & pugnent contra Antichristum; interficiantur ab eo, posteaquam per multa annorum millia exempti fuerint à maledictione mortis, cui per naturam omnes subiacent; tertio die resurgant ad imitationem Christi; exinde multis miraculis editis redeant in cœlum veredariorum more, vltrò citróque cœlum inter & terram cursitantes? hoc, inquam, quî possit cum Theologia, vel ratione consentire, equidem fateor, captum meum superat: maximè quòd eos oporteat indutos esse cilicio, quorum corpora, opinor, tam diu fuerint à peccato libera, vt non ampliùs ista maceratione egeant. Nunc enim oportet illos, aut in cœlo esse, aut in Paradiso. si in cœlo (quod haud dubiè verum est) glorificata sint corpora eorum oportet: cùm [e] *nihil corruptibile eò possit penetrare.* Ex quo consequitur non posse eos ampliùs carnis infirmitatibus, ac potissimùm morti esse obnoxios. Quòd si sunt in terrestri Paradiso, primùm scire auemus, vbinam sit ille Paradisus, quâ regione terræ, quibus orbis in oris.
d Apoc. 11.
e Apocal. 21. 27.

f Lib de Grat. primi hominis. [f] Bellarminus quidem in suis Controuersijs multùm desudat, Paradisi regionem sitúmque perquirens, terráne inueniatur, an aëre: sed

hæc

hæc omnia ſunt mera deliria. Scriptura teſtatur Paradiſum, adeóque hortum Eden, fuiſſe quendam in terra locum, quem Deus elegit, vt Adamum inibi collocaret, vnde cùm eum paulò pòſt propter grauiſſimam offenſam expuliſſet, blaſphemum eſt credere vllum ex Adami poſteris eò poſtmodum peruenisſe. Omnis enim eius progenies maledicta eſt in ipſo, & de terreſtri Paradiſo eliminata, necnon ipſa terra vniuerſim, ac Paradiſus ſpeciatim propter ipſum maledicta ſunt. Secundus autem Adam per gratiam certum ex eis numerum vocauit, qui ſibi cohæredes fierent cœleſtis Ieruſalem, cœleſtiſque Paradiſi. Terreſtris enim, haud dubiè diluuio; ſi non antè, deletus eſt, ſublatis illis omnibus exquiſitiſſimis delicijs, ſummáque amœnitate, quâ reliquas terræ regiones longè multúmque ſuperabat. In aëre autem pendère, incredibile eſt, nec diſſimile ſomniorum Alcorani. in Scripturis enim nullum commemoratur eiuſmodi miraculum; nec aliunde oriri potuit, quàm ex curioſis ac præferuidis cerebroſorum hominum commentis, qui non didicerunt [a] *ſapere ad ſobrietatem.* Hoc igitur certum eſt, in cœlo domicilium & requiem habere Enochum atque Eliam. [b] *Enoch enim*, inquit Scriptura, *ambulauit cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus*, vel ad ſe recepit: [c] Elias autem viſus eſt ſublimè in cœlum flammante curru ſubleuari. Vt autem illi, qui tot millia annorum cœli fuerunt incolæ, mortalitatis legibus ſoluti, vt hæc, inquam, glorificata & incorruptibilia corpora redeant in hanc vitam, prædicent Euangelium, edant miracula; cum Antichriſto denique confligentes interficiantur ij, quos mors naturalis antè abſumere non potuit, ſicuti commentitium eſt figmentum, ita naturæ planè repugnat eiuſmodi ſanctificatorum corporum. Sed illud inprimis mihi mirum videtur, cur Enoch potiſſimùm vnum eſſe oporteat ex his *duobus* Chriſti *teſtibus.* Moyſes certè atque Elias cum Chriſto fuerunt in transfiguratione, in figuram Legis & Prophetarum. Lex enim & Prophetæ grauiſſimi teſtes fuiſſent ad coarguendum Antichriſtum. Cur autem Enochi collum iugo ſubdiderint, Moyſem exemerint, diuinare non poſſum.

Genes. 2.

a Rom. 12. 3.

b Gen. 5. 24.

c 2. Reg. 2. 11. 10.

Sed nimis anxiè ſtudioſéque hanc futilem & ſanè anilem fabulam refutaui, cui tantum abeſt, vt credam; vt contrà, iſto tam erudito ſæculo, hoc qui credat (Deum teſtor) non modò pro magni nominis Theologo, ſed ne pro Chriſtiano quidem habeam: quin potiùs Scribis & Phariſæis accenſeam, qui ſic inſaniebant, vt quamuis Chriſtus contrarium docuiſſet, ſemper tamen venturum eſſe Eliam ſomniarent. Veteribus autem Theologis, ſi qui in hac parte errauerint, æquior ſum, propter rationem quam ſuprà memoraui.

Iam illa anili fabula refutata de *duobus* illis *teſtibus* Enoch atque Elia, reſtat, vt meam coniecturam interponam, doceámque quoſnam illos *teſtes* eſſe arbitrer. Equidem fateor multò facilius eſſe eiuſmodi nulla

Quid per hos duos teſtes ſignificetur.

ratione subnixas, ac Theologiæ fundamentis aduersantes fabellas refellere, quàm tam alti reconditique mysterij germanum sensum eruere. Itaque vt non tantum mihi arrogauerim, quenquam vt adigam in meam ſententiam, nisi quem ipsa veritas, & animi sui iudicium eò pertraxerit: ita proponam probabiles coniecturas, quæ, vt spero, hæreseôs & nimiæ curiositatis suspicione vacabunt.

Duobus diuersis modis mysterium horum *testium*: meâ quidem sentẽtiâ probabiliter & non incommodè potèst exponi: quorum alter est, vt per *duos* hosce *testes* intelligantur Vetus ac Nouum Testamentum. Nam vt Antichristus non potest non inimicus esse Verbo Dei, illúdque supra omnia odisse: sic nihil intentatum relinquet, quò illud *dedecoret, corrumpat, supprimat*, & quibus possit artibus *destruat*. Cæterùm an hic liber duorum Testamentorum, vel *duûm* Christi *testium*, vim aliquam à Babylonica Monarchia passus sit, nécne, nihil dicam: res ipsa loquitur. Non obtundam vos recensendis tritis illis, quibus vtuntur ad minuendam eius auctoritatem dicterijs, cuiusmodi sunt, *Nasus cereus*, *Mortua litera*, *Lesbia regula*, sexcenta alia probri & ignominiæ plena. Sed quantum Traditiones hominum, atque auctoritatem Ecclesiæ his testibus præferant, ex ipsorum doctrina apparet. Ad cuius rei probationem, si nihil aliud exstaret, satis profectò esse posset ille libellus scitam hanc inscriptionem præferens, *De insufficientia Scripturæ Sanctæ*. Cùm autem nulla de re magis laborandum sit, quàm vt integra & incorrupta conseruetur sacra Scriptura, complures veteris Latinæ versionis locos etiam corruptissimos corrigi minimè patiuntur: cuiusmodi sunt *euertere domum*, pro *euerrere* ad inueniendum denarium: & illud de Iohanne dictum, *Sic eum volo manere, donec veniam*, pro *Si*, tametsi non solùm mendi, sed etiam mendacij manifestum sit; vt subsequentia contextus verba declarant. Sed tantum absunt à veterum codicum emendatione, vt vulgarem versionem Pontificij non dubitent archetypis originibus Hebræorum, & Græcorum anteponere. Hæc etiam contemnendáne est deprauatio Scripturarum, fidem atque auctoritatem omnium, aut maximæ partis Apocryphorum librorum, exæquare Scripturis canonicis, contrà quàm Patres sentiunt, ac vetera Concilia decernunt? Illa autem quàm sacrilega corruptio, *Dominam* pro *Domino* ponere in toto Psalterio? sic enim *Dominæ nostræ Psalterium*, quod vocant, non ita pridem denuò Parisijs est excusum. Nónne hoc est Christi, Matrisque personam ac dignitatem confundere? Quid de Scripturæ suppressione dicam? quot sæculis populus Christianus in tanta cæcitate, & salutaris doctrinæ ignoratione detentus est, vt hi testes penè incogniti essent; cùm Laici Scripturam attingere (vt quibus hoc interdictum esset) non auderent, maxima pars Clericorum in illius lectione versari aut nollent, aut non possent?

Cardinal. Peron.

Luc. 15. 8.

Iohan. 21. 22. 23.

A Bonauentura, Doctore Seraphico editum.

Ad

Digitized by Google

Ad hunc modum hi *duo teſtes* Chriſti, de quibus ipſe dicit [a] *Scrutamini Scripturas; illæ enim teſtimonium perhibent de me*: hæ duæ [b] pingues oliuæ, pacem afferentes cunctis credentibus, pacem, dico, conſcientię: hæc [c] duo candelabra, quæ poſita in conſpectu Dei, prælucent nationibus, queis ſignificari vtrumque Teſtamentum, & repræſentari in ipſa Romanæ Miſſæ * celebratione volunt: ad hunc, inquam, modum fuerunt hi *duo teſtes dedecorati, corrupti, ſuppreſſi*: quid dico ſuppreſſos? immo ad ſilentium damnati, vt pro hæretico combureretur, qui in manus ſumere auderet, aut inſpicere. Deinde in ignota lingua ſic abſconditi iacuerunt, pauci vt poſſent adire, aut aſſequi: quorum in locum Legendæ ſubierunt, & portentoſa quædam mendacia, quibus omnia ſuggeſta & templa reſonabant. Atque ita euenit, *vt corpora horum teſtium proiecta in plateis illius magnæ ciuitatis iacerent, quæ ſpiritualiter Sodoma vocatur*, propter ſpirituales eius fornicationes, quæ ſunt Idolorum cultus: *ſpiritualiter Ægyptus*, eò quòd Sanctos Dei in ſeruitutem humanarum traditionum redegerit. *Quare oneramini ritibus?* Quis requiſiuit iſta de manibus veſtris? Sic, inquam, *corpora eorum ad triduum & dimidium diei* ſine ſepultura proiecta ſunt; id eſt, ad dimidium illius ſpiritualis hebdomadæ, quæ inter primum Chriſti aduentum, & ſecundum intercedit. Et tum certè Scripturæ tanquam cadauera, iacebant, abſque monumento, omnium contemptui expoſitæ, neglectæ penè ab omnibus, nec à pluribus intellectæ, cùm nemo pœnæ formidine requirere eas, aut poſcere auderet, ſicuti ſuprà diximus. Quæ cùm ſic intermortuæ, & quaſi depoſitæ, exanimes & ſine vigore iacuiſſent, non ſecùs atque Lex, quæ cùm diu in tenebris obruta latuiſſet, quaſi vitæ reddita ac reſtituta Ioſiæ tempore reuixit; *gaudebant habitatores terræ*, nempe, homines terrena ſapientes, *munera vltrò citróque inter ſe præ gaudio miſitabant*, quòd carnales ſuæ libidines non ampliùs iam comprimerentur, neque in ordinem cogerentur, ancipiti illo gladio reſectæ. Iam enim certò ſciebant, quicquid feciſſent, quocunque modo vixiſſent, pecunijs ſe omnium peccatorum indulgentias Babylone impetraturos: quippe *Omnia venalia Romæ*. Adeò non opus fuit hominibus ad veniam peccatorum inueniendam, in cœlum ſuſpicere; ſed pronos marſupia deſpicere, ſi ſat nummis intumeſcerent. Immò quorſum attinuit Deum adire, & cœlum per vim zelique feruorem occupare, cùm Indulgentiæ ſe vltrò offerrent, atque ad fores præſtò eſſent? Cùm homines complures ſpirituales, iactarent ſe neque Vetus intelligere Teſtamentum, neque Nouum?

En quàm inclementer, & quanto cum dedecore hi *duo teſtes* excepti ſint in altera parte Hebdomadæ ſpiritualis, qui in prima, * *cilicio cooperti ſunt*; id eſt, pœnitentiam cunctis nationibus, circiter quingentos aut ſexcentos poſt Chriſtum annos, prædicauerant: cùm Deus Ver-

a Iohan. 5. 39.
b Apoc. 11. 4.
c Ibidem.
* Vide Expoſitionem Miſſæ, annexam Ordini Romano, à G. Caſſandro editam.
Vers. 8.
Coloſſ. 2. 20.
Vers. 8.
2. Chr. 34. 14.
Vers. 10.
* Vers. 3.

bum suum, siue *testem*, [a] *insidentem equo candido*, sic ouantem fecit incedere in primordijs Ecclesię, vt omnes, qui aduersarentur, vinceret: destrueret omnem altitudinem, quæ se extollit aduersus cognitionem Dei ([b] vt ait Apostolus) aditu cœlorum prohiberet omnes incredulos, non minus eos spirituali igne Verbi conuinceret, durásque eorum ceruices frangeret, quàm Moyses & Elias plagis & fame rebelles Ægyptios obstinatósque Israëlitas contuderant. Neque contenti erunt, hos *testes* dedecorasse, corrupisse, suppressisse, sed ad extremum quoque [c] *interficiendi sunt*: quam ad rem prodit * *Censura generalis, vt censorio mucrone iugulentur.* Quid enim aliud agit, quàm iugulat, cùm alias omnes translationes, præter suam, auctor comburi mandat? quod etiamnum fieri solet. Præ se fert enim & palàm profitetur, se non id agere, vt corrigantur (quod si facere vellet, magnam ei gratiam haberemus) sed vt deleantur & destruantur, vnumquemque Scripturæ locum, qui illorum Traditionibus refragatur, hæreseos arguens. Neque id solùm, sed tot ferè conuitijs atque maledictis onerans, quot Cardinalis in meam Apologiam contulit: non dirigens, neque explicans Scripturam ex Scriptura (quæ est optima interpretandi ratio) sed ad suas traditiones, tanquam ad Lydium lapidem, ipsam quoque Scripturam exigens: Vt damnet hereseos, non eos modò Scripturæ locos, quos recitat, sed eandem etiam sententiam ferat in omneis consimiles, vbicunque in Scripturis reperiantur. Et tamen summo Dei Optimi Maximi beneficio, nunc incipimus (id quod maiores etiam nostri aliquot superioribus sæculis fecerunt) oculis cernere hosce *testes* resurgentes, & in pristina gloria refulgentes, [d] *Deo quasi leuante eos, atque in pedes* [e] *statuente: denique tollente in cœlum* quasi in triumphali nube gloriæ, prout Elias curru subleuatus ignito traditur. Quæ Euangelij resuscitatio, atque in sublime euectio, tantum [f] *terræmotum*, tantámque rerum mutationem in plærísque gentibus peperit, vt *pars decima*, id est, bene magna, multíque eorum, qui *magnæ Ciuitatis* ditioni suberant, nempe Babylonis, cognitis impostoris, ab ea defecerint; *septem millia*, id est, ingens multitudo per occasionem illius mutationis occisa sit: multi ad Deum conuersi, *gloriam Deo cœli tribuentes.* Hic igitur vnus est modus, quo locum hunc Scripturæ probabiliter, vt mihi videtur, interpretari licet.

Est & alter magis receptus, qui ad literam contextus propiùs accedit: si dicamus per hosce *testes*, non ipsum Dei Verbum, sed Verbi prædicatores, intelligi. Pauci erant ab initio, qui illum *hominem peccati*, reuelarent, & corruptelas eius retegerent. appositè igitur duali numero descripti sunt: [g] *Nam in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Neque maior fuit eorum numerus, qui magnum illud opus inchoauerunt, quàm negotij magnitudo necessariò postulabat.

a Apocal. 6. 2.
b 2. Cor. 10. 4.
c Apoc. 11. 7.
* Venetijs excusa anno 1562.
d Vers. 11.
e Vers. 12.
f Vers. 13.
g Deut. 19. 15.

[a] *Prædica-*

Digitized by Google

[a] *Prædicabant in cilicio*; quippe pœnitentiam prædicabant: plurimos eorum crudeliſſima morte affectos fuiſſe, Orbi notiſſimum: *mox reſurrexiſſe* in eiuſdem doctrinæ ſucceſſoribus conſtat; ídque tanta vi & efficaciâ, vt omne miraculum ſuperet. Cùm enim habeatur in Scripturis opus Dei miraculi plenum, Spiritus Sancti virtute perfectum, quòd [b] Apoſtolus Petrus propè tria hominum millia vno die conuerterit: iſti, de quibus loquor *teſtes*, intra paucos annos eiuſdem Spiritus vi, multas potentiſſimas nationes in veræ Fidei viam reduxerunt, quę conſtanter hodie perſeuerant; Deum laudantes, qui eas ab Antichriſti magnæ Ciuitati imperantis tyrannide exemerit: & altâ voce clamantes, [c] *Exite de illis populus meus, ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.* Hoc igitur iſti miraculorum nundinatores, qui nauſeam mundo cient, & chartæ precium adaugent, editis quotidie veteribus illis quidem, ſed denuò interpolatis miraculis, ac plenis mendaciorum Legendis: hoc, inquam, iſti cogitent magnum reuerà miraculum & quod fidem penè ſuperet, & vilibus ſuis atque adulteratis, vt tandem ipſos pudeat, mercibus componant. Atque ita duobus modis explicatâ coniecturâ meâ, quos *duorum teſtium* nomine intelligi cenſeam, quorum Apocalypſeos xj. fit mentio (quanquam non ſit magnum vtriuſque diſcrimen; in altero enim ipſum Dei Verbum; in altero Verbûm quoque Dei, ſed ex ore prædicatorum eius, accipimus) reſtat iam vt tertium deſcriptionis Antichriſti locum excutiamus, in quo de *perſona* quærendum eſſe inſtituimus.

a Apoc. 11. 3.

Sanguis Martyrum eſt ſemen Eccleſiæ.

b Act. 2. 41.

c Apoc. 18. 4.

Scorto Babylonio, quod Beſtiæ inequitat, ſedem alicuius Imperij, & ſucceſſione continuatam hominum ſeriem illi præſidentem, non vnum aliquem deſignari, perſpicuum eſt ex forma, qua diuerſis libri locis Antichriſtus ipſe deſcribitur. Verſu enim vltimo cap. xvij. [d] *mulier* exponitur, *magna illa ciuitas, quæ dominatur Regibus terræ*; quæ non poteſt ſignificare certam vnius hominis perſonam, ſed plures homines ſibi continenter ſuccedentes, vt ſuprà memoraui, quorum ſedes eſt magna illa Ciuitas. Similiterque eodem cap. [e] *ſeptem capita, illius Beſtiæ*, duobus modis exponuntur: primùm *de ſeptem montibus*; quod obuium eſt: deinde, *de Regibus totidem*, quod de illis non poteſt intelligi Regibus qui [f] *Beſtiæ ſuam poteſtatem tradituri ſunt*, eíque ſubijcientur, qui mox [g] *decem illis cornibus* figurantur: Sed magis apparet ſeptem capita Beſtiæ, ſeptem Imperij formas eſſe, illius ſedis proprias, quarum quinque iam fuerant & ceciderant. Reges enim primò fuerunt; deinde exactis Regibus, Conſules, Dictatores, Decemuiri, Tribuni militum. Sexta erat, quo tempore Iohannes conſcripſit hunc librum, Cæſarum Imperium. Septima, quæ nondum venerat, & exiguo temporis ſpatio erat duratura, Eccleſiaſtica eſt Epiſcoporum, quæ tranſlationem Imperij Româ Conſtantinopolin conſecuta eſt: licet illorum regimen Imperatoribus quodam

d Cap. 17. verſ. 18.

e Verſ. 9.

f Verſ. 13.

g Verſ. 12.

Digitized by

Ex quo Constãtinus magnus Imperium Romã Constantinopolin transtulit, vsq; ad Bonifacium 3. anni circiter 276.

quodam modo fuit subordinatum. Quanquam enim hæc gubernandi ratio annos circiter cclxxvj. durauerit, tamen exiguum hoc fuit præ longo illo tempore, quo regnum, quod illi continuò successit, nec dum desijt, Antichristus obtinuit. Octaua, [a] *quæ est Bestia, quæ erat, & non est, & itura est in perditionem*, ipse est Antichristus, qui quidem censetur octauus propter illius summum & absolutum Imperium; simul tamen septimus, quia visus est successisse Episcopis in Ecclesiastica quadam ratione imperandi: licet amplitudine sua gloriam Imperij Babylonij parem effecturus erat illi magnificentiæ, quam magna illa ciuitas obtinuit, tum cùm maximè floreret ac triumpharet; quæ Sancti Iohannis ætate multùm imminuta erat per nobilium factiones, & seditiones militum, ipsorúmque Cæsarum socordiam. Ita pristinus ille magnæ Ciuitatis, seu Bestiæ splendor, cui S. Iohannis a tate tantum decesserat, *vt non esse tum, nisi quodam modo videretur, restituendus erat per illum Antichristum, qui sicut ascendit ex abysso, sic iturus est in perditionem. Quinetiam ex illo maximo [a] planctu, qui cietur ex interitu Babylonis xviij. cap. iam à Regibus, quàm mercatoribus terræ, vbi ad miserationem desolationis eius augendam iteratur tertiò, cecidisse horę momento magnam Ciuitatem; ex illo, inquam, grauissimo planctu planissimè constat, regnum Antichristi longiùs triennio & semestri spatio, aut vnius hominis ætate duraturum. Reges enim, qui cum ea fornicati sunt, & [b] *in delicijs vixerant*, tempus habuisse diuturnius ad magnam illam necessitudinem contrahendam oportuit. [c] *Mercatores autem terræ*, sic eius, dum stetit, prolixè copias & fœlicitatem ostentant, quasi suarum esset Emporium diuitiarum, quæ tam exiguo tempore non poterant, ac ne vno quidem sæculo, coaceruari. Sed vt iam omnem hanc Antichristi descriptionem in pauca conferam, compendiosa vobis methodo ante oculos ponam omnia, quæ de eo dicta sunt in Apocalypsi, ad pleniorem explanationem trium illorum Capitum quæ iam explicaui.

*Non quoad limites, & Imperij amplitudinem; sed propter imperandi modum & ciuitatis gloriam.

a Cap. 18. v. 9. & 11. 16. 19.

b Vers. 9.

c Vers. 11.

Prima Visio, qua describitur Antichristus.

Antichristus meo quidem iudicio quater à Iohanne in Apocalypsi, quatuor diuersis visionibus depingitur, quæ omnia in breue compendium cap. x. contrahuntur. Primùm *equo pallido* describitur in visione sigillorum cap. vj. postquam enim Christus [d] *in equo albo*, cùm primum sigillum apertum est, propagatione Euangelij triumphasset: [e] *rufus* autem *equus* ad apertionem secundi, non minus contenderet infestam persecutionem mouere, quàm Christus constantia Martyrum vincere; Fames autem atque aliæ plagæ, per [f] *equum nigrum* figuratæ, prioribus illis persecutionibus in tertio sigillo succederent, dehinc iam procedit ille Antichristus in [g] *equo pallido*, cùm quartum apertum est sigillum, *& qui sedebat super eum, nomen illi Mors, quem Infernus sequebatur*; sessor pallido equi colori consentaneus: *& data est* * *ei potestas in quartam terræ partem,*

d Apoc. cap. 6. vers. 2.

e Vers. 4.

f Vers. 5.

g Vers. 8.

* Sine *illi* secundùm aliã lectionem, quo coniunctim intelligitur idem ille equus pallidus, vnà cum sessore suo & comite, qui sunt Mors & Infernus.

tem, id est, in Europam, *interficiendi gladio*, & persecutionibus sæuiendi, (quod Ethnica Roma factitauerat, *equo rufo* figurata) & conficiendi spirituali inedia seu fame Verbi Dei, quam minatur Propheta, sicuti *niger equus fame & morte corporali* necabat, quibus mors spiritualis designatur. Antichristus enim *equo pallido* notatus, Ecclesiam tum sæua persecutione & corporali morte vexabit; tum non minus pelliciendo Nationes in Idololatriam spirituali quoque morte mulctabit. Locustas enim, quibus vt rex imperat, quarum ix. cap. huius libri fit mentio, emittet; vnáque cum eis tres illos ranunculos, cap. xvj. commemoratos, qui Reges nationésque omnes ad calicem abominationum eius exhauriendum alliciant. Atque hîc desinere hanc descriptionem Antichristi perspicuum est. ad resignationem enim [a] quinti sigilli continenter subiunctam; animæ & sanguis interfectorum [b] Sanctorum, magna voce clamantes, accelerari vindictam expetunt, iudicium exposcunt: quod in sexto [c] sigillo concessum est eis aduentu Christi nouissima die qui per *recessum cæli instar libri conuoluti*, & alia multa in eandem sententiam significatur.

a Vers. 9.
b Vers. 10.
c Vers. 12.

Sed quia hæc videri posset ipsius Antichristi breuis & obscura descriptio, fusiùs & magis specificè depingit eum, præsertim in visione *Tubarum*, cap. ix. [d] Illic enim habetur ad quintæ tubæ clangorem, cùm iam passim hæreses in tribus è quatuor primis clangoribus disseminatæ fuissent, nempe ad primam, tertiam & quartam (temporalem enim persecutionem censeo tantùm secundo tubæ cantu significari) Iohannem [e] *Vidisse stellam de cœlo decidentem in terram, cui data est clauis putei;* [f] *qui dicitur abyssus: quæ cùm aperta esset, cum fumo putei magnam vim locustarum exisse in terram*, de quarum tam astutia, quàm potentia, cùm multa dixisset, Regis earum, qui eduxit eas de puteo Abyssi, nomen exponit, quod Hebraicè Abaddon dicitur, Græcè autem Ἀπολλύων. Hæc autem [g] *stella, quæ de cœlo cecidit*, significat, nî fallor, aliquẽ eximiæ dignitatis in Ecclesia, qui cùm ex officio lux mundi esse deberet, vt [h] Christus præceperat; ille contrà munus suum deserens, instar Luciferi deficit, regnum sibi erigit, pestifero subdolorum & immanis sæuitiæ animalculorum examine emisso, quæ *locustarum* nomine notantur. Ad hunc modum sedes Antichristi cœpta est erigi, cuius doctrina copiosè declaratur in secundo *Væ*, post inflationem sextæ tubæ; vbi dicitur, [i] *residuos homines, qui non sunt occisi in his plagis, non egisse pœnitentiam de operibus manuum suarum,* [k] *vt non adorarent dæmonia, & simulachra aurea & argentea & ærea & lapidea & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque incedere.* De cultu dæmoniorum, egregium Doctorem Iesuiticum *Vasquem consulite. Quantum verò ad cultum imaginum, negari non potest, quin caput doctrinæ præcipuum sit Romanensis Ecclesiæ. Deinde ibidem subinfertur, [l] *non egisse eos pœnitentiam ab homicidijs suis, neque*

Visio secunda describens Antichristum,
d Vers. 1.
e Vers. 2.
f Vers. 3.
g Vers. 11.
h Matt. 5. 14.
i. Vers. 13.
k Vers. 20.
* Libr. de Cultu adoration. lib 3. disp. 1. cap. 5.
l Vers. 21.

Digitized by Google

neque à veneficijs, neque à fornicationibus ſuis, neque à furtis.

Homicidia, perſecutiones eorum denotant, promiſcuas cædes ac trucidationes. De *veneficijs* qui dubitat, eorum *Agnos Dei* contempletur, quibus ignis reſtinguitur, benedicta induſia, & diuerſorum generum reliquias; denique orationes, quæ homines à tormentorum bellicorum impetu, vi flammæ, violentia ferri, iactu fulminum, cæteríſque id genus periculis conſeruent. Tum iudicet, an non ſint hæc veneficijs & veneficorum incantationibus ſimillima.

Iam *fornicationem* eorum intelligo, cùm ſpiritualem, quæ perhibetur Idololatria, tum non minus carnalem, quæ apud eos frequentior eſt, tam propter matrimonium Clericis ſuis interdictum, quàm propter tot otioſorum Monachorum ac Sanctimonialium greges. Otium enim eſſe maximum incitamentum atque illecebram libidinis, vſus vitæ quotidianus docet. *Furti* autem in eo maximè ſe alligant, quòd Deo furripiunt titulos honorum, & amplitudinem poteſtatis illi ſoli debitam, quam in Antichriſtum caput ſuum conferant. Nec minùs in accumulandis opibus furti tenentur, dum pręſtigiatorijs artibus, *Iubilæis, Indulgentijs, Reliquijs*, & id genus alijs efficacibus deluſionibus, animas hominum nundinantur.

Deſinere autem deſcriptionem Antichriſti cap. ix. liquet ex iureiurando, quod [a] *fortis ille Angelus, leuata ad cœlum manu* deierat verſ. vj. cap. x. poſt cantum ſextæ tubæ, [b] *tempus non fore amplius*. Sed cùm ſeptimus Angelus *tubâ ceciniſſet, conſummabitur, inquit, myſterium Dei, ſicut Euangelizauit per ſeruos ſuos prophetas*. Vndecimo cap. tantummodò deſcribit modum quo debellatus eſt Antichriſtus; cuius regnum antè expoſuerat cap. ix. nobíſque de duobus illis teſtibus annuntiat, fore vt poſt perſecutionem, quam ab Antichriſto paſſi ſunt, exitium ei adferant. Quòd ſi quis putet Antichriſti mentionem fieri ſolùm xj. cap. Beſtiam autem de qua agitur xiij. & xvij. cap. tantùm ſignificare Ethnicam illam veterem Romam: ad hanc minuendam opinionem ſatis eſt recordari, nunquam Antichriſtum poni nominatim toto cap. xj. niſi vbi verſ. vij. capitis eiuſdem appellatur Beſtia, quæ prodit de puteo abyſſi, quæ per loci deſcriptionem, vnde emergit, probatur eadem eſſe Beſtia, cuius eadem origo xvij. totidē verbis commemoratur. Adeò non eſt alius, ſed idem Antichriſtus varijs viſionibus iteratus, variéque deſcriptus.

a Cap. 10. verſ. 6.
b Verſ. 7.
Cap. 11.
Verſ. 3.

Tertio viſio deſcribens Antichriſtum. Cap. 12. v. 6.
Verſ. 15.

Iam xij. & xiij. cap. ac deinceps vſque ad xvij. fuſiorem facit ac pleniorem propheticam explicationem ſtatus Eccleſiæ, regníque ipſius Antichriſti. Capite enim xij. deſignat Eccleſiam ſpecie *mulieris à Draco*ne qui Diabolus eſt, in deſertum fugientis. *Draco* autem vbi videt, ſe non poſſe aliter illam conſequi, *effundit ex ore aquas inſtar fluminis, quibus abrepta traberetur*: quo ſignificatur plurimas nationes ſolutas & immiſſas eſſe ad perſequendum, & vexandum Eccleſiam. Decimotertio

autem

autem cap. ex illa nationum immensa colluuione, quæ persequebantur Ecclesiam, exoritur magna illa Ciuitas, Regina omnium illarum Gentium, & caput diræ persecutionis, bestiâ quâdam figurata, [a] *quæ septem habuit capita & decem cornua*, [b] *pardo simili*, cùm propter colorem, quia respersa erat maculis, id est, corruptelis contaminata; tum quòd adulterinam quandam imperandi rationem adhibet, specie spiritualem, reuera sæcularem, qua super Reges terræ extollitur: Leopardi similem, quæ spuria est bellua, è Leone pardóque mista; *vt pinis pedibus*, ad vires eius significandas; *ore autem leonis*, ad rapacitatem declarandam, sæuámque naturam. Cap. 13. [a] Vers. 1. [b] Vers. 2.

Hæc Bestia, quæ suam à [c] *Dracone habuit potestatem, plagam autem lethalem in vno capitum*, siue vna imperandi rationum, à Gotthis ac Vandalis acceperat, sed mox [d] *curata est, aperuit os suum ad blasphemias in Deum* [e] *bellúmque Sanctis intulit*: quam, scilicet terram vniuersam adorare oportet, quod nunquam vetus illa Ethnica Roma à quoquam postulauit; quæ dedignata non est fœdere coniunctos Reges, *socios atq; amicos* comiter appellare. Cultus autem, atque adoratio, hoc eodem nomine ac titulo, solétne adhiberi singulis Pontificibus cùm inaugurantur, nemo Cardinali nostro melius nouit. [c] Vers. 3. [d] Vers. 6. [e] Vers. 7.

Deinde [f] *alia bestia è terrâ* exoritur, cuius firmior origo est & stabilior, vt quæ visibiliter veræ Ecclesiæ succedat; ob eámque causam *duo cornua, tanquam Agnus gerit*; specie quidem externâ Christi sponsam referens, & Christum sibi propugnatorem obtendens: sed instar *Draconis* loquitur, docens damnabiles Diabolicásque doctrinas. Hæc autem Apostatica Ecclesia (Apostolica dicerem) postquàm mundo palàm fecisset suam ingentem potentiam, [g] *omnia faciendo, quæ prior Bestia vnquam potuit facere, in conspectu eius*: hoc est, ostentando magnitudinem suam non infra magnitudinem Ethnici Cæsarum Imperij subsidere, tanta cupidine incensa est efferendi Bestiam hanc, quæ iam Antichristi nomen & sedem tenuit, vt *terram faciat terræque habitatores adorare illam priorem Bestiam*, siue Romanum Monarcham: atque ita in eum omnem suam potentiam atque opes transferat. Quin Reges etiam, Cæsaréque, pedes eius exosculari non detrectabunt. Quam ad rem edet miracula, in quibus se venditabit, seducens portentis mendacibus, erroríque efficaciâ, vt [h] Paulus loquitur, quamplurimos: Inter alia autem eius prodigia, [i] *ignem de cœlo deducet*; nempe *fulmen Excommunicationis*, cuius tanta vis est, vt thronis exturbare Principes valeat, adeò vt omnes pro hæreticis occidendi sint & exurendi, qui [k] *Bestiæ nolunt imaginem adorare*; hoc est, summam eius potestatem nullis limitibus circumscriptam. Quinetiam hæc *Bestia*, vel *Pseudopropheta* (sic enim xvj. cap. appellatur) adeò totus incumbit ad augendam illam alteram *Bestiam* siue Antichristum, vt à cunctis ordinibus generibúsque hominum, [l] *in manibus* [f] Vers. 11. [g] Vers. 12. [h] 2. Thess. 2. 9. [i] Vers. 13. [k] Vers. 15. [l] Vers. 16.

Digitized by Google

nibus dextris ac frontibus suis, illius Bestiæ character siue nomen accipiendum
a Vers.17. *sit;* [a] *sine quo non licebit cuiquam emere quicquam, aut vendere. Character in fronte* quid est aliud, quàm externa professio, vel humilis potiùs confessio, se huic Bestiæ subijci? *Signum in dextra*, notat actualem eorum atque implicitam obedientiam erga eam, quam putant non posse errare, etiamsi eos contra Principes suos naturales arma ferre iuberet. Cui similis est illa *cæca obedientia* in quam omnes Iesuitæ iurant, quibus nec absimiles sunt Romanenses illi apud nos Sacrificuli, qui Sacramentum fidelitatis iure naturali debitum, ih deterius mutati eiurarunt: quod licet primò suscepisse se dicant, illæsa conscientia, vtpote vinculo Naturæ obligatos; tamen nunc illud idem necesse habent eiurare, & fas omne abrumpere, ne Pontificijs mandatis non pareant, cuius libidini conscientiam eorum & rationem mancipatam esse oportet. Qui verò non concedit absolutam hanc potestatem, *neque emendi, neque vendendi* ius habet: quia nemo fidem seruare tenetur hæreticis, vllúmue contractum cum illis ratum habere: immo æquiuocare (ipsorum verbo vtor) & peierare aduersus illos Romano-catholico licet.

Iam quod ad nomen Antichristi attinet, & *numeri* in eo nomine
b Vers. 15. [b] *mysterium*, siue intelligendus sit numerus, quem literæ conficiunt in
* Irenæus aduersus hæreses. lib. 5. Græco nomine * λατεινος, quod optimè cum Romana fide, & Latina liturgia congruit: siue quòd in contextu *numerus* vocatur *hominis*, placet accipere annotum Domini numerum, cùm ille homo, qui primus omnium vsurpauit titulum Antichristi, viueret, Lectoris arbitrio dijudicandum relinquo. Primum illum hominem intelligo Bonifacium tertium, qui primus se nuncupauit *Vniuersalem Episcopum*: quo titulo, S. Gregorius, qui vitam vsque ad tertium annum ante Pontificatum il-
c Epist. lib. 6. cap. 30. lius produxit, ipsum Antichristum cognoscendum fore [c] prædixerat; siue eius, vt ipse loquitur, præcursorem: qui licet defunctus sit sexaginta annis ante annũ DCLXVI. Christi, tamen titulus ille non nisi Lx. post annis in successoribus Bonifacij iam confirmatus resedit. Aut si libet numerum annorum inire, à tempore quo Pompeius templum diripuit, vsque ad Bonifacium, non multum huic annorum numero explendo deerit.

Ad hunc modum cùm Antichristi dominatio propheticè xiij. cap.
d Cap. 14. vers. 3. descripta sit, occasus eiusdem [d] xiiij. prænuntiatur; primùm exultatione festiua, ac triumphali noua cantione Sanctorum in cœlis: deinde An-
e Vers. 6. gelorum trium præconio, quorum primus [e] *manu tenens æternum Euangelium, cunctis gentibus annunciandum* (certissimum telum, quo *duo testes*
f Vers. 7. oppugnauerant Antichristum) [f] *timorem & gloriam Deo prædicauit, quando iudicij eius hora venisset.* Secundus pronuntiauit & *ruinam Babylonis*;
g Vers. 8. quæ est interitus ipsius Antichristi. Tertius vetuit atque interminatus
h Vers. 9. est sub pœna damnationis æternæ, nequis [h] *Bestiam adoraret*, neu *charac-*

terem

Digitized by Google

Eterem eius acciperet. Quanquam autem in reliquo capite nouissimus dies iterum prænuntietur, quasi paulò post reuelationem hominis peccati sequuturus; veruntamen [a] xv. cap. commemorat *septem plagas*, nomine *phialarum*, priùs super Antichristum, & regnum eius venturas. quibus nominatim [b] xvj. cap. expositis, inter alias numerat effusam è [c] *quinta phiala* plagam tenebrarum, immò tantam caliginem, vt & eâ regnum Antichristi obscuretur. vnde sextus Angelus cùm effuderit [d] *phialam* suam, *via præparabitur Regibus ab ortu Solis*, cùm iam *homo peccati* cœptus est reuelari; sublatis omnibus impedimentis, quæ possent iter eorum ad inuadendam illam Monarchiam remorari: non secùs ac fluuius Euphrates, qui Babylonem ipsam præterlabitur, eam ab incursu Regum Orientis (Medorum, scilicet, atque Persarum) quoad permansit Babylonica Monarchia, tutabatur; donec fluminis exsiccatione, aut inopinato Cyri transitu [e] Babylon noctu capta est, Balthasar occisus, imperium eius euersum, etiam dum Babylone residebat, inebriatus & potens in vasis ad Dei ministerium comparatis; atque ita quasi in templo Dei sedens, sacrisque eius abutens mysterijs.

a Cap. 15. v. 1.
b Cap. 16.
c Vers. 10.
d Vers. 12.
e Dan. 5. 3.

Ad cuius mali remedium cùm *sexta phiala* effunderetur, [f] *tres immundi spiritus in modum ranarum exibant de ore Draconis, Bestiæ, & Pseudoprophetæ*, quod sic intelligendum arbitror: cùm primùm Antichristi Regnum tam crassa densaque ignorantiæ caligine obscurabitur, vt omnis diuinarum humanarumque rerum cognitio, literæ denique omnes penè intereant, paucique ex ipsis sacerdotibus legere auctorem Latinum, nedum intelligere possint! atque ita munita erit via expeditissima ad interitum Babylonis: tum noua secta exurget, & noui spiritus ad labantem illum thronum fulciendum: qui tres numero censentur, ideo quòd tribus magistris diriguntur, suscitantur enim & afflantur ipsius Satanæ spiritu, qui nomine *Draconis* figuratur; auctoritate ipsius Bestiæ, quæ est Antichristus, confirmantur & stabiliuntur, denique à Pseudopropheta, quem Apostaticam Ecclesiam interpretor, docentur: cuius cornua sunt instar *Agni*, sed ad similitudinem *Draconis* os loquitur. Hi quidem Spiritus ad hunc modum emissi, triplici auctoritate, in defensionem sui Monarchæ triplicem coronam gerentis, muniti, bene assimilantur ranunculis. sunt enim ἀμφίβια, qui possint in vtroque elemento tam terrâ, quàm aquâ viuere. Quamuis enim professione sint Ecclesiastici, tamen artibus hominum politicorum, cùm opus est, vtuntur; [g] Reges adeunt terræ, quos ad prælium magni diei & ab omnipotente Deo constituti congregent. Quæ cædes, quamque horribiles in multis orbis Christiani regionibus lanienę eorum impulsu perpetratæ sint, & quàm malè cesserit Regibus, qui illorum dictis audientes fuerunt, omnes non iniqui temporum nostrorum Historici satis testantur. Quisquis autem Rex aut Respublica illos non admise-

f Vers. 13.
g Vers. 14.

Digitized by Google

rit, illíque non obtemperauerit, exterminari illum Regem, cuerti illam Rempub. arma alia si desunt, vel sulphurato puluere oportet. Atque hæ *ranæ* non absque re in omni literarum genere elaborárunt, quò docti euaderent, vt crassam illam ignorantiæ nebulam, quá regnum Antichristi, antequam existent, obductum fuerat, dissiparent, atque
a Vers. 17. dispellerent. [a] Deinde huius capitis clausula, vltimam plagam complectitur, effusam in ipsum Antichristum e *septima phiala*, quæ est nouissimum illud iudicium summá die futurum.
b Vers 19. Tum enim, inquit, [b] *Babylon venit in memoriam coram Deo.*

Quarta Visio describens Antichristum. Sed xvij. cap. Visio prior exponitur; vbi Antichristum [c] *mulier sedens super illam multorum capitum Bestiam* repræsentat: quia vt vera Christi sponsa & Ecclesia per *mulierem* xij. cap. repræsentatur, sic caput adul-
c Cap. 17. v. 3.
d Vers. 4. terinæ falsæque Ecclesiæ per *mulierem* hîc etiam designatur; sed [d] *quæ calicem plenum abominationibus manu teneat*: vt & ipsa [e] *scortum* propter
e Vers. 1. spiritualia eius adulteria vocatur, vtpote quæ [f] *Reges terræ seduxerit*, vt
f Vers 2. spirituales suas fornicationes participarent. Erat tamen externâ specie, mirum in modum splendida & glorioſa, sed sæuis persecutionibus
g Vers. 6. [g] *sanguine sanctorum ebria.* Quóque innotescat magis, fronti nomen eius inscribit, moribus consentaneum: [h] *Mysterium, magna illa Babylon, mater illa fornicationum & abominationum terræ. Mystery* vocabulum illi
h Vers. 5. duobus nominibus competit: vno, quòd sibi illud arroget; altero, quòd reuera digna sit hoc nomine. Sibi illud assumit in eo, quòd ipsa se *Caput visibile* indigetat mystici corporis Christi, quatenus dispensatrix esse vult & sola mysteriorum Dei interpres: denique magnus hic in terra Deus, & auctor Fidei, Mystes est professione, id est, Sacerdos. Et si verum est, quod non nemo obseruauit, illum habuisse antiquitùs *mysterij* nomen, Mitræ inscriptum, non est quod aliam interpretationem requiramus. hęc enim in eo planissimè prophetia impleta est. Dignam autem esse hoc nomine, quod reliquum est tituli, facilè arguat;
i Vers. 5. quo demonstratur [i] *mater esse scortationum & abominationum terræ.* atque ita, sub falsa specie sanctitatis, si verum quærimus, mysterium sit ipsa iniquitatis, atque omnium abominationum; sub laruata simulatione curæ spiritualis animarum, regna exhauriens, orbémque Christianum sanguine & cædibus miscens.

Iam cùm hanc coccineam & cruentam Bestiam, ejúsque sessorem ad hunc modum figurâ corporis, vestibus, nomine & moribus descripsisset, deinceps Angelus Iohanni Visionem interpretatur, & tam Bestiæ, quàm sessoris arcanum explicat: nempe *septem capitibus Bestiæ*, significari totidem [k] *colles*, quo situs Ciuitatis, sedésque Imperij notatur; nec
k Vers 9. non septem capitibus, *septem* intelligi *Reges*, siue formas administrandæ Ciuitatis illi proprias; de quibus iam expossui, quid sentirem. *De*
l Vers. 12. [l] *decem* autem *cornibus*, quæ totidem *Reges* esse demonstrat, *qui simul*

eodémque

eodémque momento temporis cum Beſtia ſuam accipient Regiam poteſtatem, meo quidem iudicio denarius, *certus numerus eſt pro incerto,* ſicuti ſeptem capitum numerus, & decem cornuum *Draconis* ſeu Diaboli, non poteſt aliter intelligi, niſi vt numerum declaret incertum; præterquam quòd in decem cornuum mentione, ad decem cornua ſepticipitis belluæ, ſeptimo Danielis alludere videtur. Itáque hos decem Reges reor eſſe omnes in commune Reges Chriſtianos, & liberos Principes, ac Reſpublicas, Vos ſcilicet, Dilectiſſimi Fratres, quibus libellum hunc meum dicaui, déque nobis omnibus hæc pronuntiari: quòd, licet hæc noſtra omnium abſolutorum Principum poteſtas cœperit vno eodémque tempore cum Beſtia (illuſtriora enim orbis Chriſtiani regna, non niſi ruente Ethnico imperio Romano, libertatem ſuam vindicarunt) atque indidem Antichriſtus ſuum regnum auſpicatus ſit; licet perdiuturno tempore in adoranda Beſtia nobis perſeuerandum foret, in eius obſequium catholicè & vniuerſim conſentiendo, omnem ei [a] *poteſtatem noſtram auctoritatémque concedendo*, pedes eius exoſculando, cum ea ſimul calicem idololatriæ hauriendo, [b] *bellum cum Agno*, in perſecutione Sanctorum eius, iubente ea *gerendo*, quæ tot nationibus & populis imperitabat: tamen his tot tantíſque difficultatibus ſuperatis, tempore opportuno quod Deus nouit, atque adeò præſtituit, poſt illam cum Agno depugnationem [c] *victoriámque eius*, hoc eſt, noſtri conuerſionem *vi verbi*, tandem aliquando *odio meretricem habebimus*, & ſic *deſertam relinquemus ac nudam*, vt pateat omnibus hypocriſis eius, & falſi zeli ſimulatio: *denique carnem eius comedemus, ipſámque igne comburemus.* Hunc igitur in modum [d] *via Regum orientis erit patefacta*. Deinde rationem ſubiungit huius tam ſubitæ, miræque mutationis in nobis. [e] *Deus* enim, inquit, *dedit in cordibus eorum, vt facerent ſuam voluntatem, vnóque conſenſu traderent regna ſua Beſtiæ, donec verba Dei complerentur*: ſecundùm illud Salomonis, [f] *Cor Regis in manu Domini; quocunque vult, flectet illud, vt lapſus aquarum.* Ad hunc modum interpretatus *Beſtiam*, ſiue imperium, vno deinde verbo explicat *mulierem*, quæ ſuper illam ſedebat, ſeu Monarcham, qui regebat eam, non aliud eſſe, quam [g] *magnam illam Ciuitatem, quæ dominabatur Regibus terræ*; ſedem imperij deſignans, & quaſi digitum intendens ad conditionem eorum, qui ſedem eam occuparent, atque in ea dominarentur.

a Verſ. 13. b Verſ. 14. c Verſ. 16. d Cap. 16. v. 12. e Verſ. 17. f Prou. 21. 1. g Verſ. 17.

Tum magnitudo ruinæ eius, & luctus ingens, quem Reges pariter ac mercatores facturi eſſent ſuper eâ, prædicantur ab alio quodam Angelo cap. xviij. cùm Reges plangerent eius occaſum, quia [h] *in delicijs cum ea diffluebant*: quod cum Ethnica Roma à nullis vnquam Regibus factum eſt; nec fieri potuit, quos vi & armis ſubegit. Sed illa, cuius interitum deflebant, honorificis eos nominibus titulíſque ornauit, veniámq; eorum libidinibus atque illicitis matrimonijs indulſit. *Mer-*

Cap. 18. h Verſ. 9. 10.

a Vers. 11. 15. 16. 17. 18. *catores* [a] *autem terræ, cum omnibus nauicularijs, & gubernatoribus, & commercia habentibus in mari*, plangent ruinam illius magnæ Ciuitatis (cui nulla par vnquam fuit) propter iacturam diuitiarum & commercij, quibus

b Vers. 12. 13. eius, dum stetit beneficio, fruebantur. Atque ibi omnia [b] *diuitum mercimoniorum* genera describit, quibus magna illa Ciuitas, cùm esset Emporium copiosissimum, abundabat. Opus enim habet profectò, nec potest carere diuitijs, & pretiosis eiusmodi mercibus, cùm ad ornatum Templorum, ac Satrapis similium Prælatorum, tum ad cultum ligneorum, quibus est plena, Sanctorum. Beata enim Virgo quotidiè nouitijs & exquisitissimis vestimentorum generibus, quamuis habitum referant meretricium, induenda est & ornanda. Omnium autem sum-

c Vers. 13. ptuosarum mercium, quę maximi pretij sunt, [c] *Animæ*, scilicet, *hominum*, postremò nominantur. Tantum enim pecuniarum in Missas impensum, tantum in hoc vel illud Cœnobium Monachorum aut Fratrum erogatum, inprimis verò in illam, omnibus regulis & legum nexibus solutam, &, vt ita dicam, incomprehensibilem, Iesuitarum sectam, valebit redimendæ cùm largitoris animæ, tum parentum eius in centesimam vsque generationem, ne flammis Purgatorij excoquantur. Et certè, credo, non est illa mediocris animarum negotiatio, cùm homines vsque eò spe & promissione æternæ salutis falcinantur, vt facilè per-

d Henr. 3. R. Gallorum. e Henr. 4. R. suadeatur Fraterculo, [d] Regem dominum suum confodere, imberbi adolescentulo in vitam proximi [e] successoris perditè inuadere; multis, in Sereniſsimæ Reginæ nuper defunctæ, necem sæpius coniurare: denique, me imperium obtinente, nitrati pulueris impetu Regnum regnique Ordines funditus euertere, atque ita tam *Animi*, quàm *Animæ* iacturam facere.

Sed quantumuis flebilem edant lamentationem, voce cœlitus missa,

f Vers. 4. mandata duo accipiunt; vnum, [f] *exire* quamprimùm *è Babylone, ne fiant participes peccatorum eius, ac* deinde *pœnarum.* Qua præmonitione excitati, vtinam vos omnes (Chariſsimi Fratres & Consanguinei) vobis, dum tempus est, consulatis, & ad hæc prospicienda oculos aperia-

g Vers. 6. tis; Alterum, [g] *reddere ei, sicut & ipsa reddidit vobis, immo duplicate supplicia secundùm opera eius.* Vt enim illa non nisi alis vestris in tantam altitudinem subuolauit, tam titulos suæ magnitudinis & honores à vobis mutuando, quàm vestrâ munificentiâ, quicquid temporalium possidet, perfruendo; Ita si quisque vestrum, ab illa rursus, quod sibi ereptum est, repetet, breui, vt inquit Poëta, stabit * furtiuis nudata colo-

*Vt cornicula Æsopica. ribus, decisisque humilis pennis; idque propter superbiam suam. hæc

h Vers. 7. enim ratio redditur, [h] *Quia glorificauit se, & in delicijs fuit; & dixit in corde suo se sedere Reginam.* Nulla enim certior est apud illos veræ Ecclesiæ nota, quàm secundæ res, & externa prosperitas. *Vidua* autem *non est*; quippe quæ sponsum Christum habeat, indissolubili nodo sibi deuinctum.

ctum. ſuam enim ei fidem iureiurando firmauit, ſe nunquam eam deſerturum. itaque *luctum non videbit*. errare enim non poteſt, neque Inferni portæ vnquam aduerſus eam præualebunt.

Sed licet terra, & homines terrena ſapientes, hunc in modum Babylonis occaſum in illo xviij. cap. plangant: tamen xix. Cœlum & Angeli, Sanctíque omnes in cœlo, præ gaudio ruinæ eius, triumphalem canunt cantionem, laudantes Deum propter illius [b] *magnæ meretricis* ruinam: quæ rectè magna perhibetur. Noſter enim * Cardinalis fatetur perquàm difficile eſſe Papam definire: tanta eſt eius amplitudo atque maieſtas. Sub finem autem illius capitis, obſtinata illius *meretricis* pertinacia deſcribitur, [c] *quæ aduerſus inſidentem equo albo, eiuſque exercitum totis viribus præliata eſt*, [d] *donec Beſtia* ſiue Antichriſtus *caperetur, & cum eo Pſeudopropheta* (id eſt, falſa Eccleſia) *qui miraculis, prodigiſque mendacibus ſeduxit eos, qui Beſtiæ characterem acceperunt. vtérque autem coniectus eſt viuus in lacum ardentem igne & ſulphure*, vnde nulla redemptio: ſicuti ſub finem ſuperioris capitis ad deſcribendam plenius Antichriſti ruinam, diſſimilem omnino plagæ illius ſanabilis, quam Ethnica Roma acceperat; primùm *ſaxo molari* comparatur *in mare coniecto*, quod nunquam rurſus emergit, neque in ſummo fluitat: deinde multis rebus iucundiſſimis exprimitur, quarum voces inde nunquam poſtmodum exaudientur, vbi nihil niſi horrida deſolatio commorabitur. Verùm vt patientia & conſtantia Sanctorum in terra, Deíque Electorum melius confirmaretur, perſecutio nouiſſimorum dierum breuiter repetita prædicitur, poſtquam *Satanas vinctus fuerit*, compreſſúſque eius furor, dum mundus ad *mille annos*, hoc eſt, ad longum tempus, pace frueretur. Quo ſoluto perſecutores exoriuntur, *Gog & Magog*, occulti apertíque hoſtes Chriſti: quod de Papa, & Turca (qui ferè eodem tempore ad ſuam magnitudinem excreuerunt) accipiendum ſit, nécne, alijs iudicandum relinquo. Sed hoc certum eſt, [e] illorum æternam confuſionem illic repromitti: nec minus *Draco* [f] *Beſtia & Pſeudopropheta*, omnes ſimul *mittentur in lacum ignis & ſulphuris*, ſempiternos in eo cruciatus perpeſſuri. [g] Tum nouiſſimus dies iterum deſcribitur, [h] *qui propter Electos accelerandus eſt*: temporarias autem illas tribulationes quò fortiùs Electi conſtantiúſque perferrent, vtpote poſt breue temporis ſpatium finiendas, duobus extremis capitibus beatitudines cæleſtis æternæque Ieruſalem copioſiſſimè proponuntur.

a Cap. 19. v. 1.
b Vers. 2.
* Bellarm. in reſp. ad Gerſ. conſid. 11.
c Vers. 19.
d Vers. 20.
Cap. 18. 21.
Ibid. v. 22. 23.
Cap. 20. Vers. 2.
Vers. 8.
e Vers. 9.
f Vers. 10.
g Vers. 11. 12. 13.
h Mat. 24. 22.
Cap. 21. 22.

Ad hunc modum inuerecunda illa vis ac impudens, quam ſuiſui duorum Scripturæ locorum Cardinalis attulit, *Paſce oues meas*; & *Tibi dabo claues*, vt ex eis ſupremam in temporalibus Pontificis poteſtatem ſupra Reges ac Principes aſtrueret, me impulit, vt ex hoc, quem modò excuſſi, Scripturæ libro, Pontificem Romanum Antichriſtum eſſe euincerem, eúmque quo teli genere me erat adortus, eodem vlciſcerer.

Digitized by Google

Ex quo Constãtinus magnus Imperium Romã Constantinopolin transtulit, vsq; ad Bonifacium 3. anni circiter 276.

quodam modo fuit subordinatum. Quanquam enim hæc gubernandi ratio annos circiter cclxxvj. durauerit, tamen exiguum hoc fuit præ longo illo tempore, quo regnum, quod illi continuò successit, nec dum desijt, Antichristus obtinuit. Octaua, [a] *quæ est Bestia, quæ erat, & non est, & itura est in perditionem*, ipse est Antichristus, qui quidem censetur octauus propter illius summum & absolutum Imperium; simul tamen septimus, quia visus est successisse Episcopis in Ecclesiastica quadam ratione imperandi: licet amplitudine sua gloriam Imperij Babylonij parem effecturus erat illi magnificentiæ, quam magna illa ciuitas obtinuit, tum cùm maximè floreret ac triumpharet; quæ Sancti Iohannis ætate multùm imminuta erat per nobilium factiones, & seditiones militum, ipsorúmque Cæsarum socordiam. Ita pristinus ille magnæ Ciuitatis, seu Bestiæ splendor, cui S. Iohannis a tate tantum decesserat, *vt non esse tum, nisi quodam modo videretur, restituendus erat per illum Antichristum, qui sicut ascendit ex abysso, sic iturus est in perditionem. Quinetiam ex illo maximo [a] planctu, qui cietur ex interitu Babylonis xviij. cap. iam à Regibus, quàm mercatoribus terræ, vbi ad miserationem desolationis eius augendam iteratur tertiò, cecidisse horę momento magnam Ciuitatem; ex illo, inquam, grauissimo planctu planissimè constat, regnum Antichristi longiùs triennio & semestri spatio, aut vnius hominis ætate duraturum. Reges enim, qui cum ea fornicati sunt, & [b] *in delicijs vixerant*, tempus habuisse diuturnius ad magnam illam necessitudinem contrahendam oportuit. [c] *Mercatores autem terræ*, sic eius, dum stetit, prolixè copias & fœlicitatem ostentant, quasi suarum esset Emporium diuitiarum, quæ tam exiguo tempore non poterant, ac ne vno quidem sæculo, coaceruari. Sed vt iam omnem hanc Antichristi descriptionem in pauca conferam, compendiosa vobis methodo ante oculos ponam omnia, quæ de eo dicta sunt in Apocalypsi, ad pleniorem explanationem trium illorum Capitum quæ iam explicaui.

*Non quoad limites, & Imperij amplitudinem; sed propter imperandi modum & ciuitatis gloriam.

a Cap. 18. v. 9. & 11. 16. 19.

b Vers. 9.

c Vers. 12.

Prima Visio, qua describitur Antichristus.

Antichristus meo quidem iudicio quater à Iohanne in Apocalypsi, quatuor diuersis visionibus depingitur, quæ omnia in breue compendium cap. x. contrahuntur. Primùm *equo pallido* describitur in visione sigillorum cap. vj. postquam enim Christus [d] *in equo albo*, cùm primum sigillum apertum est, propagatione Euangelij triumphasset: [e] *rufus* autem *equus* ad apertionem secundi, non minus contenderet infestam persecutionem mouere, quàm Christus constantia Martyrum vincere; Fames autem atque aliæ plagæ, per [f] *equum nigrum* figuratæ, prioribus illis persecutionibus in tertio sigillo succederent, dehinc iam procedit ille Antichristus in [g] *equo pallido*, cùm quartum apertum est sigillum, & *qui sedebat super eum, nomen illi Mors, quem Infernus sequebatur*; sessor pallido equi colori consentaneus: & *data est* * *ei potestas in quartam terræ partem,*

d Apoc. cap. 6 vers. 2.

e Vers. 4.

f Vers. 5.

g Vers. 8.

* Sine *illis* secundùm aliã lectionem, quo coniunctim intelligitur idem ille equus pallidus, vnà cum sessore suo & comite, qui sunt Mors & Infernus.

tem, id est, in Europam, *interficiendi gladio*, & persecutionibus sæuiendi, (quod Ethnica Roma factitauerat, *equo rufo* figurata) & conficiendi spirituali inedia seu fame Verbi Dei, quam minatur Propheta, sicuti *niger equus fame & morte corporali* necabat, quibus mors spiritualis designatur. Antichristus enim *equo pallido* notatus, Ecclesiam tum sæua persecutione & corporali morte vexabit; tum non minus pelliciendo Nationes in Idololatriam spirituali quoque morte mulctabit. Locustas enim, quibus vt rex imperat, quarum ix. cap. huius libri fit mentio, emittet; vnáque cum eis tres illos ranunculos, cap. xvj. commemoratos, qui Reges nationésque omnes ad calicem abominationum eius exhauriendum alliciant. Atque hîc desinere hanc descriptionem Antichristi perspicuum est. ad resignationem enim [a] quinti sigilli continenter subiunctam; animæ & sanguis interfectorum [b] Sanctorum, magna voce clamantes, accelerari vindictam expetunt, iudicium exposcunt: quod in sexto [c] sigillo concessum est eis aduentu Christi nouissima die qui per *receſſum cæli instar libri conuoluti*, & alia multa in eandem sententiam significatur.

a Vers. 9.
b Vers. 10.
c Vers. 12.

Sed quia hæc videri posset ipsius Antichristi breuis & obscura descriptio, fusiùs & magis specificè depingit eum, præsertim in visione *Tubarum*, cap. ix. [d] Illic enim habetur ad quintæ tubæ clangorem, cùm iam passim hæreses in tribus è quatuor primis clangoribus disseminatæ fuissent, nempe ad primam, tertiam & quartam (temporalem enim persecutionem censeo tantùm secundo tubæ cantu significari) Iohannem [e] *Vidisse stellam de cœlo decidentem in terram, cui data est clauis putei;* [f] *qui dicitur abyssus: quæ cùm aperta esset, cum fumo putei magnam vim locustarum exisse in terram*, de quarum tam astutia, quàm potentia, cùm multa dixisset, Regis earum, qui eduxit eas de puteo Abyssi, nomen exponit, quod Hebraicè Abaddon dicitur, Græcè autem Ἀπολλύων. Hæc autem [g] *stella, quæ de cœlo cecidit*, significat, nî fallor, aliquẽ eximiæ dignitatis in Ecclesia, qui cùm ex officio lux mundi esse deberet, vt [h] Christus præceperat; ille contrà munus suum deserens, instar Luciferi deficit, regnum sibi erigit, pestifero subdolorum & immanis sæuitiæ animalculorum examine emisso, quæ *locustarum* nomine notantur. Ad hunc modum sedes Antichristi cœpta est erigi, cuius doctrina copiosè declaratur in secundo *Væ*, post inflationem sextæ tubæ; vbi dicitur, [i] *reſiduos homines, qui non sunt occisi in his plagis, non egisse pœnitentiam de operibus manuum suarum,* [k] *vt non adorarent dæmonia, & simulachra aurea & argentea & ærea & lapidea & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque incedere.* De cultu dæmoniorum, egregium Doctorem Iesuiticum *Vasquem consulite. Quantum verò ad cultum imaginum, negari non potest, quin caput doctrinæ præcipuum sit Romanensis Ecclesiæ. Deinde ibidem subinfertur, [l] *non egisse eos pœnitentiam ab homicidijs suis, neque*

d Visio secunda describens Antichristum, Vers. 1.
e Vers. 2.
f Vers. 3.
g Vers. 11.
h Matt. 5. 14.
i Vers. 13.
k Vers. 20.
* Lib. de Cultu adoration. lib 3. disp. 1. cap. 5.
l Vers. 21.

Digitized by Google

neque à veneficijs, neque à fornicationibus suis, neque à furtis.

Homicidia, persecutiones eorum denotant, promiscuas cædes ac trucidationes. De *veneficijs* qui dubitat, eorum *Agnos Dei* contempletur, quibus ignis restinguitur, benedicta indusia, & diuersorum generum reliquias; denique orationes, quæ homines à tormentorum bellicorum impetu, vi flammæ, violentia ferri, iactu fulminum, cæteríque id genus periculis conseruent. Tum iudicet, an non sint hæc veneficijs & veneficorum incantationibus simillima.

Iam *fornicationem* eorum intelligo, cùm spiritualem, quæ perhibetur Idololatria, tum non minus carnalem, quæ apud eos frequentior est, tam propter matrimonium Clericis suis interdictum, quàm propter tot otiosorum Monachorum ac Sanctimonialium greges. Otium enim esse maximum incitamentum atque illecebram libidinis, vsus vitæ quotidianus docet. *Furti* autem in eo maximè se alligant, quòd Deo surripiunt titulos honorum, & amplitudinem potestatis illi soli debitam, quam in Antichristum caput suum conferant. Nec minùs in accumulandis opibus furti tenentur, dum prestigiatorijs artibus, *Iubilæis, Indulgentijs, Reliquijs*, & id genus alijs efficacibus delusionibus, animas hominum nundinantur.

Desinere autem descriptionem Antichristi cap. ix. liquet ex iureiurando, quod [a] *fortis ille Angelus, leuata ad cœlum manu* deierat vers. vj. cap. x. post cantum sextæ tubæ, [b] *tempus non fore amplius.* Sed cùm septimus Angelus *tubâ cecinisset, consummabitur, inquit, mysterium Dei, sicut Euangelizauit per seruos suos prophetas.* Vndecimo cap. tantummodò describit modum quo debellatus est Antichristus; cuius regnum antè exposuerat cap. ix. nobísque de duobus illis testibus annuntiat, fore vt post persecutionem, quam ab Antichristo passi sunt, exitium ei adferant. Quòd si quis putet Antichristi mentionem fieri solùm xj. cap. Bestiam autem de qua agitur xiij. & xvij. cap. tantùm significare Ethnicam illam veterem Romam: ad hanc minuendam opinionem satis est recordari, nunquam Antichristum poni nominatim toto cap. xj. nisi vbi vers. vij. capitis eiusdem appellatur Bestia, quæ prodit de puteo abyssi, quæ per loci descriptionem, vnde emergit, probatur eadem esse Bestia, cuius eadem origo xvij. totidē verbis commemoratur. Adeò non est alius, sed idem Antichristus varijs visionibus iteratus, variéque descriptus.

a Cap. 10. vers. 6.
b Vers. 7.
Cap. 11.
Vers. 3.

Tertio visio describens Antichristum, Cap. 12. v. 6.

Iam xij. & xiij. cap. ac deinceps vsque ad xvij. fusiorem facit ac pleniorem propheticam explicationem status Ecclesiæ, regníque ipsius Antichristi. Capite enim xij. designat Ecclesiam specie *mulieris à Dracone*, qui Diabolus est, in desertum fugientis. *Draco* autem vbi videt, se non posse aliter illam consequi, *effundit ex ore aquas instar fluminis, quibus abrepta traheretur*: quo significatur plurimas nationes solutas & immissas esse ad persequendum, & vexandum Ecclesiam. Decimotertio autem

Vers. 15.

autem cap. ex illa nationum immensa colluuione, quæ persequebantur Ecclesiam, exoritur magna illa Ciuitas, Regina omnium illarum Gentium, & caput diræ persecutionis, bestiâ quâdam figurata, [a] *quæ septem habuit capita & decem cornua*, [b] *pardo similis*, cùm propter colorem, quia respersa erat maculis, id est, corruptelis contaminata; tum quòd adulterinam quandam imperandi rationem adhibet, specie spiritualem, reuera sæcularem, qua super Reges terræ extollitur: Leopardi similem, quæ spuria est bellua, è Leone pardóque mista; *vrsinis pedibus*, ad vires eius significandas; *ore autem leonis*, ad rapacitatem declarandam, sæuámque naturam. Cap. 13. [a] Vers. 1. [b] Vers. 2.

Hæc Bestia, quæ suam à [c] *Dracone habuit potestatem, plagam autem læthalem in vno capitum*, siue vna imperandi rationum, à Gotthis ac Vandalis acceperat, sed mox [d] *curata est, aperuit os suum ad blasphemias in Deum* [e] *bellumque Sanctis intulit*: quam, scilicet terram vniuersam adorare oportet, quod nunquam vetus illa Ethnica Roma à quoquam postulauit; quæ dedignata non est fœdere coniunctos Reges, *socios atq; amicos* comiter appellare. Cultus autem, atque adoratio, hoc eodem nomine ac titulo, solèátne adhiberi singulis Pontificibus cùm inaugurantur, nemo Cardinali nostro meliùs nouit. [c] Vers. 3. [d] Vers. 6. [e] Vers. 7.

Deinde [f] *alia bestia è terrâ* exoritur, cuius firmior origo est & stabilior, vt quæ visibiliter veræ Ecclesiæ succedat; ob eámque causam *duo cornua, tanquam Agnus gerit*; specie quidem externâ Christi sponsam referens, & Christum sibi propugnatorem obtendens: sed instar *Draconis* loquitur, docens damnabiles Diabolicásque doctrinas. Hæc autem Apostatica Ecclesia (Apostolica dicerem) postquàm mundo palàm fecisset suam ingentem potentiam, [g] *omnia faciendo, quæ prior Bestia vnquam potuit facere, in conspectu eius*: hoc est, ostentando magnitudinem suam non infra magnitudinem Ethnici Cæsarum Imperij subsidere, tanta cupidine incensa est efferendi Bestiam hanc, quæ iam Antichristi nomen & sedem tenuit, vt *terram faciat terræque habitatores adorare illam priorem Bestiam*, siue Romanum Monarcham: atque ita in eum omnem suam potentiam atque opes transferat. Quin Reges etiam, Cæsaréque, pedes eius exosculari non detrectabunt. Quam ad rem edet miracula, in quibus se venditabit, seducens portentis mendacibus, erroríque efficaciâ, vt [h] Paulus loquitur, quamplurimos: Inter alia autem eius prodigia, [i] *ignem de cœlo deducet*; nempe *fulmen Excommunicationis*, cuius tanta vis est, vt thronis exturbare Principes valeat, adeò vt omnes pro hæreticis occidendi sint & exurendi, qui [k] *Bestiæ nolunt imaginem adorare*; hoc est, summam eius potestatem nullis limitibus circumscriptam. Quinetiam hæc *Bestia*, vel *Pseudopropheta* (sic enim xvj. cap. appellatur) adeò totus incumbit ad augendam illam alteram *Bestiam* siue Antichristum, vt à cunctis ordinibus generibúsque hominum, [l] *in manibus* [f] Vers. 11. [g] Vers. 12. [h] 2. Thes. 2. 9. [i] Vers. 13. [k] Vers. 15. [l] Vers. 16.

Digitized by Google

nibus dextris ac frontibus suis, illius Bestiæ character siue nomen accipiendum
a Vers.17. *sit;* [a] *sine quo non licebit cuiquam emere quicquam, aut vendere. Character in fronte* quid est aliud, quàm externa professio, vel humilis potiùs confessio, se huic Bestiæ subijci? *Signum in dextra*, notat actualem eorum atque implicitam obedientiam erga eam, quam putant non posse errare, etiamsi eos contra Principes suos naturales arma ferre iuberet. Cui similis est illa *cæca obedientia* in quam omnes Iesuitæ iurant, quibus nec absimiles sunt Romanenses illi apud nos Sacrificuli, qui Sacramentum fidelitatis iure naturali debitum, in deterius mutati eiurarunt: quod licet primò suscepisse se dicant, illæsa conscientia, vtpote vinculo Naturæ obligatos; tamen nunc illud idem necesse habent eiurare, & fas omne abrumpere, ne Pontificijs mandatis non pareant, cuius libidini conscientiam eorum & rationem mancipatam esse oportet. Qui verò non concedit absolutam hanc potestatem, *neque emendi, neque vendendi* ius habet: quia nemo fidem seruare tenetur hæreticis, vllúmue contractum cum illis ratum habere: immo æquiuocare (ipsorum verbo vtor) & peierare aduersus illos Romano-catholico licet.*

Iam quod ad nomen Antichristi attinet, & *numeri* in eo nomine
b Vers.15. [b] *mysterium*, siue intelligendus sit numerus, quem literæ conficiunt in
* Irenæus aduersus hæreses lib.5. Græco nomine * λατεινος, quod optimè cum Romana fide, & Latina liturgia congruit: siue quòd in contextu *numerus* vocatur *hominis*, placet accipere annorum Domini numerum, cùm ille homo, qui primus omnium vsurpauit titulum Antichristi, viueret, Lectoris arbitrio dijudicandum relinquo. Primum illum hominem intelligo Bonifacium tertium, qui primus se nuncupauit *Vniuersalem Episcopum*: quo titulo, S. Gregorius, qui vitam vsque ad tertium annum ante Pontificatum illius produxit, ipsum Antichristum cognoscendum fore
c Epist. lib.6. cap.30. [c] prædixerat; siue eius, vt ipse loquitur, præcursorem: qui licet defunctus sit sexaginta annis ante annũ DCLXVI. Christi, tamen titulus ille non nisi Lx. post annis in successoribus Bonifacij iam confirmatus resêdit. Aut si libet numerum annorum inire, à tempore quo Pompeius templum diripuit, vsque ad Bonifacium, non multum huic annorum numero explendo deerit.

Ad hunc modum cùm Antichristi dominatio propheticè xiij. cap.
d Cap.14. vers.3. descripta sit, occasus eiusdem [d] xiiij. prænuntiatur; primùm exultatione festiua, ac triumphali noua cantione Sanctorum in cœlis: deinde An-
e Vers.6. gelorum trium præconio, quorum primus [e] *manu tenens æternum Euangelium, cunctis gentibus annunciandum* (certissimum telum, quo *duo testes*
f Vers.7. oppugnauerant Antichristum) [f] *timorem & gloriam Deo prædicauit, quando iudicij eius hora venisset.* Secundus pronuntiauit
g Vers.8. [g] *ruinam Babylonis*; quæ est interitus ipsius Antichristi. Tertius vetuit, atque intermipatus
h Vers.9. est sub pœna damnationis æternæ, nequis [h] *Bestiam adoraret*, neu *charac-*

terem

Eterem eius acciperet. Quanquam autem in reliquo capite nouissimus dies iterum prænuntietur, quasi paulò post reuelationem hominis peccati sequuturus; veruntamen [a] xv. cap. commemorat *septem plagas*, nomine *phialarum*, priùs super Antichristum, & regnum eius venturas. quibus nominatim [b] xvj. cap. expositis, inter alias numerat effusam è [c] *quinta phiala* plagam tenebrarum, immò tantam caliginem, vt & eâ regnum Antichristi obscuretur. vnde sextus Angelus cùm effuderit [d] *phialam* suam, *via præparabitur Regibus ab ortu Solis*, cùm iam *homo peccati* cœptus est reuelari; sublatis omnibus impedimentis, quæ possent iter eorum ad inuadendam illam Monarchiam remorari: non secùs ac fluuius Euphrates, qui Babylonem ipsam præterlabitur, eam ab incursu Regum Orientis (Medorum, scilicet, atque Persarum) quoad permansit Babylonica Monarchia, tutabatur; donec fluminis exsiccatione, aut inopinato Cyri transitu [e] Babylon noctu capta est, Balthasar occisus, imperium eius euersum, etiam dum Babylone residebat, inebriatus & potens in vasis ad Dei ministerium comparatis; atque ita quasi in templo Dei sedens, sacrísque eius abutens mysterijs.

a Cap. 15. v. 1.
b Cap. 16.
c Vers. 10.
d Vers. 12.
e Dan. 5. 3.

Ad cuius mali remedium cùm *sexta phiala* effunderetur, [f] *tres immundi spiritus in modum ranarum exibant de ore Draconis, Bestiæ, & Pseudoprophetæ*, quod sic intelligendum arbitror: cùm primùm Antichristi Regnum tam crassa densáque ignorantiæ caligine obscurabitur, vt omnis diuinarum humanarumque rerum cognitio, literæ denique omnes penè intereant, paucíque ex ipsis sacerdotibus legere auctorem Latinum, nedum intelligere possint! atque ita munita erit via expeditissima ad interitum Babylonis: tum noua secta exurget, & noui spiritus ad labantem illum thronum fulciendum: qui tres numero censentur, ideo quòd tribus magistris diriguntur, suscitantur enim & afflantur ipsius Satanæ spiritu, qui nomine *Draconis* figuratur; auctoritate ipsius Bestiæ, quæ est Antichristus, confirmantur & stabiliuntur, denique à Pseudoprophetâ, quem Apostaticam Ecclesiam interpretor, docentur: cuius cornua sunt instar *Agni*, sed ad similitudinem *Draconis* os loquitur. Hi quidem Spiritus ad hunc modum emissi, triplici auctoritate, in defensionem sui Monarchæ triplicem coronam gerentis, muniti, bene assimilantur ranunculis. sunt enim *ἀμφίβια*, qui possint in vtroque elemento tam terrâ, quàm aquâ viuere. Quamuis enim professione sint Ecclesiastici, tamen artibus hominum politicorum, cùm opus est, vtuntur; [g] Reges adeunt terræ, quos ad prælium magni diei & ab omnipotente Deo constituti congregent. Quæ cædes, quámque horribiles in multis orbis Christiani regionibus lanienę eorum impulsu perpetratæ sint, & quàm malè cesserit Regibus, qui illorum dictis audientes fuerunt, omnes non iniqui temporum nostrorum Historici satis testantur. Quisquis autem Rex aut Respublica illos non admiserit,

f Vers. 13.
g Vers. 14.

Quodlibet VIII, quaestio 1

Utrum Deus sit ens per se notum.

Et videtur quod non. Quia ens per se notum est ens quod non habet causam essendi. Sed Deus habet causam essendi, quia habet causam efficientem. Ergo Deus non est ens per se notum.

Item, ens per se notum est ens quod non habet causam cognoscendi. Sed Deus habet causam cognoscendi, quia habet causam efficientem. Ergo Deus non est ens per se notum.

Item, ens per se notum est ens quod non habet causam. Sed Deus habet causam

eodémque momento temporis cum Beſtia ſuam accipient Regiam poteſtatem, meo quidem iudicio denarius, *certus numerus eſt pro incerto,* ſicuti ſeptem capitum numerus, & decem cornuum *Draconis* ſeu Diaboli, non poteſt aliter intelligi, niſi vt numerum declaret incertum ; præterquam quòd in decem cornuum mentione, ad decem cornua ſepticipitis belluæ, ſeptimo Danielis alludere videtur. Itáque hos decem Reges reor eſſe omnes in commune Reges Chriſtianos, & liberos Principes, ac Reſpublicas, Vos ſcilicet, Dilectiſſimi Fratres, quibus libellum hunc meum dicaui, déque nobis omnibus hæc pronuntiari : quòd, licet hæc noſtra omnium abſolutorum Principum poteſtas cœperit vno eodémque tempore cum Beſtia (illuſtriora enim orbis Chriſtiani regna, non niſi ruente Ethnico imperio Romano, libertatem ſuam vindicarunt) atque indidem Antichriſtus ſuum regnum auſpicatus ſit ; licet perdiuturno tempore in adoranda Beſtia nobis perſeuerandum foret, in eius obſequium catholicè & vniuerſim conſentiendo, omnem ei [a] *poteſtatem noſtram auctoritatémque concedendo*, pedes eius exoſculando, cum ea ſimul calicem idololatriæ hauriendo, [b] *bellum cum Agno,* in perſecutione Sanctorum eius, iubente ea *gerendo,* quæ tot nationibus & populis imperitabat : tamen his tot tantíſque difficultatibus ſuperatis, tempore opportuno quod Deus nouit, atque adeò præſtituit, poſt illam cum Agno depugnationem [c] *victoriámque eius*, hoc eſt, noſtri conuerſionem *vi verbi,* tandem aliquando *odio meretricem habebimus,* & ſic *deſertam relinquemus ac nudam,* vt pateat omnibus hypocriſis eius, & falſa zeli ſimulatio: *denique carnem eius comedemus, ipſámque igne comburemus.* Hunc igitur in modum [d] *via Regum orientis erit patefacta*. Deinde rationem ſubiungit huius tam ſubitæ, miræque mutationis in nobis. [e] *Deus* enim, inquit, *dedit in cordibus eorum, vt facerent ſuam voluntatem, vnóque conſenſu traderent regna ſua Beſtiæ, donec verba Dei complerentur* : ſecundùm illud Salomonis, [f] *Cor Regis in manu Domini ; quocunque vult, flectet illud, vt lapſus aquarum.* Ad hunc modum interpretatus *Beſtiam,* ſiue imperium, vno deinde verbo explicat *mulierem,* quæ ſuper illam ſedebat, ſeu Monarcham, qui regebat eam, non aliud eſſe, quam [g] *magnam illam Ciuitatem, quæ dominabatur Regibus terræ* ; ſedem imperij deſignans, & quaſi digitum intendens ad conditionem eorum, qui ſedem eam occuparent, atque in ea dominarentur.

a Verſ. 13.
b Verſ. 14.
c Verſ. 16.
d Cap. 16. v. 12.
e Verſ. 17.
f Prou. 21. 1.
g Verſ. 17.

Tum magnitudo ruinæ eius, & luctus ingens, quem Reges pariter ac mercatores facturi eſſent ſuper eâ, prædicantur ab alio quodam Angelo cap. xviij. cùm Reges plangerent eius occaſum, quia [h] *in delicijs cum ea diffluebant* : quod cum Ethnica Roma à nullis vnquam Regibus factum eſt ; nec fieri potuit, quos vi & armis ſubegit. Sed illa, cuius interitum deflebant, honorificis eos nominibus titulíſque ornauit, veniámq; eorum libidinibus atque illicitis matrimonijs indulſit. *Mer-*

Cap. 18.
h Verſ. 9. 10.

ctum. ſuam enim ei fidem iureiurando firmauit, ſe nunquam eam deſerturum. itaque *luctum non videbit*. errare enim non poteſt, neque Inferni portæ vnquam aduerſus eam præualebunt.

Sed licet terra, & homines terrena ſapientes, hunc in modum Babylonis occaſum in illo xviij. cap. plangant: tamen xix. Cœlum & Angeli, Sanctíque omnes in cœlo, præ gaudio ruinæ eius, triumphalem canunt cantionem, laudantes Deum propter illius [b] *magnæ meretricis* ruinam: quæ rectè magna perhibetur. Noſter enim * Cardinalis fatetur perquàm difficile eſſe Papam definire: tanta eſt eius amplitudo atque maieſtas. Sub finem autem illius capitis, obſtinata illius *meretricis* pertinacia deſcribitur, [c] *quæ aduerſus inſidentem equo albo, eiuſque exercitum totis viribus præliata eſt*, [d] *donec Beſtia* ſiue Antichriſtus *caperetur*; *& cum eo Pſeudopropheta* (id eſt, falſa Eccleſia) *qui miraculis, prodigiiſque mendacibus ſeduxit eos, qui Beſtiæ characterem acceperunt. vtérque autem coniectus eſt viuus in lacum ardentem igne & ſulphure*, vnde nulla redemptio: ſicuti ſub finem ſuperioris capitis ad deſcribendam pleniùs Antichriſti ruinam, diſſimilem omnino plagæ illius ſanabilis, quam Ethnica Roma acceperat; primùm *ſaxo molari* comparatur *in mare coniecto*, quod nunquam rurſus emergit, neque in ſummo fluitat: deinde multis rebus iucundiſſimis exprimitur, quarum voces inde nunquam poſtmodum exaudientur, vbi nihil niſi horrida deſolatio commorabitur. Verùm vt patientia & conſtantia Sanctorum in terra, Deíque Electorum meliùs confirmaretur, perſecutio nouiſſimorum dierum breuiter repetita prædicitur, poſtquam *Satanas vinctus fuerit*, compreſſúſque eius furor, dum mundus ad *mille annos*, hoc eſt, ad longum tempus, pace frueretur. Quo ſoluto perſecutores exoriuntur, *Gog & Magog*, occulti apertíque hoſtes Chriſti: quod de Papa, & Turca (qui ferè eodem tempore ad ſuam magnitudinem excreuerunt) accipiendum ſit, nécne, alijs iudicandum relinquo. Sed hoc certum eſt, [e] illorum æternam confuſionem illic repromitti: nec minus *Draco* [f] *Beſtia & Pſeudopropheta*, omnes ſimul *mittentur in lacum ignis & ſulphuris*, ſempiternos in eo cruciatus perpeſſuri. [g] Tum nouiſſimus dies iterum deſcribitur, [h] *qui propter Electos accelerandus eſt*: temporarias autem illas tribulationes quò fortiùs Electi conſtantiúſque perferrent, vtpote poſt breue temporis ſpatium finiendas, duobus extremis capitibus beatitudines cæleſtis æternæque Ieruſalem copioſiſſimè proponuntur.

a Cap. 19. v. 1.

b Verſ. 2.

* Bellarm. in reſp. ad Gerſ. conſid. 11.

c Verſ. 19.

d Verſ. 20.

Cap. 18. 21.

Ibid. v. 22. 23.

Cap. 20. Verſ. 2.

Verſ. 8.

e Verſ. 9.

f Verſ. 10.

g Verſ. 11. 12. 13.

h Mat. 24. 22.

Cap. 21. 22.

Ad hunc modum inuerecunda illa vis ac impudens, quam ſenſui duorum Scripturæ locorum Cardinalis attulit, *Paſce oues meas*; *& Tibi dabo claues*, vt ex eis ſupremam in temporalibus Pontificis poteſtatem ſupra Reges ac Principes aſtrueret, me impulit, vt ex hoc, quem modò excuſſi, Scripturæ libro, Pontificem Romanum Antichriſtum eſſe euincerem, eúmque quo teli genere me erat adortus, eodem vlciſcerer.

Neque me ab ista sententia vllus Pontifex dimouebit, nisi qui nihil sibi iuris esse in temporalibus Principum rebus ac negotijs prius fatebitur. Id autem mihi maximè in votis est, vt si cui hanc meam de Antichristo coniecturam libebit refellere, singulis disputationis meæ partibus ordine respondeat: nec illi satis sit meam sententiam condemnare, sed methodum meliorem ad *Apocalypseôs* expositionem subijciat, quæ neque vlli contextus parti repugnans sit, nec ineptum aliquid absurdúmque contineat. Alioquin nihil facilius *Momo*, quàm alienam narrationem carpere, suámque longè deteriorem eius loco subijcere: cùm multo difficilius sit errata emendare, quàm arguere.

Exspatiatus aliquandiu in Antichristi vita ac titulis, quæ equidem Pontifici multo rectiùs conuenire probauerim, quàm Bellarminus suum illum Papæ dominatum in Reges: redeo tandem ad hunc Censorem meum, qui, vt dixi, *materiam* scriptionis scribendi *modo* mirum quàm probè adaptauit. nam vt illius scriptio mera est Satyra, & in me meámque Apologiam conuitiorum & maledictorum congeries: sic & ipsa materia mendacijs & figmentis tota scatet: quæ nomina tam in illud scriptum iure cadunt, quàm in meum iniuria conferuntur. Tria enim mendacia confinxit contra fidelitatis Sacramentum, cui propugnando Apologiam destinaueram: vt mittam illud toties ab eo repetitum mendacium, nolle se meis mendacijs, nugis, contumelijs, & blaspemijs respondere. Vnum insigne mendacium profert etiam de Papæ primo Breui: Alterum, de Puritanis, quos ad suas partes traducere studet, & aliud de occasione quæ perduelles nostros ad nitrati pulueris coniurationem inuitauit. Tria deinde mendacia effutit, de Parliamenti siue ordinum decreto, quo fidelitatis iusiurandum præscribitur. Vnum quoque, sed illud graue, in suos illos scriptores Catholicos: duo denique in recensendis caussis, ob quas duo in Anglia Iesuitæ extremo supplicio sunt affecti. Sed & diuersas quinque historias aut adulterat, aut negat, aut detorquet, vt & libellum typis excusum: ne quid dicam de illo impudenti mendacio à me paulò antè refutato, me in Scotia, scilicet, fuisse Puritanum. Et ne pars libri aliqua tam preciosis vacaret mercibus, illum quinque tam nouis ac peregrinis in Theologia dogmatibus refersit, vt Papistarum paucissimis vel audita, vel probata existimem. Quæ omnia mendacia, cum quinque nouis, atque, vt videtur, falsis doctrinæ capitibus, historiisque compluribus ementitis, in Tabulam relata sunt seperatim ad finē huius Monitionis, quibus singulis sua est annexa confutatio.

Sed librum illum refellere, id verò neque mihi necessarium, nec meæ dignitati consentaneū esse duxi. Non quidem necessarium, quód, vt antea monui, summa illa ac primaria de Sacramento fidelitatis quæstio, quam Apologiâ meâ asserui, necdū est iustâ aliquâ & directâ responsi-

one

one impugnata. Citationum in margine notulas perperā locatas carpere, vel ſimiles typographorum fortuitos errores, qui inter excudendum voces fortè aliquas aut addiderint, aut præterierint, quæ tamen ad argumentū & rei ſummam non faciunt; ea verò validiſſima tela ſunt, quibus meam Apologiam oppugnat. Iam autem præter Regis Maieſtatem eſſe puto, vt in lite ac certamine Cardinali ſe componat, ſaltem cum eo Cardinali, qui non fæliciùs ac illuſtriùs, quàm ille, natus ſit. Nam Eccleſiaſtica illa dignitas, quanquam Principum incuriâ (vt iam dixi) ad hoc præſumpti honoris culmen aſcendit, tamen ſi ad eius originem & cunabula redeamus, nihil eſt aliud, quàm titulus Presbyteris & Diaconis Parœcienſium Eccleſiarum vrbis Romæ attributus: olim quidem Presbyteris & Diaconis cuiuſlibet Cathedralis Eccleſiæ vniuersè conceſſus. Sed cùm eiuſmodi Cardinalium ingens multitudo vndique Romam commeantium, Vrbem impleret, tandem nomen Cardinalis cæteris ademptum eſt, & ſolis Romanarum parœciarum Preſbyteris & Diaconis reſeruatum. Et cùm ante S. Gregorium nemo illius tituli meminerit, qui ſexcentis poſt Chriſtū annis in quibuſdam Epiſtolis de Cardinalibus loquitur, atq; ita multis poſt Apoſtolos ſæculis, hodierni iſti Sedis Apoſtolicæ Electores inuiſi omnibus & incogniti fuerint: cúmque ipſe Gregorius non eos alio loco ponat, quàm quem eos olim obtinuiſſe modò dixi; non poteſt, opinor, Cardinalis, qui Gregorium Angliæ Apoſtolum vocat, mihi Angliæ Regi vitio vertere, ſi Cardinales eodem gradu & ordine habeo, quo conſtat noſtrum illum Apoſtolum habuiſſe. Sed quo modo, præter rationem ſuæ originis ac inſtitutionis, tam prodigioſè ſint elati, vt ex parœciarum Preſbyteris ac Diaconis, nunc Principes facti ſint, Regúmque æquales, & ex gradu, Epiſcopali dignitate minori (vt [a] Bellarminus & [b] Onuphrius fatentur) ſint hodie ſoli Pontificis Electores, quîcum generalium Conciliorum vice funguntur (vnde & iam vſus generalium Conciliorum penitus exoleuit) immo vt non niſi ex illorum collegio fas ſit Pontificem eligi, qui ſupremam in Reges ſibi auctoritatem vindicat; hoc, inquam, tam inſolens incrementum quo modo cœperit, nullíſque repugnantibus adoleuerit, noſtrum eſt omnium prouidere: qui cùm in terris Vicarij Dei ſimus, iure optimo ſuſpectos habere debemus iſtiuſmodi nuper exortos Principes, qui ſua origine modici humiléſque, ſeipſos ad ſummum faſtigium, ſuis ipſi ſuffragijs ſubuehunt; Regibúſque deinde ſe componunt. Sed hæc eſt præcipua, quam nobis inferunt, iniuria, quòd ius Chriſtianis commune Regibus in generalibus Concilijs, nobis adimant; cùm illorum habendi modum penitus ſuſtulerint, eorū vi ac poteſtate ad ſe pertracta, & velut monopolio in Pontificio Conclaui cōſtituto. Et tamē ſi ſpes vlla aut exſpectatio ſupereſſet, poſſe Chriſtianos omnes ad aliquem in religione conſenſum adduci, id eſſet à generali Concilio

a Lib. de Clericis cap. 16.
b Lib. de Epiſcopatibus, Titulis & Diaconiis Cardinalium.

Concilio exſpectandum ; indicto in commodum nec ſuſpectum locum conuentu, vbi Chriſtiani omnes Principes, aut ipſi,aut per Legatos poſſent adeſſe; & Eccleſiaſtici omnes,qui Chriſtianam religionem profitentur,illíſque veteribus veræ,antiquæ,Catholicæ & Apoſtolicæ Fidei fundamentis adhæreſcunt, tutum acceſſum ac commeatum haberent,incendiarijs vtrinque furioſis ac nouitijs,ſiue Ieſuitis,ſiue Puritanis excluſis.

Cum igitur non id mihi negotij dare ſtatuerim, vt illi libro reſpondeam, eis de cauſſis quas attuli, quæ me & ipſius controuerſiæ, & controuerſiam facientis hominis cauſſa mouerunt,ſat viſum eſt, ſi iterum meam Apologiam curarem excudi,nihil penè emendatam, niſi quatenus librarij aut typographi peccauerant, iſtámque Epiſtolam ac Præmonitionem præfigerem, vt etiamnum experiar, ſitne aliquid, quod dicere in eam iure poſſint: ſat certus, nequaquam ex meis ſubditis defuturos qui ſcriptoribus illis, meíſque ſcilicet Cenſoribus fusè copioſéque reſpondeant. Vobis interim hanc mentem atque animum oro, vt perpendere diligenter velitis, quàm hæc controuerſia vobis omnibus,& grauis & communis ſit cenſenda. Nam nec in tota mea Apologia, nec in illa præclara ad illam reſponſione, vllo modo ſpeciatim de me agitur, num excommunicari à Pontifice & regno abdicari poſſim: (quippe tam benignè Cardinalis mecum agit,vt ſentire Pontificem dicat, non è re eſſe, vt me hoc tempore nominatim excommunicet) ſed controuerſia noſtra generalis eſt, Num Pontifex legitimam aliquam in temporalibus ſupra Reges ſibi poſſit poteſtatem arrogare.

Iam vos antea docui, Eccleſiaſticos ex illius ſententia, nullius ſæcularis Principis iuriſdictioni eſſe ſubiectos. quale autem ab illis hominibus obſequium *de facto* exſpectare debeatis, ipſe non obſcurè ſignificat illius obedientiæ exemplo,quam Imperatori Mauricio Gregorius Magnus detulit. Vbi hominem non puduit Chriſtianam ſancti illius viri humilitatem traducere: quaſi id fuiſſet violentum coactúmque obſequium, Gregorio vel non ſatis valente, vel non auſo repugnare. Qua in re non iniuriam Gregorio tantùm facit, ſed omnino humilitatis ac patientiæ ſplendorem illum, qui in prima illa & adhùc Oriente Eccleſia,ac præſertim ſub perſecutionum ſæuitia nituit,fœda turpíque labe maculat; ſi hæc ingens Martyrij & Chriſtianæ patientiæ gloria, non demiſſioni animi ſpontaneæ, ſed neceſſitati aſcribatur; quòd aut viribus, aut animis defecti (inſtar Iudæorum aut Turcicorum mancipiorum) fortioribus aduerſarijs cederent : contra SS. Pauli Petríque præcepta, qui *propter conſcientiam* ſubditos eſſe iubent; contra illam etiam Tertulliani pro Chriſtianis Apologiam, & antiquorum Patrum apertam profeſſionem & vbique repetitam. Sed benè cum illorum temporum Chriſtianis, qui ſub Ethnicis Imperatoribus degebant,

Rom.13.6. 1.Pet.2.13.

actum

actum eſt, quòd hæc noua, inſolénſque doctrina nondum emerſerat. alioqui funditùs exſtirpati ſublatíque, ne ſuis quidem malis aliquos ingemiſcentes inueniſſent; cùm periculoſa in Republica factio atque ſecta iure videri poſſet, quæ vellet parêre duntaxat, donec auctis viribus imperium excutere, aut inuadere potuiſſet.

Iam igitur perſpicitis Cardinalem noſtrum id agere, vt hinc quidem Reges omnes, atque Monarchas Pontificiæ poteſtati mancipet; illinc autem vel ex Pontificijs ſubditis minimum omni Chriſtianorum Principum iuriſdictione exſoluat. Neque illi ſatis fuit Pontificem omnium noſtrûm ceruicibus impoſuiſſe; nupero quoque tractatu, cui titulum fecit, *Recognitio librorum de Controuerſijs* vniuſcuiuſque noſtrûm populos ac ſubditos noſtris faſcibus ſuperiores eſſe voluit. quippe recenſere ſuos de Controuerſijs libros aggreſſus, & emendare atque exponere, quicquid in illis eſſet vel incuriâ, vel errore peccatum, exemplo *Retractationum* Auguſtini (ita enim in Præfatione ſcribit) nihil quidem ex priſtinis erroribus reſcindit, ſed reuerâ recinit, repetítque, & abſurdiſſimum quemque nouo argumentorum ſubſidio confirmat. Inter cætera eximere Clericos ab omni temporalium Principum poteſtate: & non modò Pontificis, ſed & ipſius populi ſupra nos imperium ſtabilire, penè præcipua ſunt egregiæ illius Recognitionis argumenta.

Et quidem in illa eximendorum Clericorum quæſtione, eo ſtudio, eáque contentione depugnat, vt & Cæſarem neget ligitimum Iudicem Pauli fuiſſe; [a] contra ipſa Contextus verba, & prouocationem Pauli, qua Cæſarem ſuum eſſe Iudicem fatebatur: vt omittam toties ab eo implorata Ciuitatis Romanæ iura ac priuilegia, [b] cuius eſſe ſe Ciuem, ac proinde Imperatori ſubiectum prædicabat. Sed mirum eſt, non pudêre iſtos Romano-catholicos tam magnificè tum Eccleſiæ ſuæ antiquitatem, tum doctrinæ iactantes, nobis autem nouitatem adeò acerbè exprobrantes, tam nouum atque ineptum in illum S. Pauli locum gloſſêma confingere: quod vt repugnat Apoſtoli verbis, ita nec vllius ex antiquis Concilijs, aut alicuius Patris hunc locum eo ſenſu exponentis auctoritate firmatur. Sed nec in dubium Primitiuæ eccleſiæ temporibus vnquam eſt vocatum, an Apoſtoli, aut alij cuiuſcunque gradus Chriſtiani, Imperatoribus de iure ſubijcerentur. Vbi verò faſces Regios populo ſubmitti debere diſputat, hoc ſeditionum fundamento, vtitur, vt probet non Regibus auctoritatem à Deo immediatè, perinde ac Pontificibus eſſe conceſſam. Nam Rex quilibet, inquit, à populo ſuo eligitur; immo & * *populus nunquam ita ſuam poteſtatem in Regem transfert, quin illam ſibi in habitu retineat, vt in certis caſibus etiam actu recipere poſsit.* Egregium profectò Theologiæ Axiôma, & factioſis ac rebellibus auidiſſimè arripiendum, qui in Principes inſurgere, ſéque in libertatem

[a] Act. 25. 10.

[b] Act. 22. 28.

* Bellar. in Recog lib. 3. quæſt. de Laicis.

bertatem vindicare,quandocunq; ipsis videbitur, eo iure freti possunt.

Et quidem inter alia testimonia, quibus Reges inaugurari à populo ac creari solitos conatur euincere, trium Regum ex Scripturis creationem profert,Saulis,Dauidis atque Ieroboam.Et quanquam ipsis Scripturæ verbis fateri adigatur,Deum Samuelis Prophetæ ministerio [a]Saulem,ac deinde [b] Dauidem inunxisse, nihilominus ex subsequente populi consensu probare annititur, non immediatè à Deo Reges illos; sed per populum, mediatè, ad illud auctoritatis & potentiæ culmen erectos;quamuis verbum illud *sortis* ter repetat,cuius beneficio Saulem electum fatetur. Quòd si ea *sortis* electio,non immediatè à Deo est,ergo nec [c] Matthias qui eo modo ad Apostolatum promotus est, à Deo immediatè est electus. ex quo sequitur, & illum, qui sedem Apostolicam occupat, sine rubore non ausurum se immediatè à Deo constitutum prædicare; cùm & Matthias ipse in locum Iudæ suffectus,& Apostolis annumeratus,non immediatè sit electus.Sed vt impium blasphemúmque prorsus esset, ambigere num immediatè à Deo in illum locum Matthias assumptus sit (quanquam prærogatiuâ *sortium* illi honos,vt & Sauli, delatus sit) ita & multis vestrûm, *Fratres amantissimi*,incognitum certè non est,quis sit Sanctus ille Spiritus,quæue *sortes*,quibus Pontifices istis sæculis eliguntur;cùm & Collegium Cardinalium, quibus solis eligendi Pontificis ius est, multis ante me natum annis, in duas, eásque præpotentes factiones discesserit: nec iam coniectu *sortium*,sed prægrandi annuâ pecuniâ in auidas Cardinalium aliquot fauces coniectâ, hæc ad Principum nutum partibus studentium comitia peragantur. Sed in primis memoriæ lapsum in homine miror. Hîc enim per populi cõsensum,qui postea accessit, vult duos illos Reges, (quanquam anteà Dei iussu inauguratos à Propheta, atque inunctos) potestatem Regiam accepisse; oblîtus, cùm eiusdem libelluli initio cuiusdam obiectioni responderet, qui ex Cypriano colligit Episcopos à populo Cypriani tempore iudicatos,se asserere, illis verbis assensum tantùm populi eligendis interueniisse Episcopis. Nec adduci v la ratione ibi potest, vt concedat populi in probandis Episcopis improbandísue consensum eo modo debere intelligi, quasi eligendi Episcopi populo ius ac potestas esset. Et hæc Cypriani tamen verba magis faciunt ad populi in eligendis Episcopis potestatem comprobandam, quàm hic locus quem ex Scripturis attulit, ad auctoritatem populi in Regibus inaugurandis confirmandam. Hæc enim ipsa sunt Cypriani verba,quæ à Bellarmino referuntur: *Ipsa plebs maximè habet potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi.*

[a] 1.Sam.10.1

[b] 1.Sam.16. 12. 13.

[c] Act.1.

Cyprian. lib. 1.Epist.4.

Iam verò nullis vnquam,opinor, Scripturæ testimonijs euicerit, Israëlitarũ iudicio fuisse permissum, Saulem ac Dauidem iam inunctos, & in publicum à Propheta productos, Reges admittere vel repudiare.

Videtis

Videtis quàm non curet, etiam in exiguo volumine ipſe ſibi repugnare, dummodo cauſſæ, quam præ manibus habet, inſeruiat. Hîc enim vult per conſenſum populi, Regis eligendi poteſtatem deſignari; cùm autem de Epiſcopis agitur, eodem illo conſenſu non ius eligendi Epiſcopi, ſed electionem ab alijs factam confirmandi intelligit. Quòd autem Ieroboami exemplo vtitur, profectò non ignorat, eum à tumultuante populo, & à ſuo Rege per ſeditionem deficiente, in Regem, Dei & populo & Regibus irati permiſſu, fuiſſe electum. Sed ſi extraordinarijs huiuſmodi exemplis ad generalem regulam ſtatuendam abuti vult, & hoc modo ſuam cauſſam contra omnem Theologiæ rationem propugnare; cur non & nobis Regibus exemplum inaugurationis Iehu, in contrarium opponere liceat; qui cùm tantùm à Propheta, ídque ſecretò vnctus eſſet, nihil populi conſenſu expectato, ſe ſtatim pro Rege geſſit? 1.Reg.12.20. 1.Reg.9.2.3.

Equidem vos arbitror iam planè animaduertere, quantum ius illud ac poteſtas, quã ſibi Babylonius Monarcha vindicat, noſtræ auctoritati in commune præiudicet. Nam vt modò præmonui, nec ipſe Pontifex, nec ex eius vaſallis, id eſt, Eccleſiaſticis quiſquam debet, vlli Regi Principíue ſubmitti: & è contrario, Reges, Regúmque ſubditos non oportet modò Pontifici, ſed & Reges ipſos populo ſubiacere. Iam verò quàm immenſa & periculoſa, vel machinandi in Principes, vel coniurationes fouendi licentia, Eccleſiaſticis hac doctrinâ concedatur, vobis equidem relinquo cogitandum: cùm illi quicquid egerint atque deliquerint, nullo iure ad noſtra tribunalia trahi poſſint: immo cùm eorum nefaria in caput noſtrum conſilia, pijs operibus aſcribenda ſint; & illi (ſi qui eiuſmodi criminum ſupplicia luerint) in Martyrum Sanctorúmque album continuo referendi. Ita Martyrologium illud nuper excuſum, inter Anglicos Martyres Garnetum & Oulcornium recenſuit; qui hîc proditionis in Regiam Maieſtatem; Regnúmque damnati, pro facinoris conditione pœnas luerunt: Vt cum Iſaia pronunciare poſſim, *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: Qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti auferetis ab eo.* Iſaiæ 5.20. Vers.23.

Nam vt ea tempeſtate, quâ nox denſior Pontificiæ doctrinæ Orbi incubuit, non coniugi, non parri licuit, Sacrifico inter coniugis filiæue amplexus deprehenſo aliud ſuſpicari, quàm eum ad excipienda confeſſione peccata in illud ſecretum deueniſſe: ita licet ſat ſupérque idoneis probationibus Ieſuitas perduellionis & coniurationum reos eſſe pateat; ipſíque veritatis vi victi facinus confeſſi ſint, nihilominus pro Martyribus habendi ſunt, & eorum ſanguine miracula patranda, & ſtraminea miracula à ſtramine petenda; dum eorum interim capita erectis affixa palis, ad publicam tanti ſceleris memoriam, Sole ac ventis conta-

contabescunt. Immo & hęc inter alias ratio in epistola typographi illius redditur, qui hûc siue Bellarmini siue Torti libellũ Colonię edidit, se id operis suscepisse, quòd sancti illius constantísq; Garneti innocentia, illâ scriptione propugnaretur cõtra rumores, quos, nescio quis, temerè diuulgauerat, quasi ille coniurationis Anglicę reus ac particeps extitisset.

Sed quanta hæc, Deus bone! impudentia, aut malitiosâ ignorantia, vt ille dicatur, à nescio quo, coniurationis infamiâ oneratus, qui quod & coniurationis nefas non ignorauerit, & illud reticuerit, sua nec ambigua, nec coacta, nec semel repetita confessione primùm conuictus; tũ publicè & more patrio facinoris damnatus, extremo tandem est supplicio affectus? Vt illi etiam tot sanctitatis, tot innocentiæ, tot constantiæ elogia atque attributa addantur? quasi verò sententia publico Iuris ordine lata & executioni mandata, dici possit rumor, à nescio quo temerè diuulgatus. Fateor equidẽ auctorẽ, quod in Præfatione promissum est, gnauiter præstare voluisse, quippe qui locis aliquot straminei illius sancti faciat plenam honorificis mendacijs mẽtionem. Vbi quanquam Garnetum puluereæ coniurationis non ignarum fuisse fatetur; tamen quòd, vt ait, id tantum sub Confessionis sigillo resciuerit, eius in ea re silentium commendat, & vel eo nomine cupit eum corona gloriæ redimitum. Neque verò illum pudet, id tanquam ex pręcipuis Catholicæ fidei dogmatis intonare, *Secretum Confessionis Sacramentalis nullo modo esse, ne quidem ad maximorum malorum declinationem, reuelandum.* Sed quàm hæc pernicioſa dõctrina, & Principibus omnibus ac Rebuspublicis infesta sit, vobis, quorũ maximè interest, relinquo iudicandum. Quamuis enim non negarim, ex quo Scholastici Doctores auctoréſq; habere in Ecclesia cœperunt, & antiqua Theologiæ fundamenta nouis è Philosophia petitis distinctiunculis labefactari; illos asseruisse, quicquid Confessario sub Confessionis velo retegitur, quantumcunque noxia & periculosa res sit, teneri eum Confitentis nomen celare: nemo tamen veterum certè Scholasticorum inficiatur, si quid illi patefactum fuerit, cuius occultatio magnum possit Reip. periculum creare, quin quoties id accidit, Confessarius possit, & debeat, quamuis hominem celet, rem indicare; atque efficere vt quoquo modo innotescat, quò periculo maturius occurratur. Sed vt nulla proditio, nulla quantumuis atrox & diabolica coniuratio, quamuis ad totius Imperij Regníue pestem ac perniciem spectet, si sub Confessionis sigillo reuelata sit, prodi à Sacerdote ac retegi debeat, ac ne res quidem ipsa vel indirectè aperiri, quò ingruenti malo obuiam eatur; id verò quanquam à paucis aliquot nouitijs Doctoribus, qui Iesuiticas præceptiones imbiberunt, receptum sit, tamen tam nouum est & periculosum dogma, vt neque Rex, nec Respublica in securo possit consistere, vbicunq; thesis illa assertores inuenerit.

Nunc

Digitized by Google

Nunc autem vt tam eum *de facto* in huius hiſtoriæ narratione, quàm *de iure* in hoc horrendo & ſuppoſititio Theologiæ fundamento mentitum probem; de Garneto, vt res ſe habuerit, ſyncerè exponam; quam hiſtoriam cauillator iſte miſerè mentitam ac adulteratam lectoribus obtrudit. Primùm enim, illud non eſt habendum Confeſſionis arcanum omnino reticendum, quod ille, qui detegit, non magno cum mœrore animi morſúque indicat, nec facinus eſſe putat vllâ pœnitentiâ emendandum; ſed è contrario, vt pium mentis impulſum prodit, à quo nec Confeſſarius auertat, neque eo nomine vllam pœnam aut pœnitentiam imponat. Et eo quidem modo coniurationis ſcelus Garneto, vt & ipſe faſſus eſt, innotuit. Præterea quanquam diu in eo perſtitiſſet, rem totam ſibi eſſe ſub Confeſſionis velo, nondum plenè finita Confeſſione, detectam; ad extremum tamen liberè profeſſus eſt, ſe non inter confitendum, ſed inter ambulandum ad illius facinoris conſcientiam aſcitum; ſuæ tamen fidei commiſſum, quanta potuit maxima taciturnitatis cautione; ídque ſe non aliter interpretatum, quàm ſub ipſo Confeſſionis ſigillo. coniectaſſe etiam, illud Confeſſioni eſſe affine, quòd & ipſius Confeſſarius eſſet, & aliquoties ante, eius Confeſſionem excepiſſet, eſſétque poſt dies aliquot excepturus: Sed & illi coniurationem aperienti denunciaſſe, ad Superiorem ſe de re tota relaturum. Illud quoque obſeruatione dignum eſt, faſſum eſſe Garnetum, duos ſecum de illa proditione egiſſe; & ex his alterum, nempe Catesbeium, præſente & audiente altero, de ea re ſibi eſſe locutum. Et qualis hæc Confeſſio habenda, cui tertius aliquis arbiter ac teſtis interfuit? Sed & poſtrema iam admoti ad ſupplicium verba (quæ tantopere à noſtro hoc Cenſore iactantur) quàm apertè fateantur, hoc totum ſub Confeſſionis ſigillo minimè eſſe actum, Comitis Northamptonij liber ſatis declarat.

Iam verò ille alter, qui Garneto hanc puluerariam coniurationem aperuit, Grenwellus Ieſuita eſt. Sic Ieſuita Ieſuitæ, nefariæ proditionis ordinem expoſuit; nec ille, qui tantum ſcelus aperuit, vllum conſcientiæ ſtimulum ſenſit, neque is, cui patefactum eſt, vllam confitenti ob cogitatum ſcelus pœnitentiam indixit. Ac vt palàm ſit plures ex Ieſuitis, huius coniurationis conſcios fuiſſe, Ouldcornius alter ille ſulphureus Martyr, cùm in irritum ceſſiſſet è latebris ſuis extracta coniuratio, concionem Catholicorum ſuorum habuit, vbi eos conſolatus, ac etiam hortatus eſt, ne animos ſiniſtro & infœlici coniurationis euentu deſponderent, aut de cauſſa, quòd parum proſperè cecidiſſet, deſperarent: ſæpe antea ſanctis eiuſmodi conatibus fortunam defuiſſe; ídque S. Ludouici Regis exemplo: eum ſecunda in terram Sanctam expeditione ſuſcepta, morbo in itinere perijſſe: maximam exercitus partem peſte eſſe abſumptam: ſed & parum fœliciter priorem expeditionem

cessisse, in qua à Soldano & Mahumetanis captus est. Eos itaque hortabatur, ne ab incepto desisterent; sperarent potiùs suis illis consilijs, quanquam hoc tempore deploratis, diuinam aliquando opem nequaquam defuturam.

Ex his, opinor, perspicitis, quâ ille, quámque audaci impudentiâ, veritatem ipsâm, tot publicis testimonijs fultam, mendacij insimulârit; qui & generaliter Iesuitarum nullum huius coniurationis conscium ac participem exstitisse asseruit (ita enim in illo suo libro scribit) nec ipsum Garnetum ad proditionis secretum aliter, quàm sub Confessionis sigillo peruenisse. Sed si primum hoc esset mendacium, quod de summis Angliæ rebus à fugitiuis meis sacrificulis ac Iesuitis confictum, sparsúmque fuisset, facile esset forsitan huic malo remedium inuenire. Quin & monasteria plæráque apud exteros, & Iesuitarum Collegia, in parietibus depictas habent istiusmodi fabellas; & transfugarum libri pleni sunt impudentissimis id genus figmentis: cuiusmodi sunt, sæua illa & innumera suppliciorum genera, quibus suos hîc Martyres esse affectos queruntur: eorum alios quaternis in diuersum actis equis discerptos, alios vrsinis pellibus inclusos à canibus fuisse laniatos: immo nec mitiùs cum fœminis actum: & mille alia funestæ & horrendæ carnificinæ exempla mentiuntur, quorum omnium vanitatem quambreuissimè vobis aperiam.

Ac primùm vt de suppliciorum caussis dicam, id constanter asseuero, quod & in Apologia mea posui, hîc neminem, siue meis, siue defunctæ Reginæ temporibus, conscientiæ ac religionis caussa vltimo supplicio affectum. Nam quantumuis religioni suæ deditus sit, quantumuis eam apertè & constanter profiteatur, nullum ei à Legibus impendet capitis periculum; nisi comperto contra leges externo aliquo actu deliquisse: aut coniurationem, consiliúmue summæ rei perniciosum inijsse: exceptis tantummodo sacrificulis, cæteríque Pontificiarum partium, qui in transmarinis regionibus sacris ordinibus initiantur: qui tot coniurationibus, tot proditionibus ab ipsis in Anglia, vel conceptis vel laudatis infames, à nostris finibus sub perduellionis pœna arcentur: & tamen nullus ex illis in hunc diem, quòd contra legum sanctionem in patriam remigrarit, eam solam ab caussam morte mulctatus est. Iam de equuleis & exquisitis cruciatuum generibus, quibus plurimos suorum affectos queruntur; sanè huic commento refellendo, ipsæ leges & intemerata multis sæculis Angliæ in caussis capitalibus consuetudo satis esse possunt. neque enim quæstionum vllum genus hîc habetur præter manicas & fidiculas; quæ etiam non nisi in Maiestatis criminibus vsurpantur. Sed & proditores omnes, siue Protestantes, siue Pontificios idem supplicium manet; si Reginæ Mariæ tempora excipias. tunc enim nulla suppliciorum atrocitas, in viros, in fœminas,

nas, in infantes noſtram religionem profitentes, eſt omiſſa: immo contra Dei, Naturæque leges, grauidis mulieribus mors immaniſſimè illata; infánſque è materna aluo exiliens in eaſdem cum matre flammas iniectus. Sed tanta huius tyrannicæ perſecutionis, ſæuitia, illius temporis Epiſcopos auctores habuit, qui Pontificia auctoritate freti, à perpetuis & receptis ſuppliciorum formis receſſerunt; quæ regni moribus ac legibus conſtitutæ, in puniendis ſontibus conſtanter & inuiolatè ſeruantur. Nam & Sacerdotes & Pontificij omnes perduellionis rei, in foro ſæculari hîc iudicantur, ſic vt in eorum pœnis nihil grauius eſſe poſſit, quàm quod vel legibus eſt præſcriptum, vel longa conſuetudine receptum. Illud etiam in hoc negotio obſeruandum; externum ac peregrinum neminem religionis cauſſa in iudicium hîc vocari: quod in illis regionibus longè ſecùs eſt, credo, vbi Inquiſitio dominatur.

Sed cùm verear, ne vobis tædio fuerim hac mea prolixiore oratione, quâ ſpero vobis patefactum eſſe, nihil in me Pontificem ſuis Breuibus, nihil iſtos Apologiæ meæ oppugnatores his libellis eſſe molîtos, quod non Regibus omnibus, Liberis Principibus, ac Rebuſpublicis æquè, ac meis rebus pernicioſum & exitiabile videatur: nunc finem ſcribendi faciam, conceptis ad Deum votis, vt ſecuritatis veternum excutiat, quo & nos hactenus, & noſtri multis ſæculis deceſſores torpuerunt: ac vt nobis mentem inijciat, primùm ſeriò cogitandi quid ad Euangelij plantationem & propagationem, ex conſcientia ſecundùm diuini Verbi præſcriptum præſtare teneamur, noſtri illius veri ac vnici Paſtoris imperio ac voci, quam in Scripturis audimus obtemperantes, (nam & oues ſuas vocem ſuam audituras ipſe prædixit) non inanibus, fluxíſque & prauis hominum traditionibus attendentes. Deinde vt ſceptrorum noſtrorum ſecuritati maturè prudentérque conſulamus, nec Babylonicum illum Monarcham latiùs ſerpere, & quotidianis in noſtra iura victorijs graſſari patiamur. Quòd ſi Dei, cuius in terris Legati ac Vicarij ſumus, benignitas ea eſt, vt ſuam cauſſam cum noſtra, ſpiritualem libertatem cum temporali voluerit eſſe coniunctam; quo ſtudio, quo ardore animi, in id negotium incumbere nos oportet, qui noſtris laboribus in regno cœlorum æternæ beatitudinis præmium ſcimus eſſe repoſitum; interim autem in hoc ſæculo temporalem ſceptris noſtris ſecuritatem ac quietem comparabimus. Ioh. 10. 27.

Equidem arbitror, quotquot iam veræ illi Fidei, cui adhæreo, nomen dediſtis (quanquam inter vos necdum benè de apicibus neſcio quibus conuenerit) facilè ad pium hoc ac prudens conſilium erigi ac adduci poſſe. Nos, Dei beneficio, nec numero, nec dignitate ita ſumus contemnendi, quin bono vicinis noſtris exemplo præire poſſimus: quandoquidem Chriſtiani Orbis, omniúmque in eo ordinum, inde à Regibus, liberíſque Principibus, vſque ad infimæ condi-

tionis homines; pars propè media in nostram religionem iam consensit, de Babylone certè exiuit. Sed vnum hoc vos (Fratres charissimi ac Consanguinei) præque omnibus vnum, obsecro obtestórque, vt inter vos veræ Fidei vnitatem conseruetis, & communionem Spiritus in vinculo pacis retineatis, omnésque de genealogijs quæstiones ineptas & inutiles, necnon aniles fabulas (vt inquit S. Paulus) abijciatis: neu
1. Tim. 1.4. Ibid. cap. 4.7. patimini fanatico Concionatorum feruore, atque inanibus super rebus adiaphoris altercationibus, discerpi ac dissipari mysticum illud Corpus, cuius partes ipsi estis; quando & illius, cuius nos membra sumus, tunica inconsutilis exstitit. Nolite per Deum immortalem committere, vt nostræ Fidei scandalum factis inter nos schismatibus oriatur, néue parabola opprobrij simus in ore aduersariorum, quibus vnitas vna è præcipuis est veræ Ecclesiæ notis.

Vobis autem (Fratres & Consanguinei dilectissimi) quorum mentes Deus Opt. Max. Veritatis suæ fulgore nondum illustrauit, cum Elizeo præcor, vt oculos aperiat, quò cernatis quàm multi, quámque inuicti Angelorum exercitus ad propugnandum pro Veritate accincti,
Act. 26. 19. paratíque aduigilent: immo cum Paulo opto, vos omnes fieri tales hac vna in re, qualis & ego sum: imprimis vt velitis Scripturas peruolutare, ex his credendi normam petere, neque super aliorum incertis opinionibus, sed vestra ipsorum certa scientia, Fidei fundamenta collocare; quandò iustus sua fide viuit, & vnusquisque fit fide propria saluus. Verùm hæc Diuinæ benignitati suo tempore prouidenda commendans,
Abac. 2.4. facere non possum quin interim vos horter, vt pristinam libertatem, dignitatémque Imperiorum ac Rerumpublicarum, sartam, tectam retineatis, neque quenquam Deo minorem, vobis in vestris ditionibus maiorem esse patiamini: illustrium decessorum vestrorum exemplo, qui etiam tum, cùm densissima cæcitas, veríque ignoratio hominum animos obsidêret, Pontificum in sua iura grassantium ambitioni fortissimè restiterunt. Certè è Regnis vestris Imperiúmque reperire est aliquot, quæ omnibus sæculis immunitates suas contra iniustam ambitiosissimorum Paparum potentiam illibatas perpetuò tenuerunt. Nec desunt quibus cognitum fuit recentibus admodum experimentis, Papam, ad sæcularia Principum inuadenda, impotenter aspirare; cuius insolentem audaciam fortiter retudisse, & in asserendis vestris priuilegijs constanter perstitisse, cedet vobis in gloriam nunquam intermoriturum. Quamobrem vos toto pectore obsecro atque obtestor, vt in hoc negotio cùm piorum Regum, tum incorruptorum in terris Iudicum officium faciatis: quod eiusmodi est, vt non solùm non inferatis cuiquam iniuriam, aut in aliorum libertates inuoletis (quod, si me auditis, neutiquam est faciendum) sed etiam vt eas quæ vobis Dei benignitate contigerunt prærogatiuas, strenuè ac viriliter propugnetis.

Quos

Digitized by Google

Quos enim Deus propulsandis à vita fortunisque aliorum iniurijs populo præposuit, ipsos ab alijs accipere iniuriam, sit pudendum. Itaque animi iam certus, maturis vos iudicijs, omníque præiudicio liberis, hęc quæ vobis proposui rationum momenta ponderaturos, meámque in scribendo libertatem æqui boníque consulturos, Apologiam hanc meam benigna vestri fauoris aura prosequentes; saltem donec validioribus & certioribus argumentis expugnabitur, finem facio: ardentibus à Deo Omnipotente votis contendens, vt vos in terris quamdiutissimè velit fortunare, ac tandem temporario fœliciter Imperio perfunctos, beatæ in cœlo immortalitatis coronam triumphalem reportare.

CATALOGVS MENDACIORVM TORTI,

vnâ cum breui eorundem confutatione.

TORTVS. Edit. Politan. Pag. 9.

HIc [in iuramento fidelitatis] apertè negatur summo Pontifici potestas excommunicandi Reges etiam Hæreticos.

CONFVTATIO.

Quæstio de Pontificis potestate in Regibus excommunicandis nec tractatur, nec vllo modo definitur in Iuramento fidelitatis; sed ex proposito declinatur. Inspiciantur verba Iuramenti & Monitoria præfat. pag. 10. 11.

TORTVS. P. 10.

2 Nam ex verbis illis Dominicis, *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis*: Catholici omnes colligunt, ad Pontificis maximi auctoritatem pertinere, non solùm potestatem absoluendi à peccatis, sed etiam à pœnis, censuris, legibus, votis atque iuramentis.

CONFVTATIO.

Quòd non omnes Romano Catholici ita colligunt ex hisce Christi verbis Matthæi. 16. *vt alia argumenta tacitus præteream; vel inde apparet quòd ex plurimorum sententia quicquid Christus promisit* Matth. 16. *id actu præsti-*

tit Ioan. 20. *cùm dixisset*, Quorum peccata remiseritis, &c. *Vnde constat Christum potestatem illam soluendi promissam sensisse de absolutione à peccatis, nullâ hîc mentione factâ de absolutione aliqua à legibus, votis, iuramentis*: *Atque ita sentiunt* Theophylactus, Anselmus, Hugo Cardinalis & Ferus in Matth. 16. *Sic etiam Scholasticorum primarij*, Alexander Hales in Summa, part. 4. q. 79. memb. 5. & 6. art. 3. Thom. in 4. distin. 24. q. 3. art. 2. Scotus in 4. dist. 19. art. 1. Hadr. 6. Papa in 4 dist. q. 2. de clauib. p. 302. edit. Paris. an. 1530. *qui etiam pro hac interpretatione citat* Augustinum & glossam interlinearem.

TORTVS. P. 18.

3 Odi parricidia, execror conspirationes, sed occasiones desperandi datas nemo inficiari potest.

CONFVTATIO.

Quòd occasio desperandi pulueraryis Proditoribus non erat data, vt iste mentitur; sed quòd ita à Iesuitis edocti, irruebant in hoc sanguinarium facinus, vide Monit. præfat. pag. 132. 133. & Actionem in Proditores

TORTVS. P. 26.

4 Nam ab eo Iuramento non solùm Catholici, sed etiam Caluinistæ Puritani abhorrent.

CONFVTATIO.

Puritani non abhorrent à Iuramento Primatus, sed quotidie suscipiunt, nec vnquam recusârunt: Eundem etiam Primatum tuetur Caluinus Instit. lib. 4. cap. 20.

TORTVS. P. 28.

5 Principio non scribit Pontifex se mœrore affici ob calamitates quas tempore Reginæ, aut initio Regni *Iacobi* Regis, in Angliâ pro retinenda orthodoxa fide Catholici patiebantur, sed ob calamitates quas hoc tempore patiuntur.

CONFVTATIO.

Verba ipsius Breuis recitâsse, est hoc mendacium confutâsse: sic enim scribit Papa, Magno animi mœrore nos semper affecerunt tribulationes & calamitates, quas pro retinenda Catholica fide iugiter sustinuistis. Sed cùm intelligamus omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum aucta est.

TORTVS. P. 28.

6 In 1. articulo [Statuti] confirmantur leges *Elizabethæ.*

CONFVTATIO.

In primo articulo istius Statuti nulla fit mentio de confirmandis legibus R. Elizabethæ.

TORTVS

TORTVS. P. 29.

7 In decimo articulo [eiuſdem Statuti] additur, vt ſi tertiâ vice [Catholici] propoſitum ſibi iuramentum recuſauerint, capitis vitæq; diſpendium patiantur.

CONFVTATIO.

Nullus eſt eiuſmodi articulus in toto illo Statuto, vbi vel de proponendo hoc iuramento tertiâ vice, vel de capitis vitæque diſpendio vlla mentio habeatur.

TORTVS. P. 30.

8 In 12. habetur vt qui Principibus externis militare voluerit, is prius Iuramentum præfatum præſtet, alioqui perduellis habetur.

CONFVTATIO.

Non dicitur in Statuto, quòd perduellis habebitur; ſed quòd feloniæ reus habebitur, qui Principi extraneo militare voluerit priuſquam Iuramentum ſuſceperit.

TORTVS. P. 35.

9 Oſtendimus eo Iuramento, negari poteſtatem Apoſtolicam tum ligandi, tum ſoluendi.

CONFVTATIO.

Nulla eſt ſententia aſſertoria in iſto Iuramento, nec vllum verbum niſi conditionale de Pontificis poteſtate ligandi, vel ſoluendi.

TORTVS. P 37.

10. *Diocletiano* & *Neroni* vellent nollent, ipſi etiam ſummi Pontifices ſubiecti eſſe cogebantur.

CONFVTATIO.

Quòd Chriſtiani ſine exceptione non coactè, ſed liberè & propter conſcientiam, Ethnicis Imperatoribus ſubyciebantur, vide Apolog. noſtram. p. 23. 24. *& Veterum* Apologetica.

TORTVS. Pag. 47.

11. Quibus verbis [Breuium *Clementis* 8.] non ſolùm *Iacobus* Scotiæ Rex non excludebatur, ſed includebatur potiùs.

CONFVTATIO.

Si Breuia [Clementis] *non excludebant me Regno, ſed includebant potiùs; Cur ea flammis tradidit* Garnettus? *quare non mihi videnda aſſeruauit, vt ſibi & ſuis Catholicis apud me maiorem inde gratiam conciliaret?*

TORTVS. P. 60.

12. Ex quatuordecim [articulis in Iuramento fidelitatis comprehenſis] vndecim ſunt qui primatum Pontificis in ſpiritualibus attingunt.

CONFVTATIO.

Ex hiſce articulis ne vnus quidem Pontificis Primatum in ſpiritualibus attingit: Quorſum enim attingeret, cùm contra Primatum Pontificis in ſpiritualibus, expreſſum alibi Iuramentum extet?

TORTVS.

TORTVS. P.64.

13. Inter alias calumnias illam profert in medium, quòd *Bellarminus* vel conscius vel auctor fuit proditionum aduersus Reginam *Elizabetham.*

CONFVTATIO.

Nusquam dixi [*in* Apologia] Bellarminus *vel auctorem, vel conscium fuisse proditionum aduersus Reginam* Elizabetham; *sed proditorum præceptorem, eúmque tam prauis & pernitiosis dogmatibus eorum mentes imbuisse, vt ijs facillimum esset thesin transferre ad hypothesin; & quæ ille è Cathedra dictaret, ad suas machinationes pro re nata accommodare.*

TORTVS. P.64.

14. Scit [*Bellarminus*] *Campianum* contra hæriticam prauitatem solùm conspirasse.

CONFVTATIO.

Quòd Campianus *vltimo supplicio affectus est, non in causa fuit quòd contra hæreticam prauitatem, vt iste Libellator videri vult, sed quòd contra Reginam* Elizabetham, *& huius Regni statum conspirauerit: id quod ex actis iudicialibus euidentissimè constabat.*

TORTVS. P.65.

15. Cur *Henricus Garnettus* vir doctrinâ omnis generis & vitæ sanctitate incomparabilis, vltimo supplicio affectus est, nisi quia reuelare noluit, quod saluâ conscientiâ reuelare non poterat?

CONFVTATIO.

Quòd huius nefandi facinoris notitia, non ex sola confessione ad Henricum Garnettum *peruenerit, vt iste mentitur; sed alijs etiam modis: nec ex vnius, sed plurium relatione, ita vt illud reuelâsse saluâ conscientiâ potuisset; vide* Monit. Præfat. pag. 131. & Comitis Northamp. librum.

TORTVS. P.71.

16. Itaque *Sixtus* Pontifex neque Regem cædi imperauit, neque cædem vt à priuato illo homine factam approbauit.

CONFVTATIO.

Quàm splendidum sit hoc mendacium patet ex Oratione ipsa Sixti. V.

TORTVS. P.91.

17. Quod autem additur de *Stanleiana* proditione, non fideliter neque verè narratur; siquidem more suo auctor Apologiæ multis additis mendacijs fœdè corrupit.

CONFVTATIO.

Quæ dicta sunt de proditione Stanleiana, *recitata erant ad verbum ex Apologia Alani pro causa* Stanleiana, *vt ibi videre est.*

TORTVS. P.93.

18. Constat *Henricum Garnettum* in publico iudicio constanter semper dixisse; neque se, neque vllum Iesuitam huius conspirationis Auctorem,

ed by Google

Auctorem, vel complicem, vel conſultorem, vel conſentientem vllo modo fuiſſe. *Et paulò poſt.* Id ipſum inſtante morte coram innumerabili populò longâ oratione proteſtatus eſt.

CONFVTATIO.

Liber qui inſcribitur Actio in Proditores, *& noſtra* Monit. præf. pag. 131.132. *clarè euincunt contrarium.*

TORTVS. P.97.

19 *Iacobus* autem cùm Catholicus non ſit, neque Chriſtianus eſt.

CONFVTATIO.

Contrà. Ego verè Catholicus ſum, vt qui fidem profitear verè antiquam, Catholicam & Apoſtolicam; ac proinde verè Chriſtianus ſum. Vide Confeſſionem fidei meæ in Monit. præfat. p. 37. 38. *& deinceps.*

TORTVS. P.98.

20. Etſi vera ſunt quæ narrantur ab ijs qui eum intimè nouerunt, cùm in Scotia Puritanus & Proteſtantium inimicus eſſet, nunc in Anglia Proteſtans, & Puritanorum aduerſarium ſe gerit.

CONFVTATIO.

Contrà: Qualis Puritanus eram in Scotia, vide Præfationem in ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ ΔΩΡΟΝ, *&* Monit. præfat. pag. 48. 49.

HISTORIÆ EMENTITÆ CVM EARVM CONFVTATIONIBVS.

VERBA TORTI. P.70.

1 CONſtabat eum [*Henricum IV.*] naturali morbo extinctum fuiſſe.

CONFVTATIO.

Non conſtabat: quandoquidem Hiſtorici nonnulli alitet ſcribant, eum in vinculis mortuum fuiſſe, vel fame, vel pædore ſiti que carceris. Lege Faſciculum temporis, *ad An.* 1094. Laziard. epitom. vniuerſal. Hiſt. c. 198. Paulum Langium in Chronico Citizenſi *ad An.* 1105. Iacob. Wimpheling. in Epitom. Rerum Germanic. c. 28.

TORTVS. P.83.

2. A quo [vinculo Excommunicationis] vt abſolui mereretur, ad iſtam humilitatem ſe ipſe [*Henr. IV.*] ſponte deiecit.

CONFVTATIO.

Henricum IV. *non ſponte, nec metu Excommunicationis Papæ, quam inualidam cenſuit; ſed metu amiſsionis Regni & vitæ ſeſe in tantum humiliaſſe, teſtantur Hiſtorici.* Lamb. Schafnaburg. *ad An.* 1077. Abbas Vrſperg. *ad An.* 1075. Plati. in Gregor. 7. *Auctor vitæ* Henrici 4. Bruno in Hiſtor. belli

belli Saxonici. Cuſpinianus in Henrico 4. Sigon. de Reg. Ital. lib. 9. Laziard. in Epitom. Hiſtor. vniuerſal. c. 193.

TORTVS. P. 83.

3. Hæc Hiſtoria [*Alexandri III. Frederici Barbaroſſæ* ceruicem pede conculcantis] eſt dubiæ fidei.

CONFVTATIO.

At non eſt dubiæ fidei apud Hiſtoricos cùm nullus neget; multi affirment: vt Naucler. Genera. 40. Iacob. Bergomen. in ſupplement. Chron. ad an. 1160. Petrus Iuſtinian. lib. 2. Rerum Venetarum. Papyrius Maſſon. lib. 5. de Epiſc. vrbis, *qui etiam pro hac re citat* Gennadium *Patriarcham* Conſtantinopolit. Alphon. Ciaccon. de vitis Pontif. in Alex. 3. Azorius *Ieſuita* Inſtitut. moral. part. 2. lib. 5. cap. 43. *Denique* Hieronym. Bard. in Victor. naual. *alios complures huius Hiſtoriæ fidem aſſerentes, adducit.*

TORTVS. P. 83.

4. Quid aliud *Fredericus* timuit, niſi excommunicationem.

CONFVTATIO.

At Fridericum *timuiſſe ſolam excommunicationem, nullus antiquus Hiſtoricus ſcribit: ſed Imperij & Dominij amiſſionem potiſsimùm timuiſſe, teſtantur plurimi.* Martinus Polon. ad an. 1166. Platina in Alexan. 3. Laziard. in Epitom. Hiſt. vniuerſal. c. 212. Nauclerus Generat. 40. Iacobus Wimphelingus in Epitom. Rerum German. c. 32.

TORTVS. P. 88.

5. Adde *Cuſpinianum* [in hac re de Turcæ fratre veneno ſublato] aliorum Hiſtoricorum teſtimonijs deſtitui.

CONFVTATIO.

Eadem hiſtoria à pleriſque alijs celeberrimis Hiſtoricis memoriæ prodita eſt. Vide Franciſc. Guicciard. li. 2. Hiſt. Ital. Paulum Iouium lib. 2. Hiſt. ſui temporis. Sabellicum Ennead. 10. lib. 9. Continuatorem Palmerij ad an. 1494.

NOVA DOGMATA, VNA CVM NOVITATIS EORVNDEM DECLARATIONE.

DOGMA PRIMVM. Pag. 9.

INter *omnes* conuenit poſſe Pontificem Max. Hæreticos principes iure deponere, & ſubditos ab ipſorum obedientia liberare.

CONFVTATIO.

Immo verò tantum abeſt, vt inter omnes de hoc conueniat, veriùs vt dicas,

ante

Digitized by Google

ante Hildebrandi *Pontificatum, id nemini vnquam in mentem venisse, qui primus omnium hanc nouam doctrinam, planéque antè inauditam prodidit, vt multi viri docti, cùm illius, tum subsequentis sæculi testantur (vt alios inferiorum ætatum testes omittam) qua de re vide epistolam Cleri* Leodiensis *ad* Paschalem II. *Sententiam Episcoporum horum temporum ab* Auentino *descriptam* libr. 5. fol 579. Conradi Traiectensis *Concionem apud eundem* Auentinum, *dicto* lib. 5. fol. 582. *& alteram* Eberhardi Saltzburgensis *Archiepiscop.* Ibid. lib. 7. p. 684. *Sententiam Archiepiscopi* Treuirensis in *Constitut. Imperialib. à* M. Haimensfeldio *editis* pag. 47. *Epistolam Walthrami* Megburgensis *Episcopi, quæ extat apud* Dodechinum *in Appendice ad* Marianum Scotum, *ad an.* 1090. Bennonem *in vita* Hildebrandi: *Authorem libri de* Vnitate Ecclesiæ, *siue* Apologiam pro Henrico IV. Sigebertum *in Chronico ad an.* 1088. *&* 1111. Godfridum Viterbiensem in Pantheone, par. 17. Othonem Frisingensem lib. 6. c. 35. & lib. 1. De Gestis Friderici c. 1. Vincentium in speculo Historiali. lib. 15. c. 84. *Similia habet* Fridericus Barbarossa, lib. 6. Guntheri Ligurini, de gestis Friderici, & lib. 1. c. 10. Radeuici de gestis eiusdem Friderici.

SECVNDVM. P. 51.

In ortu supernaturali, quem habemus ex Baptismo, intelligi debet Iuramentum tacitum & congenitum, ad obediendum Principi spirituali, qui est Christi vicarius.

CONFVTATIO.

Mirum est vnde iste hauserit hanc nouam & prorsus incognitam Theologiam, quæ non aliunde quàm ex ipsius putido cerebro nasci potuit: sin minùs, suos nobis auctores enumeret. qui docent & affirmant Christianos omnes siue paruulos, siue adultos, virtute Iuramenti cuiusdam taciti in Baptismo suscepti, teneri ad obedientiam absolutam Christi vicario præstandam, aut in aliud quàm Christi nomen baptizari.

TERTIVM. P. 94.

Sed cùm Catholica doctrina non permittat ad vllum malum vitandum, secretum sacramentalis confessionis detegi, maluit ille mortem acerbissimam pati, quàm tanti Sacramenti sigillum violare.

CONFVTATIO.

Quòd secretum sacramentalis confessionis, ad nullum malum quantumcunque vitandum, vel præueniendum possit detegi, nec indirectè saltem, aut in genere, modò persona, quæ confessionem edit, celetur; præterquam quòd Thesis est, cunctis Principibus, & Rebuspubl. longè pernicioßissima, vt in Monit. præf. p. 129. *docui; nouum est dogma, & Orbi Christiano ante hæc tempora inauditum. Scholastici enim Doctores & Canonistæ tam veteres, quàm recentiores ferè omnes, planè contrarium affirmant. Consule* Alexandrum Hal. part. 4. q. 78. memb. 2. art. 2. Thomam. 4. dist. 21. q. 3. art. 1. ad 1. Scotum in 4. dist 21. q. 2. Hadrian. VI. in 4. dist. vbi de Sacram. Confess. edit. Paris. 1530.

pag.

Digitized by Google

pag.289. Dominic. Sot.in 4.dist. 18. q.4.art 5. Francis. de Victor.sum. de Sacrament. n. 189. Nauar. in Enchirid. c. 8. n. 12. Ioseph. Angles. in Florib. part. 1. p.247. edit. Antuerp. Petrum à Soto lect. 11. de Confess. *Ipsi Iesuitæ astipulantur*, Suarez. Tom. 4. disp. in 3 part. Thom. disp. 33. §. 3. Gregorius de Valentia Tom. 4. disp. 7. q. 13 punct. 3. *qui addit, hanc communem esse Scholasticorum sententiam.*

QVARTVM. P.102.

4. Ego verò audeo dicere, meliorem causam habere Catholicos Iuramenti recusandi, quàm *Eleazarus* habuerit carnis porcinæ non gustandæ.

CONFVTATIO.

Hæc assertio reuera nouum Dogma continet, Breue scilicet Pontificium Legi Mosaicæ præferendum esse; & Catholicos magis teneri Pontificis decreto, quàm Iudæi olim Lege per Mosen traditâ tenebantur.

QVINTVM. P.135.

5. Clericos exemptos esse à Iurisdictione Principum secularium, ac per hoc non esse Subiectos Regibus; sed debere tamen Leges eorum de temporalibus rebus obseruare, non vi legis, sed vi rationis; id est, non quia subditi sunt, sed quia ratio dictat ob commune bonum & pacem Reipub. eas Leges ab hominibus esse seruandas.

CONFVTATIO.

Quàm sit amicus Regibus Cardinalis & qui Cardinali à Sacellis est, qui tot subditos ab eorum potestate exemptos velint, docet Monit. præfat. p.23. 24. *Sed quod ad eiusmodi nouos* Aphorismos *spectat, desinant isti veteratores has opinionum nouellas subtilitates, vel potiùs subtiles nouitates, pro antiquis & Catholicis Dogmatibus Orbi Christiano obtrudere, donec suis Catholicis* Venetis, *eos nouitatis falsique arguentibus, hac in parte satisfecerint.*

(***)

CANDIDO

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI.

ETsi non diffido pium quemque & candidum lectorem, siue meum in hac Præfatione consilium expendat, vbi de Puritanis *verba facio; siue operis Epilogum, vbi professionis meæ Principes compello, facilè iudicaturum* Puritanorum *nomine non alios intelligi, quàm populares & subditos, qui sub Imperio meo degentes, Legum imperijs reluctari animis obstinauerunt;* Ecclesias *autem apud exteros* Reformatas, *earúmue regimen non designari: Ne tamen inuidus quisquam aut maleuolus aliorsum atque ego sentio verba mea interpretetur, hoc te paucis, Benigne Lector, monitum volui; quicquid inibi de* Puritanis *dicitur, de ijs solis accipiendum, qui intra Ditionis meæ fines peruicaci huic se disciplinæ tradiderunt. Mihi enim alioqui est decretissimum, rebus alienis me non immiscere; sed alias* Reformatæ Religionis Ecclesias *Christianæ suæ libertati permittere. Immo tantum abest, de ijs vt durius quid statuam, ob opinionum inter nos de quibusdam capitibus, quorum pleraque omnia sunt* Adiaphora, *dissensum; vt contra existimem, per eam quam* CHRISTVS *nobis commendauit libertatem, Christiano cuique Regi, Principi ac Reip. esse concessum, externam in rebus Ecclesiasticis regiminis formam suis præscribere, quæ ad ciuilis administrationis quàm proximè accedat; dummodo à Fidei veræque Religionis fundamentis nec tantillum abscedat. Absit itaque à me eos vt iudicem, quos* DEVS *à Iurisdictione mea voluit esse immunes; aut in illud committam, quod ab Apostolo sumptum in frontispicio libri huius legitur,*

Non ergo amplius inuicem iudicemus, &c. *Quod quidem de me spondeo; de te, Pie Lector, spero, & cupio.*

Digitized by Google

PROTESTATIO ANTIVORSTIA.

IN QVA REX SVAM EXPONIT SENTENTIAM DE CONFOEDERATORVM Ordinum affectu & actis in causa VORSTII.

DOMINO NOSTRO

ET

SERVATORI

IESV CHRISTO

VERE ΘΕΑΝΘΡΩΠΩ,
ET HVMANI GENERIS
VNI MEΣITH,

HOC GRATITVDINIS SVÆ ΜΝΗΜΟΣΥΝΟΝ,
CONSECRAT
HVMILLIMVS EIVS SERVVS

IACOBVS

DEI GRATIA MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, ET HIBERNIÆ REX,
DEFENSOR FIDEI.

PRO-

Digitized by Google

PROTESTATIO ANTIVORSTIA.

ESSE è præcipuis officij regij partibus, Ecclesiam suis in ditionibus tueri, & hæreses extirpare extra omnem est controuersiam. quo nomine Imperatores Christiani Regésque, & Principes insigni titulorum honore *Custodes ac vindices vtriusque tabulæ, & nutritij Ecclesiæ* salutari consueuêre. Sed quid iuris sit Principi in alienâ Republ. vbi hospiti non licet esse curioso, religionis negotio se immiscere, non vacat quæstione; de quâ iam nobis agendum est. Quùm solo diuinæ gloriæ zelo accensi (ipsum testamur, qui renum & cordium scrutator est) apud Illustrissimos fœderatarum prouinciarum Ordines de infælici hæretico, vel potius atheo, Doctore Conrado Vorstio è finibus suis eijciendo sæpe & multùm egissemus, à cacostomachis hominibus, quibus mos est salubria alimenta in vitiosos & noxios humores vertere, malè acceptum est consilium nostrum, & in sinistram partem detortum; quasi inanis cuiusdam gloriolæ, aut sanè libertatis illius Reipubl. sensim labefactandæ studio, hoc negotium tam cupidè arripuissemus. Itaque, vt nostram famam à calumnia vindicaremus, omnésque instituti nostri rationes Christiano orbi notas faceremus; visum est hunc libellum publici iuris facere, in quo acta cum fœderatis Ordinibus in hâc causâ apparerent, & simul causæ quibus ad hoc negotium seriò & suscipiendum & persequendum inducti sumus, & porro faciemus, donec ad optatum aliquem finem Deo Opt. Maximo placuerit omnia perducere.

Proximo autumno cum vlteriores regni tractus pro more lustraremus, exeunte Augusto bini illius Vorstij libri in manus nostras venerunt; *Tractatus Theologicus de Deo*, Domino Mauricio Hassiæ Lantgrauio inscriptus Anno 1610. & in eundem *Exegesis eius apologetica* Fœderatis

deratis ordinibus inſcripta, Anno 1611. his acceptis, & diſputationum primi libri præcipuis duntaxat articulis, vnà cum commentario ſecundi libri in eoſdem, raptim & non ſine horrore perlectis, ita nos diuinæ gloriæ zelus abripuit, vt nec horæ vnius morâ interpoſitâ literas ad legatum noſtrum, Hagæ commorantem, in hanc ſententiam deproperauerimus:

FIDELIS ET DILECTE: *Quam potes feſtinè Ordines conuenito, vt illis noſtro nomine ſignifices nihil dubitare nos, quin per ſuos legatos, quos iam ante biennium dimiſimus, moniti à nobis fuerint, vt prouiderent ne hæreticos & ſeditioſos concionatores in Rempubl. paterentur irrepere. Notabamus præcipuè Arminium, qui etſi paulò ante exceſſerat è viuis, diſcipulos tamen multos ſuperſtites reliquit. Nunc, pro perpetuâ noſtrâ in eorum Rempubl. curâ, omittere non potuimus, quin nouâ cauſâ ſubortâ eos de integro moneamus. Venit nuper in manus noſtras cuiuſdam Vorſtij ſacræ Theologiæ doctoris liber, atheiſmo & blaſphemijs ita refertus, vt pro eâ ſollicitudine, quâ Chriſtianum Principem & defenſorem fidei (quales ſemper nos fuimus) erga Eccleſiam affici oportet, non modo librum flammis cenſeamus vrendum, ſed auctorem quoque ipſum grauiſſimâ pœnâ multandum. hæc cum ita ſint, tantùm abeſt vt hoc Eccleſiæ ſcandalo indoluerint Ordines, vt hominem ad Theologicam cathedram in Academiam Lugdunenſem crebris ſuffragijs vocauerint: quem locum non multò illo melior Arminius, cuius adhuc durat in multorum animis aculeus, nuperrimè tenuit. Cùm igitur appetat S. Michaelis dies electioni deſtinatus & è dignitate noſtrâ & conſcientiâ eſſe arbitremur, huic peſti (quantum in nobis eſt) occurrere, qui Illuſtriſſimis Ordinibus propter religionis communionem nunquam antehac defuimus: volumus nunc ex te reſciant, nihil poſſe nobis accidere ingratius, quam ſi monſtrum illud hominis ad tantum in Eccleſiâ honorem euexerint. Quod ſi prætendant hominem, retractatis iam erroribus, profeſſoriæ dignitatis capacem factum: reſpondebis tantum delictum eâ palinodiâ leuiter nimis expiari, & ſi nos audiant, grauius propterea puniendum, nedum vt eo nomine tantum honorem mereatur. & quanquam ferè nobis perſuaſum ſit fœderatos Prouinciarum ordines ab hac viperâ, vnde & ſchiſmata in Eccleſia & diſcidia in Republ. eueniant, ſatis ſibi per ſe ipſos cauere; ſi tamen primum de illo promouendo conſilium mutare noluerint, tunc illis noſtro nomine denunciabis orbem terrarum ſcripto publico certiorem facturos nos, quantoodio hæreſes illas earúmque defenſores perſequamur. atque vt Illuſtriſſimi ordines rectiùs intelligant, quibus noſtra monitio fundamentis nitatur; te terrimorum errorum, quibus nulla libri pagina vacat vnà cum his * catalogum accipe, & vale.*

* Catalogus iſte hoc in loco de induſtria omittitur, quú præcipua illius capita in alteris noſtris ad Legatum literis repetantur.

NAM

Digitized by Google

NAM cùm eiuſmodi monſtrum hominis, qui ipſam Deitatis eſſentiam ſibi exagitandam ſumpſiſſet, inter eos viuere intelligerem, zelus diuini nominis, & Sociorum noſtrorum amor, quibus & religionis fœdere iuncti eramus, ſynceram hanc nobis expreſſit monitionem; ne peſtis huius contagium, quo non modo ipſorum Reſpubl. verumetiam reliquus Chriſtianus orbis inficeretur, ampliùs ſerpere paterentur: vnde nobis tanto certius denunciabatur periculum, quanto noſtris ditionibus erat vicinius.

Legatus, ſedulò ſatis noſtrum exequutus imperium, prolixè Dominos monuit periculi, quod noui hoſpitis aduentus portenderet. & tum facile illis fuit eo ſeſe expedire, & hominem vnde venerat remittere, cùm necdum Leidam in profeſſoriam domum inductus eſſet, nec vxor cum familiâ eò veniſſet. nam vt vulgò dici ſolet,

Turpiùs eijcitur quàm non admittitur hoſpes.

Nihil tamen apud illos vel Legati induſtriâ vel rei gerendæ oportunitate promotum eſt: nec aliud ab ijs reſponſum impetrari potuit, quàm in hanc ſententiam.

PERCEPTIS, quæ Sereniſſimi Britanniarum Regis legatus & Conſiliarius in conuentu Ordinum xj. Kalend. Octob. ſcripta exhibuit; & rei ſummâ prolixè diſceptatâ, officioſè & ſubmiſſè à Sereniſſimo Rege contendunt, vt ſibi perſuadeat Fœderatarũ Prouinciarũ ordines, cùm contra iniuſtitiã, & tyrannidem, & carnificinam Hiſpanicam, quæ in corpora, fortunas, & conſcientias multis annis graſſata erat, fruſtrà iam omnia ſupplicationum, precum, diuturnæque patientiæ remedia tentaſſent; tandem ad libertatem ſuam, & priuilegia tuenda compulſos fuiſſe ad arma: &, Sereniſſimi Regis aliorúmque Principum & Rerumpubl. implorato auxilio, bellum ex eo diuturnum, difficile, & ſumptuoſum, memorabiles terra marique pugnas, vrbium obſidiones, & ruinas, regionum & ciuitatum vaſtitates, aliáque omnia belli incommoda ſumma in vtrâque fortunâ conſtantia animique moderatione pertuliſſe: Principem autem ſuſcepti geſtique belli cauſam illis fuiſſe

crudele

crudele illud in hominum corpora, fortunas, & animas, Hiſpanicæ inquiſitionis iugum. quo maiore nunc obſequio ſe Sereniſſimo Regi ſentiunt deuinctos, qui, poſt tot amoris conſilij & auxilij documenta, paternâ adhuc eos proſequatur curâ: ac; dum puritati Chriſtianæ reformatæque religionis in noſtris Eccleſiis, & Scholis conſeruandæ tam ſollicitè incumbit; fidem faciat duraturi affectus. quo nomine illius maieſtati gratias agunt, quantas mente complecti valent: & piæ ſinceræque monitioni ita ſe audientes fore ſpondent, ne poßit inde vlla querelæ materia oriri. Quod ad Doctoris Vorſtij negotium attinet, hæc ſe comperiſſe: Academiæ Leidenſis curatores; quùm pro officio ſuo & perpetuâ Academiæ conſuetudine Doctorem Theologiæ exquirerent, qui in cathedram vacuam ſuccederet; inaudiuiſſe Steinfurti ſub Comitibus Bentemienſibus (qui primi in Germaniâ ſuperſtitione & idololatriâ Papatus reiectâ ſyncerã religionẽ, quam etiamnum retinent, amplexi ſunt) quendam Doctorem Conradum Vorſtium, iam decimum quintum profeßionis Theologiæ & miniſterij diuini verbi annum agere; virum ob ſingularem eruditionem, & alias animi dotes à Domino Mauricio, Haßiæ Lantgrauio, Profeſſorem Theologiæ expetitum, & controuerſiis aduerſus famoſum Jeſuitam, Bellarminum, Chriſtianâ modeſtiâ diſceptatis, etiam eorum iudicio olim laudatum, qui nunc ſe capitales illius hoſtes profitentur. his de cauſis illum à curatoribus Academiæ, initio menſis Iulij Anno 1610. inde excitum, miſſis ad Comites Bentemienſes Illuſtriſſimi Principis Mauritij, & Dominorum Holandiæ & Weſtfriſiæ literis: cui vocationi ab hominibus, quorum ea res nihil intererat, menſe Auguſto obuiàm itum eſt. Cum igitur Vorſtius hæreſeôs inſimularetur, viſum fuiſſe curatoribus (nec ipſe refragabatur) vt tum Hagæ, tum Leidæ ſe ſiſteret, & obiecta, quà poſſet, dilueret: neminem tamen vel hîc vel illîc inuentum, qui quicquam aduerſus eum diceret. At Maio ſequente à ſex miniſtris

niſtris aceuſatum fuiſſe; quibus in pleno conuentu Dominorum Holandiæ & Weſtfriſiæ auditis; cum adeſſent Curatores & ſex præterea concionatores; auditis quoque Vorſtij ad ſingula reſponſis, & cauſâ vtrinque fuſè diſceptatâ; Dominos, poſt maturam deliberationem, adhibitis quoque in conſilium (pro illius conuentus more) Concionatoribus, nihil cauſæ inueniſſe, cur reſcinderent aut morarentur, quod à Curatoribus legitimè atque ordine factum eſſet. Auguſto proximo noua accuſationis capita contra Vorſtium excuſa, & in populum vulgata nouæ conſultationi cauſam præbuiſſe: in quâ iuxta diuina & humana iura, & patriam conſuetudinem, decretum eſt, vt his quoque accuſatoribus Vorſtius de integro reſponderet. quo in conuentu ordines Hollandiæ & Weſtfriſiæ, cum Curatoribus Academiæ & Conſulibus vrbis Leidenſis, conteſtatos fuiſſe, nunquam ſibi in mentem veniſſe aliam à reformatâ religione in Scholas admittere, nec Vorſtio illîc locum fore, ſi vel vnius ex obiectis erroribus perageretur reus. ideóque confidere Ordines Holandiæ & Weſtfriſiæ, Magnæ Britanniæ Regem de toto negotio, eiuſque circunſtantijs, & bonâ eorum mente plenè edoctum, pro ſingulari ſuâ ſapientiâ & prudentiâ, & benignitate, quæ ab ipſis facta eſſent omnia æqui bonique conſulturum: præſertim cum à Delegatis ſpes facta ſit, nihil ab Holandiæ & Weſtfriſiæ Ordinibus in hoc negotio, vel alio quocunque agendum, niſi cum debitâ Sereniſſimi Regis eiuſque monitionis reuerentiâ. Vniuerſos interea Ordines ſeriò à Domino Legato petere vt apud Regiam Maieſtatem reſponſo huic gratiam conciliet.

Dat. *Hagæ in conuentu Ordinum Kalend. Octob.* 1611.

VERVM antequam hoc ordinum reſponſum in noſtras manus veniſſet, è Vorſtianis libris nonnulli in Angliam perlati ſunt; nec inſcio (vt fama eſt) aut inconſulto auctore. quo tempore *Bertius*, illius, qui Academiam Leidenſem primus hæreſi infecit, Arminij diſcipulus eò vſque impudentiæ proceſſit, vt literas cum libro ſuo *de Apoſtaſia Sanctorum* ad Archiepiſcopum Cantuarienſem mitteret.

Digitized by Google

ret. nec eiuſmodi librum contentus mittere, cuius ſolus titulus merebatur incendium, literis præterea affirmare non erubuit nihil eſſe in libro, quod cum Eccleſiæ Anglicanæ doctrinâ pugnaret. Nos Eccleſiæ Chriſti iudicandum relinquimus, an præmatura hæc noſtra fuerit diligentia, cùm gangræna non ſolum vicinos noſtros peruaderet, aut proximus tantùm paries arderet, ſed noſtri quoque regni viſcera communi ſollicitarentur periculo. Itaque infælicibus Vorſtij libris in cæmiterio Paulino, & in vtrâque Academiâ publicè noſtro iuſſu crematis, viſum eſt Fœderatos Ordines de Vorſtij exilio iterum interpellare; & literas ad eos dare, Hagæ, in pleno conuentu, nonis Nouembrib. à legato noſtro exhibendas. nam in priore reſponſo hunc diem nobis condixerant. literæ autem hæ erant.

ILLVSTRISSIMI ET POTENTISSIMI DOMINI: *Quùm ex reſponſo ad proxima noſtra poſtulata certiores facti eſſemus, vobis eſſe in animo Comitijs Nouembre habendis de illo Vorſtio certi aliquid ſtatuere: quanquam ante per Legatum noſtra mens vobis ſatis innotuerit, non abs re tamen viſum eſt, & vt pietatis in Deum & ſynceræ in vos charitatis officio fungeremur, veſtram hiſce literis memoriam refricare. Satis arbitramur vobis conſtare nullâ humanâ ratione induci nos, vt in huiuſmodi negotio vobis negotium faceſſamus; ſed quicquid huius factum eſt, id diuinæ gloriæ zelo, & ſcandali omnis ex reformatâ Eccleſiâ purgandi ſtudio factum eſſe. Quòd homini corruptiſſimo in vrbe celeberrimâ domicilium conceſſeritis, non poſſumus non mirari: quod verò Apologiam illam vobis inſcriptam, in quâ priorum omnium blaſphemiarum impietatem recoxit, permiſeritis apud vos excudi, & in populo vulgari, longè præter noſtram expectationem accidit. Nos, à proximis literis ad Legatum noſtrum datis, duos illos Vorſtij libros, priorem Haſſiæ Lantgrauio, poſteriorem vobis inſcriptum, ne de re ignotâ iudicare videamur; legimus; quanquam non ſine horrore; & relegimus. Spes erat ex vitioſo illo ſemine, quod Dei hoſtis Arminius inter vos ſeminauerat (vnde permagna vobis meſſis nunc metitur) aduerſus eiuſmodi hominum peſtes vos factos cautiores; præſertim quùm inde inter vos ſchiſma exortum ſit, cui niſi obuiam eatur, Reipubl. veſtræ ſalus, quæ ſecundum Deum ſolâ nititur concordiâ, in præſentiſſimo diſcrimine verſatur. Verum quidem eſt nullam huius Arminij ad nos famam priùs veniſſe, quàm è vitâ exceſſiſſet: at diſsidio, quod in veſtra Republ. moriens reliquerat, tandem, ſed ſerò intellecto; legatis veſtris, qui ea tempeſtate extraordinarij nobiſcum erant, quid maximè foret è Republ. veſtra ſine mora indicauimus. nec dubito, quin bona fide meo apud vos mandato defuncti*

Digitized by Google

facili lectu, ac quæ ad eos, qui de hac re scribunt, usus non sit obscurus, ac quæ ad eos, qui quæstiones eam tangunt, explicandos, apta & accommodata sit. (2) Deinde illa tantum tum ad rem, tum ad ea, quæ ex ea pendent, explicanda, quæ sunt maxime necessaria, & ad quæ omnia reliqua, quæ in hoc libro continentur, referri possint, & quæ ita sint explicata, ut ea, quæ hoc libro continentur, non sint obscura

mercatoribus frumenti colorem, vel ut Academia Lindenii, qui autor mihi erat, nuncupatis pellis siccitas, dicebantur. Sed mihi non permittitur & personam non meam Deus Opt. Max. sui regnis contra extremos nobis hostes adesse, qui Romanæ sedis Pontifici nomen dant, quibus nobis pacis tranquillitas, & Ecclesiæ reformatio, quæ nostra cura videbatur habenda, parandi ad bellum & armamentum nostrum præsidia. Quibus laboribus & curis nostris quantum Christus consentaneus esse velit? Ego ne sciam? Amicis.

TACOBUS REX.

Dabantur exemplo mihi: Wilhelmus Princeps Aurantius Decembr. Anno 1611.

Quid autem Legato nostro hic agendum esset, literis in hanc sententiam significavimus.

QUM EX RESPONSO Ordinum ad nullum Pacis Vestræ cum Hispanis tractatum propensum esse animum, & præmiorum ejus causa homini hæreat, quam optimum esse, ut modus tractandi esset, quem ei per literas declarasti, ne Ordines vires ad ferias, priusquam ad illas necessarias esse intelligant, cum sit in consilio celebrando, quantum potest, maxima contractio. Ne hortatus sit, ut ea Ordinum confirmet, confirmet in Gelriam, & ad eam diem & diutius hostem & alio convocet, & cum Hispanis quæ Hispanis quidem ipsis Tractatus fundamenta constituantur. Indicet ejus modi sententiæ suæ, quod ut Serenissimo probare, ea ita breviter & simpliciter, qui nihil non referre ait, proponeretur. Quod si nihil præterea agitaret, ut ejus modi Ecclesiæ & literæ justificatæ, quæ non ante Ordinum sententiam non verò ad finem hic agentem laterent, & prout ea omnia ab Ordinum præsidentibus & cæteris Ordinibus fuisset, & prima quæque eorum deinceps ita scriptum, quod sua ipsa fuerint, & non fide publicæ Ordinum, & quæ ita scripta, non ut pauci ab eis, sed cum eadem omnium voce, & ea deinceps, per literas ita specificare sententias, sed ejusmodi & personas mittat.

Theobaldæ è regia nostra prima Novembr. Anno 1611.

AT TRIVSQUAM appetisset tempus, quo Federatis Ordinibus nullæ literæ cum eadem celebrandæ; rumores in pectoribus hominum hærebant omnia, quam pro diffidentia & odiorum nefarium defervebat. Academiis illis memoratum pabulo aut maxime, quas ex Gallia vetus & libertas Leidæ ita florebat, ut Gallicum, ut, vitio in hanc hoc, cum illæ ex Christiana & modestiæ quæ-

loco,

sio, his verbis testatur: *Quum igitur diuinâ vocatione sic ferente, in eâ vrbe ac prouinciâ sedem fixerim, cúmque domo totâ nunc habitem, quæ supremam in terra iurisdictionem vestram agnoscit, &c.* Legatus igitur noster quum rumorum mendacia astu seminari animaduerteret, quasi noster eo in negotio refrixisset calor; Vorstio verò in vrbe Leidensi domicilium videret concessum, idque inter primæ nostræ monitionis tempus & contentum illum Nonis Nouemb. indictum; statuit continuò cum illo errorum indiculo, vnde tanquam ex vngue leonem agnoscerent, literas nostras exhibere; quibus ipse suas in hanc sententiam præmisit:

SI de vestra Republ. Magnæ Britanniæ Rex Dominus meus bene vnquam meruerit, Viri illustrissimi (quàm bene autem & consilio & ope meruerit vos ipsi grato animo semper agnoscitis) certè hoc tempore optimè videtur mereri, quo per literas eam inter vos religionem nititur in tuto locare, quam reformatæ in Britanniâ, Germaniâ, & Galliâ Ecclesiæ vnanimes recepere. Quid enim Maiestatis suæ interest, si professionem Theologicam in Academiâ Leidensi non adeat Vorstius? aut Arminiana hæresis è templis vestris proscribatur? nisi quod Princeps Christianus Euangelij propagationi, vester amicus Reipubl. vestræ incolumitati studeat; quæ subditorum eius sanguine fundata est, nec stare diu potest, si reformata religio vobis conscijs vel Sophistarum fallacijs elusa fuerit, vel hæreticorum scelere deprauata.

Si igitur Reipubl. vestræ Palladium est religio, cuius puritate nititur vestra securitas, vos ipsos testes appello, quo in discrimine res versentur, cùm ita dominatur in præcipuis Batauiæ vrbibus Arminius, & Vorstius Leidæ in ipso Ecclesiæ vestræ seminario vexillum aduersus Deum proponit, nouam commentus sectã ex antiquis & nouis hæresibus consutã. dixit insipiens in corde suo non est Deus. *at qui pleno ore in Deum blasphemias ebuccinat, & sciens volénsque nihil non impietatis stilo suo permittit; huic præ omnibus hæreticis, qui inde vsque ab exorto Euangelij lumine è tenebris emerserunt, sine controuersia palmam scias deberi. Sed ne quis dubitationi superfit locus, accipite, quæ Serenissimus meus Dominus sua manu è libris eius excerpta vobis in gustum propinat.*

EX VORSTIANIS ANNOTATIONIBVS.

CÆterum nihil vetat Deo *etiam corpus ascribere, si vocabulum corporis in significatione latiore sumamus.* Pag. 210.

Non satis igitur circumspectè loquuntur, qui Deum *vt essentiâ, sic etiam voluntate prorsus immutabilem esse affirmant.* Pag. 212.

Pag. 232. *Nusquam scriptum legimus, Dei substantiam simpliciter immensam esse. immò non pauca sunt, quæ contrarium sensum habere videntur.*

Pag. 237. *Magnitudo nulla actu infinita est, ergo nec* Deus.

Pag. 308. *Et sanè si omnia, & singula rerum euenta, præcisè & ab æterno definita fuissent, nihil opus esset continuâ rerum inspectione & procuratione, quæ tamen Deo passim tribuitur.*

Pag. 441. *Plenius tamen respondere videntur, qui certam quidem in genere vniuersalem Dei scientiam esse docent. Sed ita tamen, vt plures certitudinis causas in visione præsentium ac præteritorum, quàm in visione futurorum contingentium agnoscant.*

Pag. 171. *Omnia etiam decreta, quæ semel apud se præcisè definiuit, vno modo & actu, post factam definitionem accuratissimè nouit: sed de alijs omnibus, & singulis quæcunque sunt. & fiunt seorsim & per se consideratis, hoc affirmari non potest; quippe quæ non modò successiuè in tempore, verum etiam contingenter; & sæpe conditionaliter existunt.*

EX APOLOGIA.

Pag. 38. *PAter peculiarem quandam entitatem, seu quasi limitatam, & restrictam essentiam habere putandus est.*

Pag. 43. *Vnde porrò non difficulter efficitur etiam interna quædam accidentia in Deo, hoc est, in ipsâ (vt sic dicere liceat) proæreticâ* Dei *mente, ac voluntate, reuerâ existere.*

In Cap. 16. periculosè dissentit à receptâ sententia Theologorum de omnipræsentia Dei.

In Cap. 19. pag. 99. attribuit Deo magnitudinem, & quantitatem. *Talia sunt istius magni Theologi dogmata, quem ad primæ cathedræ honorem communibus suffragijs accersistis. de qua impietate nihil aliud dicturus sum, quàm quod in simili causa à Romano Oratore dictum est*: Mala est & impia consuetudo contra Deum disputandi, siue seriò id fiat siue simulatè.

Nunc vt ad vos veniam, Viri illustrissimi, & Regis Domini mei imperium exequar, ego vos per mutuæ illius amicitiæ vinculum, quo cum illius ditionibus vestræ prouinciæ hactenus connexæ fuerunt, quod ille sanctum teclúmque semper præstabit, oro atque obtestor, vt tandem experrecti hoc ipso in conuentu videatis,

videatis, nequid Respub. detrimenti capiat: quæ seriùs, ocyùs, proculdubiò euertetur, ni pestem hanc, quam in sinu alitis, è ditionibus vestris primo quoque tempore proscribatis. Ille à discipulis Socini, cuius doctrinam penè cum materno lacte suxit, iam Magister expetitur, & summo desiderio expectatur. auolet hinc ad aues concolores. at ex Academiâ vestrâ Leidensi S. Theologiæ studiosi quinquaginta sex à Dominis Holandiæ petierunt, ne pro imperio Professor induceretur, qui Basilienſium & Heidelbergensium Theologorum literis, & suæ scriptionis testimonijs plurimarum hæreseon compertus esset. Speramus igitur grauissimis hisce causis æquâ expensis lance; Vorstij multiplici hæresi; Regis æquissimâ postulatione; vestrarum prouinciarum ferè omnium petitione; Ministrorum, quotquot Arminium non spirant, submissâ supplicatione; facturos Holandiæ Dominos, quicquid & Religionis syncritas & patriæ vtilitas præscripserint. Est prætereà, quod Sereniſsimi Regis nomine à vobis petam, vt, certâ fidei formulâ prouincijs vestris omnibus iniunctâ, frænetur nimia hæc disputandi licentia; vnde nihil expectetis, nisi ciuium dissidia, & distractæ Reip. factiones: illam autem prophetandi libertatem, quam in Antibellarmini sui præfatione vobis inscriptâ tantopere vrget Vorstius, penitus è medio tollatis. Vos denique; qui iam olim pro conscientiarum vestrarum libertate arma sumpsistis, bellúmque difficile & cruentum quadraginta annis ob Euangelij amorem pertulistis, & omnibus pietatis officijs hactenus defuncti estis; orat Sereniſsimus Rex, vt etiam atque etiam caueatis, ne Arminiani vestræ cognitionis præiudicio freti impiam illam doctrinam de Apostasiâ Sanctorum in orbem terrarum fidenter euulgent. Quanti semper Maiestas sua vestram amicitiam fecerit docent fœdera vobiscum inita, docent crebra ad vos è suis regnis transmissa auxilia, docet sanguis suorum ciuium in vestrâ causâ vbertim profusus. Vnicum huius amicitiæ glutinum est religionis communio: cum defensor fidei ipse sit; quo titulo magis se æstimat, quàm regno Britanniæ; patronum se eorum omnium profitetur, qui se eiusdem religionis & fidei profitentur consortes.

At si semel vester zelus feruórque hic intepuerit, vestram pariter erga se & suos subditos amicitiam refrixisse suspicabitur. Hæc Domini mei iussu ijs addenda erant, quæ ipse suis ad vos literis complexus est. Vos rem totam eâ, quâ valetis, mentis acie expendite, & quod è Ditionum vestrarum dignitate & bono esse iudicabitis, id bonis auibus definite.

LEGATO NOSTRO, interiectâ multorum dierum & hebdomadum morâ frigidè & ambiguè in hanc ferè sententiam responderunt *se, perlectis literis nostris quæ pridie Non. Nouemb. redditæ essent, & ponderatâ Legati postulatione, gratias nobis agere quàm maximas; quòd & prouinciarum & religionis reformatæ incolumitatem eâdem semper curâ & sollicitudine prosequeremur. Quòd verò ad articulos illos Vor-*

ſtio obiectos; Academiæ Leidenſis Curatores, poſt ſeriam Ordinum conſultationem, decreuiſſe, vt ab omni profeſſoriâ functione abſtineret Vorſtius; Leidæ intereà communi ciuium iure domicilium haberet. Quod ſi antè, vel in proximo Dominorum Holandiæ & Friſiæ conuentu qui proximo Februario futurus eſſet, ad obiecta non reſponderet Vorſtius; tum verò vniuerſos Ordines confidere ex noſtri animi ſententia Dominos Holandiæ & Friſiæ ſententiam dicturos: ſeſe intereà, quum abſque vrbium principum & prouinciarum offenſa nihil aliud eo tempore fieri poſſit; à Legato noſtro ſeriò petere, vt de meliore nota, & prout ipſe intelligeret bono eorum publico maximè conducere, hoc ipſorum reſponſum nobis commendet.

Veritus itaque Legatus, ne reſponſo hoc tam frigido nos parum acquieſceremus iudicauit iam tempus veniſſe, quo ad vltimum illud deploratæ cauſæ remedium confugeret. cætera omnia, quæcunque à nobis in mandatis haberet, iam eſſe peracta; & cum tot ampliationes, & frigida reſponſa eſſent inſtar repulſæ, nihil iam reſtare, niſi vt noſtram illis proteſtationem denunciaret: quod ille in publico eorum conuentu his verbis fecit:

NOtant antiquitatum Gallicarum ſtudioſi, illius gentis aduocatos ab aliquâ ſacræ ſcripturæ ſententiâ cauſæ dictionem ſolitos ordiri: id mihi nunc vſu venit, Illuſtriſſimi; meáque hæc erit ſententia: Si peccauerit in te frater tuus, argue eum inter te & ipſum ſolũ. ſi audierit te, lucratus es fratrem tuũ: ſi non audierit te, adhibe vnum atq; alterũ, vt in ore duorũ vel trium ſtet omne verbũ. ſi non audierit eos dic Eccleſiæ. *Neminẽ eſſe opinor in hoc conſeſſu, qui non vltro agnoſcat Regis Domini mei in procurandis ditionum veſtrarum commodis fraternam beneuolentiam, atq; in hâc Reipubl. ſtabiliendâ paternam ſollicitudinem. vnde etiam factum eſt, vt non ſine dolore acceperit Conradum Vorſtium, tam multiplicis hæreſeôs teſtibus omni exceptione maioribus conuictum, ad profeſſionem Theologicam Dominorum Holandiæ decreto accerſitum; quando ea res cum manifeſto Eccleſiæ reformatæ & ſuæ Maieſtatis dedecore coniuncta eſſet. Itaque vt innumera, quæ inſecutura eſſent mala, maturè ſatis anteuerteret, per literas mihi iniunxit (quod ij Kalend. Octob. exequutus ſum) vt ſuo nomine vos orarem, ne illum hominem intra veſtros fines vnquam admitteretis. reſponſum a vobis eſt, negotium illud cum debitâ Maieſtatis ſuæ reuerentiâ tranſigendum.*

Tantum tamen abeſt, vt vlla apud vos fuerit regiæ petitionis verecundia,

vt

Digitized by Google

vt potiùs de industriâ refragati fueritis. in Academiam inuitatus est Vorstius; hospitio comiter exceptus; domicilio & professionis dignitate ornatus. Rex, quamuis elusâ primâ operâ, per literas tamen, suâ exaratas manu, zelique & affectus plenissimas prolixè & grauiter dissuasit, ne vestrum & reformatarum Ecclesiarum honorem atheo admisso Theologo læderetis. Eas literas coram præcipuarum Batauiæ vrbium legatis in vestro conuentu Non. Nouemb. exhibui; nonnullis quoque in eam sententiam regio iussu adiectis. Sex septimanis circiter elapsis à vobis responsum est sed adeò confusè, ambiguè [illegible]; vt facilè appareret nihil minùs vobis in mentem venisse, quàm Vorstium dimittere; receptum Leidæ, & professoriâ dignitate ornatum, fortè, vt Iosepho Scaligero succenturiatus Academiæ posit esse ornamento: fortè, vt priuatim liberè faciat, quod publicè præ pudore non auderet. His de causis nomine & iussu Domini mei protestor, recepto in Academiam Leidensem Vorstio, iniuriam & contumeliam reformatæ Ecclesiæ per vos factam: Protestor fœdus cum Domino meo initum, quod reformatæ religionis communione nitebatur, per vos læsum. Quam indignissimam in Deum & in se iniuriam, quâ sibi & fœderi Britannico Vorstius prælatus est, ægerrimè se ferre non dissimulat: & nisi maturè resarciatis (resarcire autem nisi dimisso Vorstio non potestis) protestationem hanc suam typis se vulgaturum denunciat, vt quantopere Vorstij atheismum & hæreses omnésque impietatis eiusce fautores & patronos oderit Christiano orbi innotescat. Hæc habui in mandatis, quæ nisi exequutus fuissem, tum meo in Deum officio cuius hîc causa agitur, tum Regis optimi dignitati defuissem, qui vt reformatæ religionis puritatem vindicet, nec suo nec liberorum aut subditorum sanguini parciturus est.

QVA PROTESTATIONE factâ, Domini, inito consilio eiusmodi nobis responsum concinnârunt: *licèt hoc Vorstij negotium Serenissimo Britanniæ Regi paulò præter opinionem hoc tempore cesserit, non dubitare se tamen, quin 14. Calend. Martias in conuentu Dominorum Holandiæ res tota ex animi sententia foret transigenda.* Itaque eo responso refocillata nobis spes fuit Dominos Holandiæ, apertis diuinâ misericordiâ oculis, percepturos demum quale excludant Basilisci ouum (nam phaleratis Vorstij verbis verum fit vetus illud, *latet anguis in verbâ*) & prouinciam suam omni illius hæreseôs suspitione absoluturos. Nam Zelandi, Frisijque, quibus Holandorum nonnullos adiungo, ita nouitiam hanc sectam oderunt, vt de eâ exterminandâ apud Holandiæ Dominos sæpiùs contenderint. Certè nobis non minor incessit dolor quàm admiratio, tantam Curatoribus Academiæ Leidensis obductam fuisse ob oculos glaucomam, vt hunc hominem paci conciliandæ & sedandis Academiæ & Ecclesiæ litibus idoneum

crederent: quod Legato quoque Ordinum nobiſcum verſanti ſcribere non dubitârunt. eorum cæcitatem alio argumento conuincere neceſſe non eſt, quam ipſo euentu: exitus acta probat. Siquidem ex quo Vorſtius appulit (quod ſine dolore meminiſſe non poſſumus) plures quam vnquam antehac in eâ Repub. animorum diſtractiones, plura diſſidia euenerunt. teſtantur accuſationes crebræ, & libri aduerſus eum ſcripti illiúſque ad obiecta reſponſiones: teſtantur Profeſſorum Academiæ Leidenſis complurium proteſtationes, & confœderatarum prouinciarum, & vrbium nobis iam dictæ querelæ: vt planè fateri neceſſe ſit, ſi eo conſilio hominem adduxerint, nihil minùs ex voto reſpondiſſe quàm euentum.

FINITA eorum narratione, quæ nobis in hoc negotio cum prouinciarum fœderatarum Dominis acta ſunt, proxima cura eſt rationes ſubdere, propter quas in alienâ Republ. eiuſmodi negotium aggreſſi ſumus. quod obiter à nobis ibi præſtitum eſt, vbi de Vorſtij libris in Britanniam aduectis loquuti ſumus. Tres ibi cauſas inuenias, cur noſtram hûc falcem immittere neceſſe fuerit. Impulit nos zelus diuinæ gloriæ, cui nos noſtráque omnia impendere debemus. impulit charitas in vicinos & fœderatos noſtros. impulit denique iuſtus eiuſdem periculi metus.

Certè ſi de *numero aut naturâ Sacramentorum* nouam litem mouiſſet Vorſtius, ſi *de meritis, de purgatorio, de viſibili Eccleſiæ capite,* aut id genus alijs, quæ inter nos & Pontificios agitantur, ſi *de operibus Dei ad extrà* (vt loquuntur in Scholis) quanquam nec eiuſmodi erroribus inter Fœderatos noſtros cuperem eſſe locum; Si non altiús ille euectus fuiſſet, & ſanctiſſima quæque profano ſtilo ſollicitâſſet; ego vel abſtinuiſſem, vel minore animi contentione cauſam ſuſcepiſſem. Nunc verò quando hic Antijohannes, in cœlos & Dei ſolium profano alarum remigio ſublatus, ſacram illius & ineffabilem eſſentiam, quæ miranda non rimanda erat ſacrilegis quæſtionibus ſollicitat; & *infinitatem*, vnum ex attributis diuinis, cum *immenſitate* quæ nonnunquam creaturis tribuitur, commiſcet; *eſſentiam & ſubſtantiam cum hypoſtaſi* confundit; *primas & ſecundas creationes* inuehit, *mediatas & immediatas*; Deum *quantum* facit & *qualem*; *æternitatem* è ſæculorum periodis componit, & cum *æuiternitate* confundit; Deum inficiatur *actum purum*, & qualitatum expertem, qui nempe *aliquid in ſeipſo diuerſitatis aut multiplicitatis habeat,* & (horreſco referens) *principium cuiuſdam mutabilitatis*; quaſi bellum non Theologiæ ſolum ſed humanis omnibus ſcientijs indixiſſet: neminem hic recuſo iudicem an iuſtis de cauſis videar commoueri vt vel maximè reformatæ religionis profeſſor non forem, ſed latiore vocis vſu Chriſtianus, aut (ſi velis) è Scholâ Platonis Theologus, naturali ſaltem numinis cognitione præditus.

Nunc

Digitized by Google

Nunc vt ad ſecundam cauſam veniamus; licet Chriſtiana charitas omnibus debeatur, proprio tamen iure ad eos pertinet, qui ſunt fidei domeſtici: cum igitur non ſolùm fœdere nobis coniuncti eſſent prouinciarum Ordines, verùm etiam fœderis illius præcipuus nodus eſſet religionis reformatæ communio, monitos ſanè eos oportuit, ne hæreſes tam perniciosas vel germinare in ſuis ditionibus, vel radices agere paterentur; è quibus nihil aliud ſperare poſſent, quàm certum animarum periculum, aliarúmque Eccleſiarum ſeceſſionem, & demum ſuæ quoque Reipub. diſtractiõnem, cuius ſecundum Deum præcipuum foret in concordiâ fulcrum. quod conſilium eo libentiùs ſecuti ſumus, quòd ex ipſis prouincijs nonnullæ, bono exemplo nobis præeuntes, dicam Vorſtio grandem impegiſſent, eiúſque exilium Dominis Hollandiæ pro virili ſuâ parte ſuaſiſſent. Profectò, ſi ex Holandiâ oriundus fuiſſet Vorſtius, vt olim Iohannes Leidenſis; ſatis fuiſſet Dominos imminentis periculi certiores facere, cæteris ipſorum arbitrio permiſſis. at quum alienigena ſit, è peregrinâ gente ad iuuentutem erudiendam accitus, nullum habet naſcendi priuilegium, quin poſſit ab ijs, cum primum viſum fuerit, dimitti. Profeſſionem expende, & dices mecum, mille hæreticos Laicos minore cum periculo in ciuitate tolerari (qui quamdiu neminem ſeducunt nemini nocent) quàm vnum aliquem prauorum dogmatum magiſtrum, qui ſuæ impietatis virus incautæ iuuentuti inſtillet. nam

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu; ——

& quid tandem fiet de riuulis quorum fons eſt corruptus.

Et hinc quoque tertia ratio noſtræ in hoc negotio ſollicitudinis deducta eſt nam ſi per iuuentutem Batauicam vniuerſim ſerperet hæc labes, quàm prope abſumus nos à periculo? non pauci è iunioribus noſtris ſubditis erudiendi causâ in eam Academiam proficiſci ſolent, illam multis nominibus iam diu celebrem, ſed præcipuè quod noſtrâ memoria bina illa literarum lumina habuerit Scaligerum & Iunium. tanto eſt hæreſeos virus corporeo quocunque periculoſius, quanto anima nobilior eſt corpore. ideóque Iohannes Euangeliſta, ſtatim vt Cerinthum hæreticum conſpexit, contagij metu è balneo ſe proripuit. & quanto magis nobis metuendum eſt, ne eandem à Batauis labem contrahat iuuentus noſtra, quum magnus ille Apoſtolus, Chriſto Domino vnicè charus, tantâ ſollicitudine ab hæreticis ſibi cauerit? cuius quoque extat in epiſtolâ interdictum, ne dicas illi, Aue.

Neque verò nos latet, quid à pleriſque pro Vorſtio dicatur: non ſatis intelligi bonum virum, ſed prauis conſequentijs aliorſum ac ſentit torqueri: non eſſe accipienda dogmaticè, quæ diſputat Scholaſticè: & vt concedatur minùs cautè alicubi locutum eum, non eſſe tamen id Vorſtio

ſtio imputandum in hæreſin, ſed accuſatoribus in logomachiam: in nouiſſimis denique operibus ſe à calumnijs ſatis vindicâſſe, & hæreſi omni renunciâſſe.

Sed nos primo effugio reſpondemus, nullam aduerſus illum actionem iure ſequelæ à nobis fuiſſe intentatam; ſed ex ſuis ipſius diſertis verbis hæreſeôs conuictum.

Quod veró attinet ad illam quæſtionum vel (vt ipſe vocat) diſquiſitionum libertatem.; nobis quoque eadem mens eſt, in rebus dubijs, de quibus ſine fidei periculo in vtramque partem ſentire liceat, non permittendam modò, verumetiam probandam eſſe Scholaſticam ἀσκησιν, ſaltem intra ſcholæ parietes. Verùm in præcipuis fidei noſtræ articulis hâc vti dubitandi licentiâ; nec tantum in numinis conclaue, verumetiam in eius eſſentiam per fas & nefas penetrare, & in penitiſsima quæque illius curioſos oculos defigere, vel, quod de Medicis Pantagruelis dicitur, accensâ face in Deum deſcendere, eiuſque eſſentiæ abdita ſcrutari; hæc omnia (fidenter dixero) ad deſtructionem faciunt, non ad ædificationem. quod olim contra eorum hominum curioſitatem, qui neceſſe habebant ſcire quid Deus ante mundum conditum egiſset, vſurpatum ſcimus à D. Auguſtino. Longè alia erat apud Iudæos, dum eorũ pietas adhuc integra eſſet, numinis reuerentia: Illi ſibi moriendum credebant, ſi Deum ſemel aſpicerent. Nec eorum magnus Legiſlator Moſes ſeriâ & ſubmiſsa prece plus apud Deum effecit, quàm vt eius poſteriora videret. Itaque de altiſſimo diuinæ eſſentiæ myſterio nouas quæſtiones mouere, de trinitate, de hypoſtaticâ perſonæ Chriſti vnione vel ſcepticè diſputare, vel etiam à receptis in Eccleſiâ loquendi formulis; quæ temporum ſucceſſione, & quatuor primorum conciliorum decretis, & fidei ſymbolis inualuerunt; nunc diſcedere, & noſtras phraſes, nouas, inauditas, Eccleſiæ obtrudere omnino non licet. De his perinde eſt dubitare & contrarium ſtatuere. omniſque eiuſmodi diſquiſitio pœnam meretur inquiſitionis. *Non eſt bonum ludere cum Sanctis, multo minus ergo cum Deo.* E primis eſt carminibus, quæ pueris noſtris proponuntur diſcenda,

Mitte arcana Dei cœlúmque inquirere quid ſit.

parum videtur referre, ſiue dixeris; hęc fœmina eſt meretrix: ſiue probabilibus argumẽtis ſuaderi poteſt fœminam hanc eſſe meretricem. neque Vorſtius, opinor, prò amico illum haberet, qui diceret; valde eſt hoc controuerſum, an peſtifer hæreticus ſit Vorſtius & iam infernali debitus ſupplicio. non quod tam acerbè de illo ſtatuendum ſit, ſed quòd non deſint idonea argumenta, quibus hoc ſatis fiat probabile. Natura hominis inde vſque à primorum parentum lapſu libertatem arbitrij amiſit, &, pronis in malum mortalibus, ne vmbra quidem illius relicta eſt præterquàm apud eos, quos Deus ab originalis peccati le-

prà

Digitized by Google

prâ expurgatos merâ ſua gratiâ ſibi conſecrauit. Vnde periculoſæ aleæ plena res eſt, vt vel maximè ſingulis idonea reſponſa ſubiunxeris, nouas haſce quæſtiones proponere. Nam maxima pars hominum, veſtigijs primorum parentum inſiſtentes, naturæ vitio eligunt deteriora: nec ſine cauſa diuinus Poeta Bartaſsius, de Sodomæ exitio verba facieńs, flagitij, quo perijt, etiam nomen reticuit:

De peur qu'en offenſant des ſaincts l'oreille tendre,
Ie ne les ſemble plus enſeigner que reprendre.

Nomine flagitij teneras qui læſerit aures,
Non carpſiſſe ſcelus, ſed docuiſſe putes.

famâ etiam proditum eſt, haud ſcio quam verâ, libros controuerſiarum Bellarmini in Italiâ non permitti vulgo; propterea quod obiectiones eius nimis validæ ſint, reſponſiones autem nimis debiles. quâ tinctură vti etiam aliâ mox dicendâ per quam Vorſtius eſt Bellarmino concolor.

Quod autem fateantur minùs cautè alicubi loquutum eſſe Vorſtium, ideóque meram videri de nominibus controuerſiam: iam reſponſum eſt in myſterijs illis de diuinâ eſſentiâ, de trinitate, de Vnione hypoſtaticâ naturarum in Chriſto, &c. non eſſe culpæ immunes, qui à perpetuâ Eccleſiæ conſuetudine, & receptis loquendi formulis diſcedunt. Linguâ Canaanis vti debet, qui de Canaane loqui velit. in filios Aaronis ſeuerè animaduerſum eſt, quód peregrinum ignem ad altare Domini ferre auſi eſſent. minore quoque quàm vnius literæ diſcrimine (inter *Siboleth* & *Shiboleth*) poterant decem tribus Iſraëlis ſuos hoſtes internoſcere. & vnius elementi differentiâ inter *homoouſion* & *homoiouſion* ſeparabantur in Oriente Orthodoxi ab hæreticis.

Quòd attinet ad vltimum illud effugium, quòd in nouiſſimis libris obiectas calumnias ſatis purgauerit Vorſtius, & nuncium miſerit hæreſibus: Nos à Dominis obnixè petimus, vt ſeriò & penſiculatè in proximis Comitijs examinent, quibus ſe coloribus excuſet, quo ſcribendi genere vniuerſim vtatur. apparebit enim quo ſpiritu ſcribentis manus agatur.

Nam vt à præfatione *Chriſtianæ & modeſtæ reſponſionis* initium faciamus; quæſtiones illas, quarum ſuprà meminimus, non pluris facit, quàm diſſertationem de caudâ canis Tobiæ. In ſecundâ præfationis eiuſce pagellâ hæc verba habentur:

Omnis homo eſt mendax, immo vanitate ipſa vanior, ſolus verò Deus eſt verax. Quod cum in omnibus magni momenti negotijs, tum maximè in ſanctiſſimâ fidei causâ humiliter nobis ſemper agnoſcendum eſt. ne videlicet quidquam, quod primâ fronte

fronte nobis nouum, immò falſum & abſurdum videatur, facilè damnemus, nec contrà, quicquid vulgò receptum eſt (in rebus præſertim abſtruſis, ac perplexis, nec tamen ad ſalutem, ſcitu neceſſarijs) & quidem cum opinione præciſæ neceſſitatis, ſtatim approbemus. In his talibus, ſi quis Regem aut Principem, alioqui pientiſſimum, immo Reges & Principes eiuſmodi complures (addo & Epiſcopos, ſeu Doctores Eccleſiæ non diſſimiles) aliquantulum errare dixerit, nihil opinor aduerſus Regiam Maieſtatem, nihil aduerſus Principum aut Epiſcoporum dignitatem, reuerâ peccauerit; modò ſemper rationes ſuorum dictorum modeſtè reddere paratus ſit.

Quibus verbis duo aſtruit; primum, omnem hominem eſſe mendacem, idque non minus in rebus fidei quàm cæteris. ſecundum, neque probandum ſtatim quod communiter receptum eſt, nec continuò reijciendum, quod iam primùm eſt excogitatum: ita euenire, vt vetuſtæ opiniones & omnium ſeculorum conſenſu firmatæ ſubinde antiquari debeant, & in earum locum ſuccedere nouæ, peregrinæ, & quæ primo aſpectu abſurdæ videantur. Iam obſeruandum eſt non fuiſſe huic homini leuia errata, aut σφάλματα μικρότερα obiecta, quæ nec cogitanti poterant excidere; ſed horrenda illa, nobis ante commemorata, & alia nihilo illis meliora, quæ ipſam Chriſtianæ fidei acropolim ſubruunt. Vnde neceſſariò efficitur, in hac eius excuſatione illa ipſa intelligi, quæ in accuſatione illi obiecta ſunt. At Chriſtianorum nemo (quod diuinâ gratiâ fauente cum de nobis tum de Pontificijs licebit ſperare) in prima hæc Chriſtianæ religionis principia vnquam impinget: ſaltem pro vno è Regibus illis, quos ibi generatim nominat, ego meam (cum Deo) fidem interponam. Cæterùm propter hanc nouarum opinionum mercem, quam Chriſtiano orbi tam cupidè extrudit, nihil eſt cur antiqua Eccleſiæ fides, tanquam exoleta veſtis, aut formæ aut materiæ reſpectu mutari debeat.

Præterea, tertia præfationis pagina his verbis vtitur: *Sed neque plures vno aliquo ſemper hîc ditiores ſunt. nemo igitur vnus ſibi arroget omnia, nec numero plures vni alicui ſingulare quicquam inuideant.* Ipſiſſimum Anabaptiſtici erroris fundamentum; quo omnis ex Eccleſiâ politia proſcribitur. euersà enim Papæ Monarchiâ continuò Ariſtocraticam quoque & Democraticam poteſtatem exterminant: contrà quàm præcipit Apoſtolus, vt Spiritus Prophetarum ſubiecti ſint Prophetis. nam ſi vni homini hoc ſibi arrogare fas ſit, quo iure obſecro à ſynodicis, Nationalibus, vel etiam Oecumenicis concilijs redargui poterit? Dicet enim:

Digitized by Google

enim: nihil eſt vobis, Domini, in me iuris; quia ego ſingulare quiddam ſupra vos omnes habeo. Quinta autem pagina ſic loquitur: *Planiſſimè enim perſuaſus ſum, Sereniſsimo Regi nunquam in animo fuiſſe, nunquam in animo fore, alienæ conſcientiæ (quod ne Apoſtoli quidem ſibi vnquam arrogarunt) ſiue directè ſiue indirectè ſiue per ſeipſum, ſiue per alios vllatenus dominari, vel fidem noſtram vlli humanæ authoritati allegare velle.* quibus verbis ipſius indicio conuincitur Eccleſiam non agnoſcere eorum, qui ipſi obiecti ſunt, errorum arbitram. Nempe homini nimis notum erat certas credendi loquendíque formulas de prædictis myſterijs per conſequentias è ſacris literis iam olim fuiſſe ab Eccleſiâ ſtabilitas. & hæc vnica ratio eſt, cur in his omnium mortalium iudicium defugiat. inde eſt quod præfationis pag. 7. ſuam illam Chriſtianam libertatem his verbis tueatur: *Qui quidem humanas deciſsiones à diuinis myſterijs ſatis ſcrupulosè ſegregem; & præſertim in audaces Scholarum hypotheſes, pro Chriſtianâ libertate, interdum diligentiùs inquiram*; quaſi nimia fuiſſet Scholaſticorum Theologorum audacia, articulos Chriſtianæ fidei ab Eccleſiâ acceptos explicuiſſe. nos hac in re verè illi poſſumus reponere, quod Bellarminus alicubi de Caluino: Vtinam ſemper ſic erraſſent Scholaſtici. Quis enim illos in Chriſtianæ religionis principijs tractandis non omni laude dignetur? vel vnus Aquinas contra gentes teſtis ſit. At in illis controuerſijs, vbi palpo feriendus erat Pontifex, & apoſtatantis Eccleſiæ traditiones & conſtitutiones nouitiæ erant fulciendæ; ceſſerunt (proh dolor) tempori; & myſterio iniquitatis, quod tum ad incudem calebat, omnia labefactata fuere ingenia. Porro Chriſtianam libertatem non alio conſilio vrget Vorſtius, quàm vt illius obtentu faciliùs Chriſtiano orbi det verba. nam in ſacris literis Chriſtiana libertas aut de rebus adiaphoris tantum intelligitur, aut legis humanarúmque traditionum ſeruituti opponitur. quo ſenſu Paulus loquitur epiſtolâ ad Coloſſenſes: *quare oneramini ritibus?* at Chriſtianæ libertatis prærogatiuâ abuti, vt de altiſſimis, & ſacratiſſimis diuinarum rerum myſterijs nouæ hæreſeôs venenum orbi propines, arrogantiæ eſt & nequitiæ nimiùm effrænis. de quo genere. Paulus denunciat; *licèt nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquàm quod euangelizauimus vobis anathema ſit.* & D. Iohannes nobis interdicit, ne *Aue* dicamus ei, qui aliam doctrinam apportauerit vt iam dictum eſt.

Vt conſtet autem nouarum opinionum artificem eſſe Vorſtium, quo in genere ſingularis videri nimium quantum deſiderat, legatur locus paulò ante hunc quem citauimus; vbi de nouo illo nomine *puri putíque Euangelici* mirificè gloriatur. quanquam puri hominis vocabulum nunquam non in Eccleſia ſuſpectum fuerit. nam inter veteres hæreticos ſunt, vt inter Anabaptiſtas Puritani, à quibus, qui in

noſtris

noſtris regnis terſi nimium mundíque haberi volunt, & ſuâ abrepti vertigine politiæ Eccleſiaſticæ refragantur, nomen ſuum mutuati ſunt. Euangelicorum verò appellationem licèt noſtræ religionis homines non vna in regione ſibi aſſumpſerint; neſcio tamen quo fato in quibuſdam Hungariæ & Bohemiæ tractibus maximè vigeat, vbi innumeri viuunt ſectarij ſolo contra Papam odio concordes. Sacra ſcriptura in actis Apoſtolorum nos Chriſtianos nominat, & primitiua Eccleſia Catholicos & Orthodoxos. Suſpecta eſt hæc in Vorſtianâ religione noui nominis affectatio. nec dubium eſt eo id conſilio fieri, vt ſuos ab Orthodoxis noſtræ religionis Profeſſoribus primò diſcriminet, deinde diuellat. propoſuiſſe enim ſibi in iſtis nouitatibus conſtantiam, neque eorum quæ ſcripſit quicquam retractare, id ex vltimâ præfationis pagellâ perſpicuum eſt, vbi ſic ait. *Opinor enim ipſe (vt magni illius Eraſmi verba hîc æmuler) in libris meis nihil reperiri, quo deterior quiſquam reddi poſſit.*

Sequitur ipſe liber, eiuſdem cum Præfatione furfuris, & (vt verbo dicam) dignum patella operculum. Ita enim diſtinctionibus & Sophiſticis effugijs, *quodammodo, quadam tenus, in meo ſenſu*, alijſque id genus refertus eſt, vt hâc quoque tinctură Bellarmino concolor ſit Vorſtius. Atqui Deus eſt Vnitas ipſa, & veritas eſt vna, cuius quoque oratio ſimplex dici conſueuit. Vorſtio ratio excogitata eſt, qua Veritas duplex dici queat. Duo eius libri loca viſum eſt adducere, è quibus cætera cognoſcas. primum è pagina 12. his verbis: *Argumenta quæ adferuntur à Patribus, vel à recentioribus Theologis pro æternâ Chriſti generatione aut fallacia ſunt aut friuola.* his verbis vſum ſe non negat; ſed quomodo acculationem declinat? nimirum adſuto ſyncategoremate, *quædam argumenta &c.* Nunc aduertat candidus Lector, quo pacto ille reiectis quibuſdam illis Patrum argumentis, quibus æternam filij generationem è ſacris literis confirmant, tàm ſollicitè ſibi caueat ne vel de ſuo, vel aliunde quicquam ad eam rem probandam valentius adferre videatur. neque aliter in totius libri decurſu ſe gerit. nam hoc exempli vice tantum adferimus. In 2. loco mordicus negat dixiſſe ſe, *metum, & deſperationem in Deum cadere. nam metum* (inquit) *& deſperationem ne quidem vſpiam nominaui.* verba eius ſunt pag. 8. Si quis tamen alterius libri pag. 114. & 450. inſpexerit, de duobus hiſce duas ſatis prolixas diſſertationes inueniet. hîc ille, quum quo ſe tueretur non haberet, impudenter negat, quod ſine turpitudine fateri non potuit. verùm vt de Sophiſtico hominis ingenio & tergiuerſationum fallacijs rectiùs iudicent candidi lectores, è *Chriſtianâ eius & modeſtâ reſponſione* phraſes quaſdam ſelectas quaſi in tabellâ ſpectandas propoſuimus.

Digitized by Google

¶ 1 Estne Deus essentialiter immensus, & vbique præsens?

NVsquam [a] disertè scriptum est, substantiam Dei simpliciter, seu quouis modo immensam & infinitam esse. [a] pag.16.l.16.

[b] Et non pauca in S. Literis occurrunt, quæ contrarium, non dico clarè asserunt, sed tamen asserere videntur. Interim aliud est videri, aliud reuerâ esse. Respondeo tamen ex sensu meo. [b] pag.16.l.23.

[c] Quoad Thesin, seu rem ipsam est. [c] pag.22.l.23.

Tametsi non quoad [d] specialem modum seu [e] hypothesin Scholasticam. [d] pag.4.l.19. [e] pag.22.l.26.

[f] Quæ tamen falsa non est, verùm aliquatenùs hactenus infirmius asserta, & sic aliquatenùs dubia. [f] pag.23.l.1.

¶ 2 Estne in Deo quantitas?

Est, sed non [g] physica. [g] pag.2.l.28.

Verum [h] hyperphysica. [h] pag.23.l.12.

Attamen [i] nobis planè imperceptibilis, & merè spiritualis. [i] pag.2.l.29.

¶ 3 Estne Deus infinitus?

[k] Omnia Entia certam & definitam essentiam habent, id quod Deo ipsi aliquatenus aptare licet. [l] Deum quolibet sensu rectè infinitum dici non posse, quum infinitudo illa quæ definitioni certæ opponitur in Deum reuerâ non cadat. [k] pag.3.l.16. [l] pag.3.l.18.

¶ 4 Estne Deus in aliquo loco?

Est, [m] sed non physico; [m] pag.3.l.22. 23.

Verum in spatio abstractissimè sumpto, quod Deus suo diuino modo adimplet.

¶ 5 Estne Deus corporeus?

Propriè loquendo [n] minime corporeus est. [n] pag.3.l.34.

[o] Sed tamen nihil absurdi erit, si Deo (impropriè loquendo) corpus ascribamus, [p] nempe quatenus vocabulum Corporis impropriè & latissimè pro verâ substantiâ non prorsus [q] absurdè sumitur, iuxta [r] latam significationem, quæ figurata, & impropria seu mauis catachrestica est. [o] pag.15.l.6. [p] pag.4.l.3. [q] pag.15.l.14. [r] pag.15.l.10. & 3.

¶ 6 *Estne* Deus *compositus è materiâ & formâ ?*

a pag.5.l.3. *Nullo modo* a *propriè loquendo. Est tamen in sensu quodam improprio, vel, si mauis, per* [illegible] *quandam per quam vocabulum Corporis, item quasi materiæ & formæ, seu quasi compositionis ex genere & differentiâ, aliquando eidem attribui posse non immeritò alicui videatur.*

¶ 7 *Estne* Deus *immutabilis, vt essentiâ sic voluntate?*

b pag.15.l.15. *Non est vt essentiâ sic voluntate;* b *id est, non est æqualiter.*

¶ 8 *Estne* Deus *subiectus accidentibus ?*

c pag.7.l.8. c *Non vllis veris.*

d pag.7.l.9. d *Tametsi per liberam voluntatem quædam accidentia latissimè sic dicta, tum ad se, tum in se recipit* Deus.

¶ 9 *An* Deus *per discursum conijcit de futuris ?*

e pag.7.l.14. f pag.8.l.9. g pag.7.l.22. *Interdum,* e *aliquatenus,* f *discursum quendam instituit & quasi de incertis conijcit, sed* g *impropriè & metaphoricè, citraque omnem imperfectionem.*

h pag.8.l.2. h *Conijcit autem non coniecturâ qualis hominum esse solet, sed planè diuinâ.*

¶ 10 *Affectus amoris, odij, &c Deóne propriè attribuuntur?*

i pag.8.l.16. *Propriè; sed* i *vt pro veritate potiùs, quàm pro vsitatâ nobisque notâ proprietate accipiendum sit.*

k pag.9.l.1. k *Nulli affectus cum humanâ infirmitate coniuncti propriè Deo attribuuntur; verè tamen, & suo modo propriè, hoc est, pro suæ, non pro naturæ nostræ proprietate.*

¶ 11 *Pater habetne peculiarem quandam, seu quasi restrictam essentiam ?*

l pag.21.l.13. *Vox* l *essentiæ, perinde vt Entis, amplissimam significationem habet, & sic nihil omninò vetat vtramque non minus ad personas diuinas, quàm ad ipsam Deitatis naturam in sano sensu referri.*

¶ 12 *Suntne Patrum argumenta friuola, pro æternâ Christi generatione ?*

m pag.14.l.3. *Siquidem vnica vox* m *(quædam) ab initio inseratur, argumenta*

Digitized by Google

gumenta à Patribus hactenus aptata, aut fallacia, aut friuola sunt.

¶ 13 *Estne in Deo visio præsentium & præteritorum, magis certa quàm futurorum præuisio?*

[a] *Nota modestiam meam in verbo (videntur) opinionem duntaxat probabilem hîc afferri, non autem dogmaticam assertionem.* a Pag. 18.l.19. 20.

Futura [b] *contingentia (comparatiuè loquendo) etiam coram Deo dici possunt minùs certa quam præterita, & præsentia.* b Pag.18.l.29.

Nihil tam absurdum reperiatur, quod his fallaciarum præstigijs defendi nequeat: nihil etiam quod non possit effici è quolibet. Arrius & Paulus Samosatenus, quum Orthodoxæ Ecclesiæ rationibus constricti quò se verterent nescirent, huiusmodi se inuoluerunt fallaciarum nebulis; vt totum hoc genus à veteribus hæreticis scias mutuatum. Id quod ex alio eius libro, cui titulus est *Theses Theologicæ* manifestiùs apparet, quem librum eo consilio feciſſe videtur, vt glaucomam hominibus ob oculos obduceret. easdem enim theses continet, quas in primo libro de Deo & eius attributis, commentario illustrat. ipse theses parum præ se ferunt incommodi, in commentario latent pestiferæ illæ hæreses. ideóque in vltimo libro theses, quæ defendi possunt vulgauit; Commentarium, cui inest venenum, omisit. id quoque in Vorstio iam reo suspectum est, quod in appendice thesibus subiectâ hæreticos recenseat Thesibus suis aduersantes, eos præsertim, qui de diuinitate, humanitate, personâ & officio Christi perperam senserunt, *Ebionitas, Cerinthios, Arrianas, Praxianos, Sabellianos, Marcionitas, Manichæos, Docitas, Appollinaristas, Mennonitas, Suenkfeldianos, Nestorianos, Monotheletas, Eutychianos, Monophysitas, Iudæos, Chiliastas, Papistas: Paulum vero Samosatenũ*, &, qui illi tam in hæresi quam Episcopatu successit, *Photinum* penitus supprimat à quorũ opinionibus Vorstius (vt fama est) parũ recedit.

Cæterùm in illius libelli præfatione ad quinq; accusationis capita sibi (vt fatetur) obiecta breue responsum molitur; quo ille vt forex suo indicio se prodit.

Primum caput est, quòd ex literarum cum hominibus Samosatenianis permutatione illius hæreseôs reus olim factus fuerit: quod se feciſſe non negat; sed in iuuentute; & vt eorum libros consequeretur: postea tamen huius literarij commercij penitus desijsse. Primò igitur libenter ex eo scisciterer, cur in appendice, quâ tot hæreticorum meminit, Samosatenum omiserit, cum ipse fateatur se illius olim hæreseôs in-

Digitized by Google

crederent: quod Legato quoque Ordinum nobiſcum verſanti ſcribere non dubitârunt. eorum cæcitatem alio argumento conuincere neceſſe non eſt, quam ipſo euentu: exitus acta probat. Siquidem ex quo Vorſtius appulit (quod ſine dolore meminiſſe non poſſumus) plures quam vnquam antehac in eâ Repub. animorum diſtractiones, plura diſſidia euenerunt. teſtantur accuſationes crebræ, & libri aduerſus eum ſcripti illiúſque ad obiecta reſponſiones: teſtantur Profeſſorum Academiæ Leidenſis complurium proteſtationes, & confœderatarum prouinciarum, & vrbium nobis iam dictæ querelæ: vt planè fateri neceſſe ſit, ſi eo conſilio hominem adduxerint, nihil minùs ex voto reſpondiſſe quàm euentum.

FINITA eorum narratione, quæ nobis in hoc negotio cum prouinciarum fœderatarum Dominis acta ſunt, proxima cura eſt rationes ſubdere, propter quas in alienâ Republ. eiuſmodi negotium aggreſſi ſumus. quod obiter à nobis ibi præſtitum eſt, vbi de Vorſtij libris in Britanniam aduectis loquuti ſumus. Tres ibi cauſas inuenias, cur noſtram hûc falcem immittere neceſſe fuerit. Impulit nos zelus diuinæ gloriæ, cui nos noſtráque omnia impendere debemus, impulit charitas in vicinos & fœderatos noſtros. impulit denique iuſtus eiuſdem periculi metus.

Certè ſi de *numero aut naturâ Sacramentorum* nouam litem mouiſſet Vorſtius, ſi *de meritis, de purgatorio, de viſibili Eccleſiæ capite,* aut id genus alijs, quæ inter nos & Pontificios agitantur, ſi *de operibus Dei ad extrà* (vt loquuntur in Scholis) quanquam nec eiuſmodi erroribus inter Fœderatos noſtros cuperem eſſe locum; Si non altiús ille euectus fuiſſet, & ſanctiſſima quæque profano ſtilo ſollicitâſſet; ego vel abſtinuiſſem, vel minore animi contentione cauſam ſuſcepiſſem. Nunc verò quando hic Antijohannes, in cœlos & Dei ſolium profano alarum remigio ſublatus, ſacram illius & ineffabilem eſſentiam, quæ miranda non rimanda erat ſacrilegis quæſtionibus ſollicitat; & *infinitatem*, vnum ex attributis diuinis, cum *immenſitate* quæ nonnunquam creaturis tribuitur, commiſcet; *eſſentiam & ſubſtantiam cum hypoſtaſi* confundit; *primas & ſecundas creationes* inuehit, *mediatas & immediatas*; Deum *quantum* facit & *qualem*; *æternitatem* è ſæculorum periodis componit, & cum *æuiternitate* confundit; Deum inficiatur *actum purum*, & qualitatum expertem, qui nempe *aliquid in ſeipſo diuerſitatis aut multiplicitatis habeat, &* (horreſco referens) *principium cuiuſdam mutabilitatis*; quaſi bellum non Theologiæ ſolum ſed humanis omnibus ſcientijs indixiſſet: neminem hic recuſo iudicem an iuſtis de cauſis videar commoueri vt vel maximè reformatæ religionis profeſſor non forem, ſed latiore vocis vſu Chriſtianus, aut (ſi velis) è Scholâ Platonis Theologus, naturali ſaltem numinis cognitione præditus.

Nunc

Digitized by Google

Nunc vt ad ſecundam cauſam veniamus; licet Chriſtiana charitas omnibus debeatur, proprio tamen iure ad eos pertinet, qui ſunt fidei domeſtici: cum igitur non ſolùm fœdere nobis coniuncti eſſent prouinciarum Ordines, verùm etiam fœderis illius præcipuus nodus eſſet religionis reformatæ communio, monitos ſanè eos oportuit, ne hæreſes tam perniciosas vel germinare in ſuis ditionibus, vel radices agere paterentur; è quibus nihil aliud ſperare poſſent, quàm certum animarum periculum, aliarúmque Eccleſiarum ſeceſſionem, & demum ſuæ quoque Reipub. diſtractionem, cuius ſecundum Deum præcipuum foret in concordiâ fulcrum. quod conſilium eo libentiùs ſecuti ſumus, quòd ex ipſis prouincijs nonnullæ, bono exemplo nobis præeuntes, dicam Vorſtio grandem impegiſſent, eiúſque exilium Dominis Hollandiæ pro virili ſuâ parte ſuaſiſſent. Profectò, ſi ex Holandiâ oriundus fuiſſet Vorſtius, vt olim Iohannes Leidenſis; ſatis fuiſſet Dominos imminentis periculi certiores facere, cæteris ipſorum arbitrio permiſſis. at quum alienigena ſit, è peregrinâ gente ad iuuentutem erudiendam accitus, nullum habet naſcendi priuilegium, quin poſſit ab ijs, cum primum viſum fuerit, dimitti. Profeſſionem expende, & dices mecum, mille hæreticos Laicos minore cum periculo in ciuitate tolerari (qui quamdiu neminem ſeducunt nemini nocent) quàm vnum aliquem prauorum dogmatum magiſtrum, qui ſuæ impietatis virus incautæ iuuentuti inſtillet. nam

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu; ——

& quid tandem fiet de riuulis quorum fons eſt corruptus.

Et hinc quoque tertia ratio noſtræ in hoc negotio ſollicitudinis deducta eſt nam ſi per iuuentutem Batauicam vniuerſim ſerperet hæc labes, quàm prope abſumus nos à periculo? non pauci è iunioribus noſtris ſubditis erudiendi causâ in eam Academiam proficiſci ſolent, illam multis nominibus iam diu celebrem, ſed præcipuè quod noſtrâ memoria bina illa literarum lumina habuerit Scaligerum & Iunium. tanto eſt hæreſeos virus corporeo quocunque periculoſius, quanto anima nobilior eſt corpore. ideóque Iohannes Euangeliſta, ſtatim vt Cerinthum hæreticum conſpexit, contagij metu è balneo ſe proripuit. & quanto magis nobis metuendum eſt, ne eandem à Batauis labem contrahat iuuentus noſtra, quum magnus ille Apoſtolus, Chriſto Domino vnicè charus, tantâ ſollicitudine ab hæreticis ſibi cauerit? cuius quoque extat in epiſtolâ interdictum, ne dicas illi, Aue.

Neque verò nos latet, quid à pleriſque pro Vorſtio dicatur: non ſatis intelligi bonum virum, ſed prauis contequentijs aliorſum ac ſentit torqueri: non eſſe accipienda dogmaticè, quæ diſputat Scholaſticè: & vt concedatur minùs cautè alicubi locutum eum, non eſſe tamen id Vorſtio

ſtio imputandum in hæreſin, ſed accuſatoribus in logomachiam: in nouiſſimis denique operibus ſe à calumnijs ſatis vindicâſſe, & hæreſi omni renunciâſſe.

Sed nos primo effugio reſpondemus, nullam aduerſus illum actionem iure ſequelæ à nobis fuiſſe intentatam; ſed ex ſuis ipſius diſertis verbis hæreſeôs conuictum.

Quod veró attinet ad illam quæſtionum vel (vt ipſe vocat) diſquiſitionum libertatem.; nobis quoque eadem mens eſt, in rebus dubijs, de quibus ſine fidei periculo in vtramque partem ſentire liceat, non permittendam modò, verumetiam probandam eſſe Scholaſticam ἀσκησιν, ſaltem intra ſcholæ parietes. Verùm in præcipuis fidei noſtræ articulis hâc vti dubitandi licentiâ; nec tantum in numinis conclaue, verumetiam in eius eſſentiam per fas & nefas penetrare, & in penitiſsima quæque illius curioſos oculos defigere, vel, quod de Medicis Pantagruelis dicitur, accensâ face in Deum deſcendere, eiuſque eſſentiæ abdita ſcrutari; hæc omnia (fidenter dixero) ad deſtructionem faciunt, non ad ædificationem. quod olim contra eorum hominum curioſitatem, qui neceſſe habebant ſcire quid Deus ante mundum conditum egiſset, vſurpatum ſcimus à D. Auguſtino. Longè alia erat apud Iudæos, dum eorũ pietas adhuc integra eſſet, numinis reuerentia: Illi ſibi moriendum credebant, ſi Deum ſemel aſpicerent. Nec eorum magnus Legiſlator Moſes ſeriâ & ſubmiſsa prece plus apud Deum effecit, quàm vt eius poſteriora videret. Itaque de altiſſimo diuinæ eſſentiæ myſterio nouas quæſtiones mouere, de trinitate, de hypoſtaticâ perſonæ Chriſti vnione vel ſcepticè diſputare, vel etiam à receptis in Eccleſiâ loquendi formulis; quæ temporum ſucceſſione, & quatuor primorum conciliorum decretis, & fidei ſymbolis inualuerunt; nunc diſcedere, & noſtras phraſes, nouas, inauditas, Eccleſiæ obtrudere omnino non licet. De his perinde eſt dubitare & contrarium ſtatuere. omniſque eiuſmodi diſquiſitio pœnam meretur inquiſitionis. *Non eſt bonum ludere cum Sanctis, multo minus ergo cum Deo.* E primis eſt carminibus, quæ pueris noſtris proponuntur diſcenda,

Mitte arcana Dei cœlúmque inquirere quid ſit.

parum videtur referre, ſiue dixeris; hęc fœmina eſt meretrix: ſiue probabilibus argumẽtis ſuaderi poteſt fœminam hanc eſſe meretricem neque Vorſtius, opinor, prò amico illum haberet, qui diceret; valde eſt hoc controuerſum, an peſtifer hæreticus ſit Vorſtius & iam infernali debitus ſupplicio. non quod tam acerbè de illo ſtatuendum ſit, ſed quòd non deſint idonea argumenta, quibus hoc ſatis fiat probabile. Natura hominis inde vſque à primorum parentum lapſu libertatem arbitrij amiſit, &, pronis in malum mortalibus, ne vmbra quidem illius relicta eſt præterquàm apud eos, quos Deus ab originalis peccati le-

prà

Digitized by Google

prâ expurgatos merâ ſua gratiâ ſibi conſecrauit. Vnde periculoſæ aleæ plena res eſt, vt vel maximè ſingulis idonea reſponſa ſubiunxeris, nouas haſce quæſtiones proponere. Nam maxima pars hominum, veſtigijs primorum parentum inſiſtentes, naturæ vitio eligunt deteriora: nec ſine cauſa diuinus Poeta Bartaſsius, de Sodomæ exitio verba faciens, flagitij, quo perijt, etiam nomen reticuit:

De peur qu'en offenſant des ſaincts l'oreille tendre,
Ie ne les ſemble plus enſeigner que reprendre.

Nomine flagitij teneras qui læſerit aures,
Non carpſiſſe ſcelus, ſed docuiſſe putes.

famâ etiam proditum eſt, haud ſcio quam verâ, libros controuerſiarum Bellarmini in Italiâ non permitti vulgo; propterea quod obiectiones eius nimis validæ ſint, reſponſiones autem nimis debiles. quâ tinctura vti etiam aliâ mox dicendâ per quam Vorſtius eſt Bellarmino concolor.

Quod autem fateantur minùs cautè alicubi loquutum eſſe Vorſtium, ideóque meram videri de nominibus controuerſiam: iam reſponſum eſt in myſterijs illis de diuinâ eſſentiâ, de trinitate, de Vnione hypoſtaticâ naturarum in Chriſto, &c. non eſſe culpæ immunes, qui à perpetuâ Eccleſiæ conſuetudine, & receptis loquendi formulis diſcedunt. Linguâ Canaanis vti debet, qui de Canaane loqui velit. in filios Aaronis ſeuerè animaduerſum eſt, quód peregrinum ignem ad altare Domini ferre auſi eſſent. minore quoque quàm vnius literæ diſcrimine (inter *Siboleth* & *Shiboleth*) poterant decem tribus Iſraëlis ſuos hoſtes internoſcere. & vnius elementi differentiâ inter *homoouſion* & *homoiouſion* ſeparabantur in Oriente Orthodoxi ab hæreticis.

Quòd attinet ad vltimum illud effugium, quòd in nouiſſimis libris obiectas calumnias ſatis purgauerit Vorſtius, & nuncium miſerit hæreſibus: Nos à Dominis obnixè petimus, vt ſeriò & penſiculatè in proximis Comitijs examinent, quibus ſe coloribus excuſet, quo ſcribendi genere vniuerſim vtatur. apparebit enim quo ſpiritu ſcribentis manus agatur.

Nam vt à præfatione *Chriſtianæ & modeſtæ reſponſionis* initium faciamus; quæſtiones illas, quarum ſuprà meminimus, non pluris facit, quàm diſſertationem de caudâ canis Tobiæ. In ſecundâ præfationis eiuſce pagellâ hæc verba habentur:

Omnis homo eſt mendax, immo vanitate ipſa vanior, ſolus verò Deus eſt verax. Quod cum in omnibus magni momenti negotijs, tum maximè in ſanctiſſimâ fidei causâ humiliter nobis ſemper agnoſcendum eſt. ne videlicet quidquam, quod primâ fronte

fronte nobis nouum, immò falſum & abſurdum videatur, facilè damnemus, nec contrà, quicquid vulgò receptum eſt (in rebus præſertim abſtruſis, ac perplexis, nec tamen ad ſalutem ſcitu neceſſarijs) & quidem cum opinione præciſæ neceſſitatis, ſtatim approbemus. In his talibus, ſi quis Regem aut Principem, alioqui pientiſſimum, immo Reges & Principes eiuſmodi complures (addo & Epiſcopos, ſeu Doctores Eccleſiæ non diſſimiles) aliquantulum errare dixerit, nihil opinor aduerſus Regiam Maieſtatem, nihil aduerſus Principum aut Epiſcoporum dignitatem, reuerâ peccauerit; modò ſemper rationes ſuorum dictorum modeſtè reddere paratus ſit.

Quibus verbis duo aſtruit; primum, omnem hominem eſſe mendacem, idque non minus in rebus fidei quàm cæteris. ſecundum, neque probandum ſtatim quod communiter receptum eſt, nec continuò reijciendum, quod iam primùm eſt excogitatum: ita euenire, vt vetuſtæ opiniones & omnium ſeculorum conſenſu firmatæ ſubinde antiquari debeant, & in earum locum ſuccedere nouæ, peregrinæ, & quæ primo aſpectu abſurdæ videantur. Iam obſeruandum eſt non fuiſſe huic homini leuia errata, aut σφάλματα μνημονικὰ obiecta, quæ nec cogitanti poterant excidere; ſed horrenda illa, nobis ante commemorata, & alia nihilo illis meliora, quæ ipſam Chriſtianæ fidei acropolim ſubruunt. Vnde neceſſariò efficitur, in hac eius excuſatione illa ipſa intelligi, quæ in accuſatione illi obiecta ſunt. At Chriſtianorum nemo (quod diuinâ gratiâ fauente cum de nobis tum de Pontificijs licebit ſperare) in prima hæc Chriſtianæ religionis principia vnquam impinget: ſaltem pro vno è Regibus illis, quos ibi generatim nominat, ego meam (cum Deo) fidem interponam. Cæterùm propter hanc nouarum opinionum mercem, quam Chriſtiano orbi tam cupidè extrudit, nihil eſt cur antiqua Eccleſiæ fides, tanquam exoleta veſtis, aut formæ aut materiæ reſpectu mutari debeat.

Præterea, tertia præfationis pagina his verbis vtitur: *Sed neque plures vno aliquo ſemper hîc ditiores ſunt. nemo igitur vnus ſibi arroget omnia. nec numero plures vni alicui ſingulare quicquam inuideant.* Ipſiſſimum Anabaptiſtici erroris fundamentum; quo omnis ex Eccleſiâ politia proſcribitur. euersâ enim Papæ Monarchiâ continuò Ariſtocraticam quoque & Democraticam poteſtatem exterminant: contrà quàm præcipit Apoſtolus, vt Spiritus Prophetarum ſubiecti ſint Prophetis. nam ſi vni homini hoc ſibi arrogare fas ſit, quo iure obſecro à ſynodicis, Nationalibus, vel etiam Oecumenicis concilijs redargui poterit? Dicet enim:

Digitized by Google

enim: nihil eſt vobis, Domini, in me iuris; quia ego ſingulare quiddam ſupra vos omnes habeo. Quinta autem pagina ſic loquitur: *Planiſſimè enim perſuaſus ſum, Sereniſſimo Regi nunquam in animo fuiſſe, nunquam in animo fore, alienæ conſcientiæ (quod ne Apoſtoli quidem ſibi vnquam arrogarunt) ſiue directè ſiue indirectè ſiue per ſeipſum, ſiue per alios vllatenus dominari, vel fidem noſtram vlli humanæ authoritati allegare velle.* quibus verbis ipſius indicio conuincitur Eccleſiam non agnoſcere eorum, qui ipſi obiecti ſunt, errorum arbitram. Nempe homini nimis notum erat certas credendi loquendíque formulas de prædictis myſterijs per conſequentias è ſacris literis iam olim fuiſſe ab Eccleſiâ ſtabilitas. & hæc vnica ratio eſt, cur in his omnium mortalium iudicium defugiat. inde eſt quod præfationis pag. 7. ſuam illam Chriſtianam libertatem his verbis tueatur: *Qui quidem humanas deciſsiones à diuinis myſterijs ſatis ſcrupulosè ſegregem; & præſertim in audaces Scholarum hypotheſes, pro Chriſtianâ libertate, interdum diligentiùs inquiram*; quaſi nimia fuiſſet Scholaſticorum Theologorum audacia, articulos Chriſtianæ fidei ab Eccleſiâ acceptos explicuiſſe. nos hac in re verè illi poſſumus reponere, quod Bellarminus alicubi de Caluino: Vtinam ſemper ſic erraſſent Scholaſtici. Quis enim illos in Chriſtianæ religionis principijs tractandis non omni laude dignetur? vel vnus Aquinas contra gentes teſtis ſit. At in illis controuerſijs, vbi palpo feriendus erat Pontifex, & apoſtatantis Eccleſiæ traditiones & conſtitutiones nouitiæ erant fulciendæ; ceſſerunt (proh dolor) tempori; & myſterio iniquitatis, quod tum ad incudem calebat, omnia labefactata fuere ingenia. Porro Chriſtianam libertatem non alio conſilio vrget Vorſtius, quàm vt illius obtentu faciliùs Chriſtiano orbi det verba. nam in ſacris literis Chriſtiana libertas aut de rebus adiaphoris tantum intelligitur, aut legis humanarúmque traditionum ſeruituti opponitur. quo ſenſu Paulus loquitur epiſtolâ ad Coloſſenſes: *quare oneramini ritibus?* at Chriſtianæ libertatis prærogatiuâ abuti, vt de altiſſimis, & ſacratiſſimis diuinarum rerum myſterijs nouæ hæreſeôs venenum orbi propines, arrogantiæ eſt & nequitiæ nimiùm effrænis. de quo genere. Paulus denunciat; *licèt nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquàm quod euangelizauimus vobis anathema ſit.* & D. Iohannes nobis interdicit, ne *Aue* dicamus ei, qui aliam doctrinam apportauerit vt iam dictum eſt.

Vt conſtet autem nouarum opinionum artificem eſſe Vorſtium, quo in genere ſingularis videri nimium quantum deſiderat, legatur locus paulò ante hunc quem citauimus; vbi de nouo illo nomine *puri putíque Euangelici* mirificè gloriatur. quanquam puri hominis vocabulum nunquam non in Eccleſia ſuſpectum fuerit. nam inter veteres hæreticos ſunt [illegible], vt inter Anabaptiſtas Puritani, à quibus, qui in

noſtris

noſtris regnis terſi nimium mundíque haberi volunt, & ſuâ abrepti vertigíne politiæ Eccleſiaſticæ refragantur, nomen ſuum mutuati ſunt. Euangelicorum verò appellationem licèt noſtræ religionis homines non vna in regione ſibi aſſumpſerint; neſcio tamen quo fato in quibuſdam Hungariæ & Bohemiæ tractibus maximè vigeat, vbi innumeri viuunt ſectarij ſolo contra Papam odio concordes. Sacra ſcriptura in actis Apoſtolorum nos Chriſtianos nominat, & primitiua Eccleſia Catholicos & Orthodoxos. Suſpecta eſt hæc in Vorſtianâ religione noui nominis affectatio. nec dubium eſt eo id conſilio fieri, vt ſuos ab Orthodoxis noſtræ religionis Profeſſoribus primò diſcriminet, deinde diuellat. propoſuiſſe enim ſibi in iſtis nouitatibus conſtantiam, neque eorum quæ ſcripſit quicquam retractare, id ex vltimâ præfationis pagellâ perſpicuum eſt, vbi ſic ait. *Opinor enim ipſe (vt magni illius Eraſmi verba hîc æmuler) in libris meis nihil reperiri, quo deterior quiſquam reddi poſſit.*

Sequitur ipſe liber, eiuſdem cum Præfatione furfuris, & (vt verbo dicam) dignum patella operculum. Ita enim diſtinctionibus & Sophiſticis effugijs, *quodammodo*, *quadam tenus*, *in meo ſenſu*, alijſque id genus refertus eſt, vt hâc quoque tinctura Bellarmino concolor ſit Vorſtius. Atqui Deus eſt Vnitas ipſa, & veritas eſt vna, cuius quoque oratio ſimplex dici conſueuit. Vorſtio ratio excogitata eſt, qua Veritas duplex dici queat. Duo eius libri loca viſum eſt adducere, è quibus cætera cognoſcas. primum è pagina 12. his verbis: *Argumenta quæ adferuntur à Patribus, vel à recentioribus Theologis pro æternâ Chriſti generatione aut fallacia ſunt aut friuola.* his verbis vſum ſe non negat; ſed quomodo acculationem declinat? nimirum adſuto ſyncategoremate, *quædam argumenta* &c. Nunc aduertat candidus Lector, quo pacto ille reiectis quibuſdam illis Patrum argumentis, quibus æternam filij generationem è ſacris literis confirmant, tàm ſollicitè ſibi caueat ne vel de ſuo, vel aliunde quicquam ad eam rem probandam valentius adferre videatur. neque aliter in totius libri decurſu ſe gerit. nam hoc exempli vice tantùm adferimus. In 2. loco mordicus negat dixiſſe ſe, *metum, & deſperationem in Deum cadere. nam metum* (inquit) *& deſperationem ne quidem vſpiam nominaui.* verba eius ſunt pag. 8. Si quis tamen alterius libri pag. 114. & 450. inſpexerit, de duobus hiſce duas ſatis prolixas diſſertationes inueniet. hîc ille, quum quo ſe tueretur non haberet, impudenter negat, quod ſine turpitudine fateri non potuit. verùm vt de Sophiſtico hominis ingenio & tergiuerſationum fallacijs rectiùs iudicent candidi lectores, è *Chriſtianâ eius & modeſtâ reſponſione* phraſes quaſdam ſelectas quaſi in tabellâ ſpectandas propoſuimus.

¶ 1 *Eſtne Deus eſſentialiter immenſus, & vbique præſens?*

NVſquam [a] *diſertè ſcriptum eſt, ſubſtantiam Dei ſimpliciter, ſeu quouis modo immenſam & infinitam eſſe.* [b] *Et non pauca in S. Literis occurrunt, quæ contrarium, non dico clarè aſſerunt, ſed tamen aſſerere videntur. Interim aliud eſt videri, aliud reuerâ eſſe. Reſpondeo tamen ex ſenſu meo.*

[a] pag.16.l.16.

[b] pag.16.l.23.

[c] *Quoad Theſin, ſeu rem ipſam eſt.*

[c] pag.22.l.23.

Tametſi non quoad [d] *ſpecialem modum ſeu* [e] *hypotheſin Scholaſticam.*

[d] pag.4.l.19. [e] pag.22.l.26.

[f] *Quæ tamen falſa non eſt, verùm aliquatenùs hactenus infirmius aſſerta, & ſic aliquatenùs dubia.*

[f] pag.23.l.1.

¶ 2 *Eſtne in Deo quantitas?*

Eſt, ſed non [g] *phyſica.*

[g] pag.2.l.28.

Verum [h] *hyperphyſica.*

[h] pag.23.l.12.

Attamen [i] *nobis planè imperceptibilis, & merè ſpiritualis.*

[i] pag.2.l.29.

¶ 3 *Eſtne Deus infinitus?*

[k] *Omnia Entia certam & definitam eſſentiam habent, id quod Deo ipſi aliquatenus aptare licet.* [l] *Deum quolibet ſenſu rectè infinitum dici non poſſe, quum infinitudo illa quæ definitioni certæ opponitur in Deum reuerâ non cadat.*

[k] pag.3.l.16.

[l] pag.3.l.18.

¶ 4 *Eſtne Deus in aliquo loco?*

Eſt, [m] *ſed non phyſico;*

Verum in ſpatio abſtractiſſimè ſumpto, quod Deus ſuo diuino modo adimplet.

[m] pag.3.l.22. 23.

¶ 5 *Eſtne Deus corporeus?*

Propriè loquendo [n] *minime corporeus eſt.*

[n] pag.3.l.34.

[o] *Sed tamen nihil abſurdi erit, ſi Deo (impropriè loquendo) corpus aſcribamus,* [p] *nempe quatenus vocabulum Corporis impropriè & latiſſimè pro verâ ſubſtantiâ non prorſus* [q] *abſurdè ſumitur, iuxta* [r] *latam ſignificationem, quæ figurata, & impropria ſeu mauis catachreſtica eſt.*

[o] pag.15.l.6.

[p] pag.4.l.3.

[q] pag.15.l.14.

[r] pag.15.l.10. & 3.

Digitized by

gumenta à Patribus hactenus aptata, aut fallacia, aut friuola sunt.

¶ 13 *Estne in Deo visio præsentium & præteritorum, magis certa quàm futurorum præuisio?*

[a] *Nota modestiam meam in verbo (videntur) opinionem duntaxat probabilem hîc afferri, non autem dogmaticam assertionem.* a Pag. 18.l.19. 20.

Futura [b] *contingentia (comparatiuè loquendo) etiam coram Deo dici possunt minùs certa quam præterita, & præsentia.* b Pag.18.l.29.

Nihil tam absurdum reperiatur, quod his fallaciarum præstigijs defendi nequeat: nihil etiam quod non possit effici è quolibet. Arrius & Paulus Samosatenus, quum Orthodoxæ Ecclesiæ rationibus constricti quò se verterent nescirent, huiusmodi se inuoluerunt fallaciarum nebulis; vt totum hoc genus à veteribus hæreticis scias mutuatum. Id quod ex alio eius libro, cui titulus est *Theses Theologicæ* manifestiùs apparet, quem librum eo consilio fecisse videtur, vt glaucomam hominibus ob oculos obduceret. easdem enim theses continet, quas in primo libro de Deo & eius attributis, commentario illustrat. ipse theses parum præ se ferunt incommodi, in commentario latent pestiferæ illæ hæreses. ideóque in vltimo libro theses, quæ defendi possunt, vulgauit; Commentarium, cui inest venenum, omisit. id quoque in Vorstio iam reo suspectum est, quod in appendice thesibus subiectâ hæreticos recenseat Thesibus suis aduersantes, eos præsertim, qui de diuinitate, humanitate, personâ & officio Christi perperam senserunt, *Ebionitas, Cerinthios, Arrianas, Praxianos, Sabellianos, Marcionitas, Manichæos, Docitas, Appollinaristas, Mennonitas, Suenkfeldianos, Nestorianos, Monotheletas, Eutychianos, Monophysitas, Iudæos, Chiliastas, Papistas: Paulum vero Samosatenũ*, &, qui illi tam in hæresi quam Episcopatu successit, *Photinum* penitus supprimat à quorũ opinionibus Vorstius (vt fama est) parũ recedit.

Cæterùm in illius libelli præfatione ad quinq; accusationis capita sibi (vt fatetur) obiecta breue responsum molitur; quo ille vt sorex suo indicio se prodit.

Primum caput est, quòd ex literarum cum hominibus Samosatenianis permutatione illius hæresêos reus olim factus fuerit: quod se fecisse non negat; sed in iuuentute; & vt eorum libros consequeretur: postea tamen huius literarij commercij penitus desijsse. Primò igitur libenter ex eo scisciterer, cur in appendice, quâ tot hæreticorum meminit, Samosatenum omiserit, cum ipse fateatur se illius olim hæresêos in-

Digitized by Google

ſimulatum? Deinde verò, quo conſilio horum præſertim familiaritatem tantopere affectarit? an vt ad eos refellendos meditatior accederet? Neque hoc ille profitetur, neque procul dubio vnquam illi in mentem venit. nemo, hercle, hoc homine melior foret peſtilentiæ expurgator: ita ſibi à nullo metuit contagio. nec *picem veretur contrectare*, vtcunque illud verum ſit, *qui ambulat in ſole, colorabitur*. Quùm itaque illius animus non fuerit, aduerſus Samoſatenianos armari; quid aliud quæſo ſibi propoſuerit, quàm dignus eâ ſcholâ diſcipulus fieri & ſymmyſtes? quod ipſemet vltimis verbis, quibus hanc accuſationis partem diluit, tantum non fatetur. *non enim* (inquit) *quod multò ſolent, alienis ſenſibus hîc fidendum putaui, aut temerè quicquam in cauſa fidei damnandum.*

Ad ſecundum caput accuſationis reſpondet, Samoſateniorum libros ſuis diſcipulis à ſe eſſe datos; ſalutare ſanè munus. at lepidum nimis eſt aduertere, quâ lege tradiderit; nempe, vt cum iudicio legerent, nec receptam doctrinam temere reſpuerent. vide vt ignobili receptæ doctrinæ epitheto Orthodoxæ fidei auctoritatem eleuat. Belliſſima vero cautio adiecta eſt, ne temere a veteri fide diſcederent: nam & Turca pari pietate Chriſtianum moneret, ne inconſultò & temere muſelmaniſet. quis vnquam Paganos aut hæreticos, niſi hâc præmiſſâ cautione, ad Chriſtianam fidem inuitauit? quis vlli ſuadeat vt Euchariſtię ſacramentum ſumat temere? D. Paulus vnicuique præcipit, ſedulò prius ſe examinet, quàm ad ſaciam illam menſam accedat. longe aliâ monitione magiſter Orthodoxus diſcipulos prȩmunijſſet; in hanc fortè, aut ſimilem ſententiam: ſi perſtat animus execrabiles hoſce libros euoluere, cum horrore eos legite & deteſtatione; eóque tantum fine, vt aduerſus Satanæ præſtigias & dolos vos armetis; diuinâ miſericordiâ quam veſtrâ virtute magis ſubnixi. Deum autem continuò orate, ne à Sanctâ & Catholicâ fide vos in hæreſes abduci patiatur.

Quod ad tertium accuſationis caput non diffitetur Socinianos libros à diſcipulis ſuis vulgatos: ſed ſe conſcio id factum negat. vtcunque eorum non reprehendit aut deteſtatur audaciam; ſed tantum ait illos hęreſin ipſam iureiurando a ſeſe remouiſſe.

Ad quartum caput reſpondens fatetur iam decennium eſſe, cum librum ſcripſit de *Filiatione Chriſti*. (quâ ſolâ inſcriptione author tam ſuſpectus facem merebatur) neque alia illi excuſatio ſuppetit, quàm quòd epitomen ſcripſerit in Bellarminum. non dubitamus, quin animi cauſâ fecerit. Pulcrum hercle commentum. neque vero ex verbis eius iam apparet, quicquam eſſe in eo libro, quod ipſi diſpliceat. tantum dicit non poſſe ex eo libro colligi, quæ ipſius ſit de reipſâ opinio; ſicuti nec ex Bellarminiani operis à ſe factâ epitome. nam ſi libellum damnâſſet, tum ſibi ipſi alio in libro contrarius fuiſſet, vbi ſtatuit nihil eorum, quæ ſemel ſcripſerit, vnquam retractare.

In

In quinto atque vltimo accuſationis capite neque ait neque negat. tantum dicit librum, cui titulus erat Dominicus Lopes (vt quidem nos famâ accepimus) execrabilem & blaſphemum, à ſe pacis ergò ſuppreſſum fuiſſe: & huic libro ſuos non deeſſe patronos, quod ſuo tempore manifeſtum fiet. tantum, ſcilicet, abeſt, vt ſuo calculo librum illum condemnet. Duo hic obſeruanda ſunt: non propter impietatem materiæ, ſed pacis ergò ſuppreſſum librum illum. deinde verò, ſuo tempore rei veritatem emerſuram. Nos hîc cum illo Deum Opt. Max. precamur, vt omnia huius hominis inuenta tandem orbi patefacere dignetur ad gloriam ſui nominis, & ad amouendum Chriſtianæ Eccleſiæ ſcandalum & periculum, quod hîc homo hæretici lolij ſemente inuexit.

Memoriâ igitur tenendum eſt, tam inualida eſſe illius & miſera ad quinque accuſationis partes reſponſa, vt in tribus confitentem habeamus reum, & tantùm pauperculo hoc excuſationum velo ſe palliantem: in duobus verò ambigua admodum ſint illius reſponſa, nec diſcipulorum factum, nec execrabilis libri Dominici Lopes impietatem damnantis.

Si è noſtris ſubditis fuiſſet Vorſtius (liceat enim eius argutias & diſtinctionum & excuſationum friuola, quæ in lucem protraximus, hâc teſtatione concludere) ſi è noſtris fuiſſet, primam hanc vocem à nobis audiuiſſet, *exſcrea*; vt latentes & altè præcordijs infixas hæreſes propriæ confeſſionis indicio pròderet. Quas ſi inficiaretur tum primitiuæ Eccleſiæ aduerſus hæreticos exemplum ſecuti hæc illi verba mandâſſemus; *abrenuncio & toto corde deteſtor, anathema maranatha ſit* ſuper has & tales hæreſes. non autem illud, *pacis causâ librum illum ſupprimere curaui*: aut iſtud, *magno cum iudicio & delectu hi libri legendi ſunt.* diſplicebat S. Hieronymo, quiſquis non indignè ferret tangi ſe hæreſeôs ſuſpicione.

Cæterùm vt huic diſceptationi finem aliquando ponamus; Chriſtianos omnes rogatos volumus, præſertim Illuſtriſſimos Prouinciarum Dominos, quorum maximè hoc negotium intereſt; vt apud ſe genus hominum, quorum calumnijs traducimur, & in hâc causâ conſilium noſtrum diffamatur expendant primùm: deinde verò, quid nobis ex hac aduocatione aut lucri ſperari poſſet, aut etiam honoris ſi res humano more æſtimanda eſſet.

Calumniatores, quorum hic inuidiâ premimur in triplici ſunt differentiâ. Primi ſunt, qui ijſdem aut ſimilibus cum Vorſtio infecti hæreſibus conſimilem cum illo cauſam fouent. Secundi ſunt Romanæ ſuperſtitionis propugnatores, qui in hâc prophetandi libertate, rerúmque humanarum & diuinarum confuſione, velut in aquâ turbidâ ius piſcandi ſibi arrogant; quòd nimirum eorum religio tolerabilior inter

Digitized by Google

nos foret quam Vorstiana. Tertij ij sunt, qui nostram cum Illustrissimis Ordinibus amicitiam propter rationes quasdam politicas dissutam vellent.

Ad nostra commoda quod attinet vitæ nostræ anteactæ ratio satis testatur nos nostris contentos, quæ diuina largita est benignitas nunquam malâ ambitione de inuadendis alienis consilium cepisse. quæ animi moderatio è duobus scriptis nostris non obscurè colligi potest. Nam in Basilico Doro, vbi de bello sermonem instituimus, negamus armis priùs inuadenda esse aliena, quàm omne iuris remedium deploratum sit. In Præfatione autem nostrâ monitoriâ, detectâ Romani Pontificis in omnes Christianos Principes tyrannide, profitemur tandem non eò hæc à nobis dici, quòd illius ditiones bello censeamus petendas; sed tantùm, vt singuli priuilegia & iura sua sibi vindicent & conseruent intacta. Sic vita nostra stilo respondet, & facta cum dictis conspirant; vt, si ab vllâ, certè ab hâc calumniâ liberrimi simus. Et quanto minùs illud cuiquam fiet credibile nos aduersus illustrissimos Ordines; quibuscum fœdus inde vsque ab ineunte ætate sanctissimè coluimus, quorúmque salute tuendâ subditorum nostrorum sanguinem tam copiosè profudimus; nunc missellâ hâc Vorstianæ hæreseôs occasione arreptâ aliquid moliri, aut (quod longè est detestabilius) Dei gloriam & religionem nostris machinationibus & clandestinis consilijs obtendere.

Constat iàm, quibus de causis nostrâ aduocatione negotium hoc dignati sumus. illi viderint, quorum interest, qualem foueant alumnum; hominem peregrinum, in Socinianâ hæresi eductum atque edoctum; ab Ecclesijs Germanicis non semel hæreseôs accusatum; tot infamium librorum authorem: qui in Apologiæ ad Ordines ipsos præfatione illam prophetandi libertatem tam studiosè asserit, eandémque in Modestæ illius Responsionis proœmio bis terue inculcat; pestiferam certè libertatem aut licentiam potiùs, quæ ad omnia schismata & dissidia & factiones fenestram aperiat. qui discipulos habeat partim hæreseôs conuictos, partim præceptoris sui accusatores. &, vt aliud nihil esset, certè miseris illis, quibus in vltimis libris se tuetur, effugijs satis conuincitur vel improbam suscepisse causam; quo nomine grauiùs meretur plecti, quàm cathedræ iacturâ: vel bonam causam pessimè defendisse, quo nomine in Academiâ tam celebri cathedræ honore indignus censendus est. Nouit Deus nihil esse, cur iste homo nobis priuatim displiceat: Alienigena est, & à nostris finibus valde remotus: Germanus est, cum quâ gente semper nobis amicitia fuit, & cum Principibus eius omnibus aut cognatio aut fœdus; eandem nobiscum religionem præ se fert, & contra Bellarminum scripsit; nec nostri vel verbo vel scripto (quantum nouimus) sine honoris & obser-

uantiæ

Digitized by Google

uantiæ præfatione vnquam meminit. Teſtamur Deum, nihil illi damnoſius à nobis optari, quàm vt in regiam illam Catholicæ & Orthodoxæ fidei viam reuertatur.

Sic conſcientiæ noſtræ officio defuncti, quod ſupereſt negotij, id totum Illuſtriſſimorum Dominorum iudicio permittimus. tantum enim abeſt, vt illis formulam aliquam præſcriptum eamus; vt contrà, re ipsâ bene confectâ, æquiſſimo animo laturi ſimus, ſi nullam noſtræ interceſſionis in actis aut archiuis faciant mentionem. Viam illi, quam volent, inſiſtant. Modò Chriſtus prædicetur, ſuâ cum Deo vtantur conſuetudine. Teſtis eſt ille ſupremæ diei arbiter nihil nobis hic quæri, nec laudem nec gloriam, ſed vni Deo: quem animitus precamur, vt Dominorum oculos aperiat, mentes illuminet, conſilia dirigat, & præter cætera zelum accendat, affectus ſanctificet, eorúmque in hoc negotio conatus ſic proſperet, vt exitus cedat in ipſius gloriam, fidelium ſolatium, religionis decus, hæreſeon exitium vel certè exilium, denique fœderatarum prouinciarum concordiæ perpetuum ſtabilimentum.

(***)

RESPON-

RESPONSIO
AD EPISTOLAM
ILLVSTRISSIMI CARD. PERRONII,
AB
ISAACO CASAVBONO,
SERE^mo. REGE DICTANTE, SCRIPTA:

Illustrissime & Reuerendissime Domine,

Ideor mihi vsu rerum atque experientia magistra didicisse, nullum esse tantum malum, ex quo, aut cuius saltem occasione, bonum aliquod nasci non possit: atque vt dici solet, mel generare fel, sic non absurdè aliquis dicat, è felle mero merum mel interdum existere. Ne aliunde argumenta petam; fel purum putum erat, idque virulentissimum, perditissimi nebulonis sceleratissimus liber qui primum materiam mihi præbuit ad illustrem tuam dignitatem Serenissimi Regis iussu scribendi. Tuæ vero binæ literæ, quas ad me postea ex occasione illa dedisti, singulari comitate, humanitate, atque prudentia conditæ, niueum candorem auctoris præ se ferentes, quouis melle dulciores mihi fuerunt. Quare neque ego Regi optimo & sapientissimo tuas ostendere, ac legendas exhibere sum veritus: & Maiestas ipsius, quum non omnia in illis (neque enim fieri aliter poterat) probaret; vtramque tamen epistolam tuam non grauatè neque illubenter legit. Gratum ipsi vehementer fuit, vnum saltem aliquem vestrarum partium

Digitized by Google

tum Theologum illa temeritate, virum prudentem, tamque diligentem, tamque studiosum, qui ad hodiernum controversiarum statum cognoscendum, dijudicandum & transigendum ingentem posset adferre. Nam qui primæ gentilitiæ nobilitatis agnomen ejus magnanimi libertatis ostenderet, nil ille summo regentis abunde probaturus, qui Apologiam suam ejusmodi Principi non scripserit, quam. Omnes enim virtutum aut alienarum excusat, mendacia, maledicta & contumelias materia clarum interfluunt. Præcipue vero illa verba pollicitus narrare Regem fecisse primo ordine Regnantes dicturum, quibus per fidem vitæ bona, tum ante hanc de rebus ad religionem posthumus communicatorem, Pacha non adjecisset. Sed verisimilium in numero Regi plurimum, & quamvis laborem hac mercede parare labore; quamvis ab immanni pertæsi videbatur Rege, curare non Maurlio, cui ex diligentia Principum facilem, jam ciuffa calle fuere. Spem quidem, & in hanc curam ferio nos præstamus inexplorata, effectum in, cum audio Pio Quinto Max. auctore Pontificem extore nos, & ingenium quæ dedisse suum apud omnes, vt non pertinenda aliqua vitiosa ad Ecclesiam, seu Christi ea fuit, quæ ipsi Deo non pertenta. Ita Tertullianus vocabula, seu Stoicorum Regæ tenuius nisi annum tam integrum & ex magistratu, quo ipse præfectus, & omnis disciplinarum excolimus, tam maximum illum effe, ea ratione eorum vitæ effe illi compartus, vt thalia pretiosi rubiti pili antiquius facile omnes intelligam. Non prauus regnum, non publice regni curæ in tam Maurlium quibus effecere, & interdum quidem defiderium res religionis omni ope atque opera promouendi, & tam maxime cupidus Regnum summam deste, ipse quæ cupidus concordiæ inter diffidentes Ecclesiæ membra, omni ratione & studio tempore procurandi. Atque hanc Pacificationis Ecclesiæ ejus commentum fuit in collectionibus Res publicas non studiosi in pertili & quamvis amplitudo, concordiæ: sedemque Ordinationis fidei audire & meam vitæ ordinis fuisse, tam maximis curis fuisse, vt non nisi vehementia, pars illa hactenus effe contendentem, vt & re ipsum ea ratum Ecclesiæ his profectus & Ecclesiæ auctoritatem, & occasio & ac, contendent: fuisque eligendis Christiane conferentiam non precipue effe curæ Deo & hominibus in duo reddat tribuisse. Neque adeo & illa ipse tempore, quæ tum haec pollutionem fuit qui a pie celebrat haudquaquam tam gesta documentum Matthæi Pachæ dedit, quod non ipsa Regi hac omnibus consultat & probantes & laudantem, ne ibi quidem, illustrissimæ Cardinalis, regius fuisset ut, vel spes, insuscitatis. Nam quem ostentare per literas Regem facile illustrissimum meretendilimæque Prælati, Dominus Archiepiscopus Casanatensis, permittit ad manus fuit, illum nec fuisse vnde e Germania sua Religio illarum, quo doctrina controversiæ de matur

Dei,

Dei, noua, peruersa, & cum antiqua fide Ecclesiæ Catholicæ in nonnullis pugnans; rogasséque eius Maiestatem, vt ad reprimendum malum recens exortum, veri Defensoris fidei zelum exerens, apud Magistratus ditionis illius, vbi auctor libri degebat, intercederet; peteretque ab illis, ne doctrinam adeo [illegible] in Ecclesias & scholas suas paterentur introduci, néue hęc profana nouitas eius inuentori maneret impunita: Rex literas illas descendenti sibi è rheda post longam venationem redditas, & librum simul notis obeliscque vigilantissimi Antistitis confossum, vt semel accepit, negotium sine mora sibi cognoscendum duxit. Ac licet corpus ipsi è labore & inedia langueret; quod cœperat tamen agere vno tenore & calore perfecit: neque ab astantibus Proceribus exorari potuit, vt rationem sui vllam prius haberet, quàm re tota diu multúmque considerata cum reuerendissimo Episcopo Lichfeldensi alijsque è clero, & penitus perspecta, quod suarum erat partium, & pietas iubebat, accuratè præstitisset. Liber damnatus est, exemplaria iussa comburi, cum in vrbe metropoli, tum in vtraque Academia (quod & postea factum:) literæ grauissimæ, ipso Rege dictante, ad Regium Legatum eo loci comemorantem, scriptæ, ac statim missæ, iudicij quod de noua doctrina Rex & Ecclesia Anglicana fecissent testes: simul addita mandata de appellandis ea super re Magistratibus. Viderint illi, ad quos eius mali tollendi cura propriè pertinet, quam Deo immortali rationem suæ cessationis sint reddituri; si, quod fieri posse non existimamus, neque sponte sua, neque post exemplum tam insigne, veritatis patrocinium, quanto par est studio & ardore susceperint. Rex Iacobus, ad primum rei nuntium sic est commotus, vt nefas ingens se admissurum crederet, si necessitati corporis aliquid prius indulgeret, quàm pietatis hoc officio plane esset perfunctus. Non dubito, Illustrissime Cardinalis, quin factum istud sis ipse probaturus impensè & prædicaturus. Ego non vt Regem apud te nunc laudarem, quod erat gestum narraui; verùm vt scires quàm sit priscæ fidei tenax, & dogmatum veræ Catholicæ acris atque animosus defensor is, quem vestrorum Catholicorum plerique censeri aut dici Catholicum non ferunt; multi ne Christianum quidem. Regi primò visa inutilis de appellationibus contentio, dummodo rem teneas; quod facere se, & optat Maiestas ipsius, & in Dei misericordia plane confidit. quoniam tamen vulgo homines priuationem eiusmodi appellationum, rei ipsius priuationem esse & carentiam interpretantur: non solet Rex neque consultum putat, iniuriam dissimulare. De appellatione Christiani nulla ei tecum lis, nulla controuersia: neutra enim epistola tua hunc ei titulum negauit competere. de Catholici titulo quæstio iam est. Priore enim tuarùm postquam ea qua excellis dicendi facultate significasses, in magnæ Britanniæ Rege maximi te Principis ideam

am agnoscere numeris omnibus absolutam; ad extremum illam exceptionem adiecisti, si ad cæteras animi dotes, Catholici nominis gloria accederet: & quum Regis iussu esset responsum, non posse ei titulum illum denegari, qui tria Ecclesiæ Catholicæ symbola, Concilia quatuor Oecumenica prima agnosceret: quique omnia crederet, per quatuor primorum seculorum seriem credita, tanquam ad salutem necessaria: parum tibi hac responsione satisfactum esse, posterioribus tuis accurate & subtiliter scriptis ostendisti. Hasce literas à Ser. Rege raptim, aut velut in transcursu lectas fuisse, nolim existimes: nam & totas legit, & momenta rationum mira animi æquitate & placiditate expendit. Quod autem ne post lectam quidem responsionem tuam, à priore sententia discedit, neque propterea minus Catholicum se esse gratia Dei fretus confidit: voluit eius Maiestas, ita statuendi quas rationes habeat, tibi non esse incognitum. Accipe igitur Cardinalis Illustrissime, ad posteriorem epistolam tuam breue responsum: quod ex ore ipso Ser. Regis exceptum, scripto complecti, & ad te mittere sum iussus. Non petam nunc à te, vt ad hæc legenda eam adhibeas æquitatem, quam Rex ad tua cognoscenda: mihi enim satis nota est tua eximia prudentia, & omni laude dignissima moderatio.

Vniuersa posterioris epistolæ disputatio duabus constat partibus. Priore, quinque obseruationes in medium afferuntur, quæ thesim istam; *Catholici appellatio nemini denegari potest, qui tria symbola admittat, Apostolorum, Nicenum, Athanasianum; qui item quatuor Oecumenica Concilia prima, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense; postremò qui omnia credat, primis quatuor seculis existimata ad salutem creditu necessaria*; illustrant & quomodo accipi debeant, ostendunt. Hæc thesis in responsione Regia locum propositionis maioris obtinebat. Altera pars aduersus hypothesin siue assumptionem quatuor affert [illegible]

I. Observatio.

Nomen Catholici non simpliciter fidem denotat, sed etiam communionem cum Ecclesia Catholica. Iccirco veteres noluerunt Catholicos appellari eos, qui à communione Ecclesiæ recessissent, licet fidem retinerent. Vnam enim esse Ecclesiam Catholicam, extra quam fidem & sacramenta habere aliquis potest, salutem non potest. In eam sententiam afferuntur multa è B. Augustino.

Responsio Regis.

CRedere Ecclesiam Catholicam, & credere communionem Sanctorum, vt res diuersæ in Symbolo Apostolorum distinctè ponuntur. Ac videtur prius illud eo potissimum fine insertum, vt discrimen statueretur inter Iudaicam Synagogam, & Christianam Ecclesiam;

clesiam; quæ non vt illa, populi vnius finibus erat circumscribenda: sed longè latéque per omnes mundi regiones spargenda. Quare satis manifesta ratio non est, cur huius obseruationis initio dicatur Catholici appellatio communionem denotare. Sunt quidem duo ista coniunctissima, diuersa tamen, sicut ostendimus. Credit verò Rex simpliciter, sine fuco & fallacijs, vnicam esse Ecclesiam Dei & re & nomine Catholicam, siue vniuersalem, toto diffusam mundo; extra quam ipse quoque nullam salutem debere sperari affirmat. damnat & detestatur eos, qui vel iam olim, vel postea, aut à fide recesserunt Ecclesiæ Catholicæ, & facti sunt hæretici, vt Manichæi; aut à communione, & facti sunt Schismatici, vt Donatistæ: aduersus quæ duo præcipuè hominum genera, omnia illa sunt à S. Augustino scripta, quæ in hac obseruatione afferuntur. Laudat etiam Rex piorum Episcoporum prudentiam, qui in IV. Concilio Carthaginiensi, vt hic verè obseruatur, formulæ examinis Episcoporum interrogationem super hac re adiecerunt. neque ignorat Rex multa sæpe veteris Ecclesiæ Patres [illegible] fecisse, pro bono pacis, vt loquebantur, id est, studio conseruandæ vnitatis, ac mutuæ communionis abrumpendæ metu. Quorum exemplum se quoque paratum esse profitetur æmulari, & sectantium pacem vestigia persequi ad aras vsque; hoc est quantum in hodierno statu Ecclesiæ per conscientiæ integritatem licet. nemini enim se mortalium cedere, aut in dolore quem capit grauissimum è membrorum Ecclesiæ distractione, quam pij Patres tantopere sunt abominati: aut in cupiditate qua tenetur, communicationem habendi cum omnibus, si posset fieri, qui membra sunt mystici corporis Domini nostri Iesu Christi. Hæc quum ita sint, existimat nihilo tamen secius Rex, iustissimam habere se caussam, cur ab ijs dissentiat, qui simpliciter sine vlla penitus distinctione, aut exceptione, hanc communionem sine fine vrgent. Inter proprias Ecclesiæ notas hanc fatetur esse cum primis necessariam: non esse tamen autumat veram ipsam Ecclesiæ formam & quod Philosophus appellat [illegible]. Didicit Rex è lectione Sacræ Scripturæ (neque aliter Patres olim sentiebant ad vnum omnes) veram & [illegible] Ecclesiæ formam esse, vt audiant oues Christi vocem sui Pastoris, & vt Sacramenta administrentur rite & legitimè, quomodo videlicet Apostoli præiuerunt, & qui illos proximè sunt secuti. Quæ hac ratione sunt institutæ Ecclesiæ, necesse est ipsas multiplici communione inter se esse deuinctas. vniuntur in Capite suo Christo, qui est fons vitæ, in quo viuunt omnes quos Pater elegit pretioso sanguine ipsius redimendos, & vita æterna gratis donandos. Vniuntur vnitate fidei & doctrinæ, in ijs vtique capitibus, quæ sunt ad salutem necessaria: vnica enim salutaris doctrina, vnica in cælos via. Vniuntur coniunctione animorum & vera charitate, charitatisque officijs, maxime autem precum

Ioh. 10. 3.

mutua-

Digitized by Google

mutuarum. Vniuntur denique spei eiusdem communione, & promissæ hereditatis exspectatione: gnari sè ante iacta mundi fundamenta prædestinatos esse, (de electis loquor,) vt sint συνκληρονόμοι καὶ σύσσωμα καὶ συμμέτοχοι τῆς ἐπαγγελίας τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦ Χριστοῦ, διὰ τοῦ εὐαγγελίου, quod diuinus ait Apostolus. Sed addit Rex, eandem tamen Ecclesiam, si aliquod eius membrum discedat à regula fidei, pluris facturam amorem veritatis, quàm amorem vnitatis. Scit supremam legem esse in domo Dei, doctrinæ cælestis synceritatem; quam si quis relinquat, Christum relinquit, qui est αὐτολήθεια: Ecclesiam relinquit, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας: atque eo ipso ad corpus Christi desinit pertinere. Cum huiusmodi desertoribus nec vult, nec potest verè Catholicus communicare. τίς γὰρ συμφώνησις Χριστοῦ πρὸς Βελίαρ; Fugiet igitur horum communionem Ecclesia, & dicet cum Gregorio Nazianzeno, ἀφίσταμαι τῶν τοιούτων ἰοβόλων καὶ λαβὴν διαφεύγω δικέρατα. nec dubitabit cum eodem beato Patre, si opus fuerit, pronuntiare, esse quendam ἱερὸν πόλεμον. Quod autem in Ecclesia futura esset aliquando necessaria huiusmodi separatio, cum alijs sacræ paginæ locis clare docemur; tum illa apertè declarat Spiritus sancti admonitio, non temerè profectò Ecclesiæ facta: ἐξέλθατε, inquientis ἐκ Βαβυλῶνος ἵνα μὴ συνκοινωνήσητε τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῆς. Quænam sit illa Babylon, vnde exire populus Dei iubetur, non quærit hoc loco Rex, neque super eo quicquam pronuntiat. hoc quidem res ipsa manifestissimè ostendit; siue priuata quædam Ecclesia eo loci intelligitur appellatione Babylonis; siue vniuersæ pars maior: eam priùs fuisse legitimam Ecclesiam, cum qua pij piè communicarent: postea verò quàm longiùs processit eius deprauatio, iubentur pij exire, & communionem abrumpere. Vt facile sit ex his intelligere, non omnem communionem cum ijs qui de nomine Christi appellantur, fidelibus esse expetendam: sed illam demum, quæ sit salua doctrinæ cœlitus reuelatæ integritate. Iam vt ad propositum accedatur propiùs, negat Rex accuratam illam locorum B. Augustini collectionem ad se quicquam pertinere. Omnia enim illa testimonia hoc solum euincere: Nullam spem salutis superesse ijs, qui à fide Ecclesiæ Catholicæ, aut ab eiusdem communione discesserint. quod quidem & Rex, vt antè diximus, vltrò concedit. Hic verò Maiestas ipsius petit à te, Illustrissime Cardinalis, vt reuocare in mentem velis, atque apud te perpendere, quantum sit discrimen inter B. Augustini tempora & hęc nostra: quàm diuerso sensu Ecclesia Catholica hodie nominetur, atque illis temporibus: quàm sit mutata Ecclesiæ facies & tota exterior forma, vt de interiore iam nihil dicamus. Nam olim quidem Ecclesia Catholica, ciuitati similis supra montem constitutæ, quę, vt ait Christus, non potest abscondi, nullo pacto dubia erat, sed nota omnibus, perspicua, certa, vt de ea ambigere nemo sanæ mentis posset. erat enim, non vt stulti Donatistæ dictitabant, nescio vbiin meridie cubans, co-

Ephes. 3. 6.

Ephes. 5. 23.

1 Tim. 3. 15.

2 Cor. 6. 15.

De Pace. Orat 1.

In Oratione habita in Concil. Constantin.

Apoc. 18. 4.

Matt. 5. 14.

Digitized by Google

sed minus illustris esse cœpit; vtpote in plures diuisa, inter se, quod ad communionem externam attinet, penitus separatas. Tum autem, quod præcipue dolendum, hac dissipatione effectum, vt partibus minus esset virium, quàm fuerat toti corpori compacto ad resistendum Inimico hominis, quem Christus docet, ad omnes occasiones esse intentum, vt bonam sementem lolio & zizanijs conspergat. Atque hoc euenisse quum hodie videamus oculis nostris, atque adeo manibus ipsis palpando deprehendamus: ridiculum & longe absurdissimum, disputare an fieri olim potuerit aut iam possit. Romana igitur Ecclesia, Græca, Antiochena, Ægyptia, Abyssina, Moschouitica, & plures aliæ, membra sunt, doctrina quidem & fidei sinceritate multum præstantia alia alijs, sed tamen membra Ecclesiæ Catholicæ: cuius compages quod ad formam exteriorem, dudum est soluta. Quamobrem demiratur Ser. Rex etiam atque etiam vehementer, cum videt Ecclesias, quæ fuere quondam integri corporis membra, ius omne vniuersitatis ad se iam trahere, appellationem Catholicæ sibi propriam facere, & reliquas omnes, quæ in vlla re à se dissentiant, aut iugum seruitutis detrectent, excludere communione sua, ac statim illas ad Catholicam nihil pertinere, audacter pronuntiare. Neque verò soli vos estis, qui hoc ius vobis vindicatis: faciunt hoc ipsum & alij. Nam quod gemens Rex dicit, multæ hodie priuatæ Ecclesiæ sunt, quæ solas se credant esse illum populum μεσιτην quem appellant Ecclesiam. Dares his vires quantas Romana habet; facerent quod illa iam facit, nec de cæteris clementius pronuntiarent. Quid quod multæ hodie celebrantur sectæ, quarum sectatoribus persuasissimum est, solos se aliquid in literis sacris videre, atque vt poëta ait, ἐυ ἡμιν δη τοῦτο μονοις ἐστιν? Verum quidem est, nullo vnquam seculo defuisse conuenticula sectariorum & μεσιτευοντων quæ de nomine Ecclesiæ Catholicæ se iactarent, & imperitos hoc illicio ad se attraherent: sed postremorum, ad quæ peruenimus, temporum, peculiaris hæc est calamitas insignita, quod Catholica Ecclesia, cui necessario, vel reipsa & actu, vel voluntate saltem & voto est adhærendum, minùs est hodie, quàm erat olim, illustris, minus expositâ oculis hominum, magisque ἀμεσοφανεστερον. Quo studiosius faciendum sibi Ser. Rex putat, vt in tanto variarum opinionum diluuio, ad montes sacræ Scripturæ se recipiat, & quod olim beatus Augustinus Donatistis consilium dabat, in verbis Christi Ecclesiam Christi quærat. Sic & B. Chrysostomus, cum alibi, tum ex professo in homilia in Acta XXXIII. tractans illam quæstionem, *Quo pacto vera Ecclesia inter plures Societates quæ hoc sibi nomen vindicant, possit discerni*: duo docet esse instrumenta iudicandi, & quæstionis huius decidendæ: primo quidem VERBVM DEI, tum autem antiquitatem doctrinæ, non ab aliquo recentiore excogitatæ: sed ab ipso

Ecclesiæ nascentis principio semper cognitæ. Hæc duo [illegible] Rex cum Ecclesia Anglicana, tota voluntate amplectens, pronuntiat: eam demum se doctrinam provera simul & necessaria ad salutem agnoscere, quæ è fonte Scripturæ sacræ manans, per consensum Ecclesiæ veteris, ceu per canalem ad hæc tempora fuerit deriuata. Vt igitur huic sermoni finis imponatur, ad primam obseruationem respondet Rex: non posse eam sine vitio multiplici ad propositam hypothesin aptari. Ecclesiam enim Anglicanam adeo non desciuisse à fide veteris Ecclesiæ Catholicæ, quam veneratur & suspicit; vt ne à fide quidem Romanæ Ecclesiæ desciuerit, quatenus illa cum vetere Catholica consentit. Si quæritur successio personarum: in promptu sunt nomina Episcoporum, & series à primo nusquam interrupta. Si successio doctrinæ: agite, periculum facite: Concilium liberum date, quódque ab vnius voluntate non pendeat. parata est Ecclesia Anglicana fidei suæ reddere rationem, & rebus ipsis euincere, auctoribus reformationis hic institutæ, non fuisse propositum, nouam aliquam Ecclesiam condere, vt imperiti & maleuoli calumniantur: sed quæ erant collapsa ad formam reuocare quàm fieri posset optimam: optimam autem iudicarunt, nascenti Ecclesiæ ab Apostolis traditam, & proximis seculis vsurpatam. Fatetur Rex, Ecclesiam suam à capitibus non paucis eius fidei & disciplinæ, quam hodie Romanus Pontifex probat, & omnibus tuetur viribus, discessionem fecisse; verùm eam Rex & Ecclesia Anglicana non defectionem à fide veteris Catholicæ interpretantur. sed potius ad fidem Catholicam pristinam, quæ in Romana nouis inuentis fuerat multipliciter mirè deformata, reuersionem, & ad Christum, vnicum Ecclesiæ suæ magistrum, conuersionem. Quare, si quis doctrina huius obseruationis fretus, inferre ex illa velit, Anglicanam Ecclesiam, quia Romanæ placita nonnulla reijcit, à veteri Catholica discessisse; non hoc illi prius Rex largietur, quàm solidis rationibus probauerit, omnia quæ à Romanis docentur, (illa præcipuè quæ volunt ipsi vt necessaria ad salutem credi ab omnibus,) antiquæ Catholicæ à principio probata fuisse & sancita. hoc verò neminem posse facere, aut vnquam facturum; neminem certè hactenus fecisse, tam liquidò Regi constat & Ecclesiæ Anglicanæ Antistitibus, quàm Solem meridie lucere. Postremò addit Rex, magnum se quidem crimen iudicare, defectionem ab Ecclesia: sed huic crimini affinem se esse, aut Ecclesiam suam, penitus pernegat: *Non enim fugimus*, aiebat eius Maiestas, *sed fugamur*. Scit verò tua illustris dignitas, vt qui optime, quàm multi, quàm præstantes pietate & doctrina viri, ab annis minimum quingentis, reformationem Ecclesiæ in capite & membris optarint: quàm graues bonorum Regum ac Principum querelæ sint sæpe auditæ, statum Ecclesiæ sitis temporibus lamentantium? Quid profuit? nihil enim quicquam

Digitized by Google

quicquam eorum ad hanc diem videmus esse emendatum, quæ correctionis egere cum primis censebantur. Quare non veretur Ecclesia Anglicana, ne candidis æstimatoribus, in hac separatione, Donatistis simile quid fecisse videatur. Illi gratis & sine vlla caussa Ecclesiam Catholicam, gentium cunctarum assensu comprobatam, cuius neque fidem neque disciplinam culpare poterant, deseruerunt: Angli ab ea Ecclesia, necessitate dira cogente, secessionem fecerunt, quam innumeri populi Christiani, veram Catholicam & vniuersalem esse non concedunt, vt modestissimè dicam: quámque in dogmatis fidei, & disciplinæ forma multum variasse ab antiqua, multa assuisse noua vetustis, mala bonis, etiam è vestris scriptores quàm plurimi ingenue dudum sunt confessi: & verò notius iam est vniuerso mundo, quàm vt possit quisquam vel negare, vel etiam ignorare. Adde quod iugum Romanæ seruitutis ita durum per aliquot retro secula erat experta Ecclesia Anglicana, nouis subinde vexationibus, & inauditis angarijs atque exactionibus supra hominum fidem cruciata; vt vel illa sola caussa apud iudices non iniquos, à schismatis suspicione, & vt loquitur Augustinus de Donatistis, *iniquæ discissionis*, posse videatur ipsam liberare. Non enim profectò Angli à charitate fraterna animi caussa dissilierunt, vt Donatistæ · neque vt decem tribus populi Iudaici, metu impendentis mali, quod nondum premebat: sed post plurium seculorum patientiam, post exantlatas inenarrabiles ærumnas: onus intolerabile, cui ferendo pares amplius non erant, neque permittebat conscientia, subductis ceruicibus tandem excusserunt. Et vetus quidem Ecclesia, vt refractarios Donatistas ad suam communionem reuocaret, etiam commodis temporalibus Episcoporum resipiscentium, & aliorum quoque, admirabili charitate prospicere solita: Romana verò Ecclesia, vt gratiam cum Anglicana redintegraret, fulmina primò bullarum, deinde vim, modò apertam, modò occultam adhibuit: proditores nefarios susceptí hic parricidij manifestos, gremio suo excepit, & nunc cum maxime fouet: sententiam ex eadem caussa passos Martyribus adscribit, & eorum innocentiam contra diuina omnia humanáque iura quotidie propugnat. Ipse Cardinalis Bellarminus (dico [illegible], sed dico quod res est:) inter parricidarum patronos princeps familiam ducit. qui etiam nuper, vt Regem Sereniſſimum alliceret, istud miræ efficaciæ ad persuadendum argumentum adhibuit: Angliæ regnum ad Papam pertinere: & Regem Angliæ Romani Pontificis etiam in temporalibus esse subditum, atque feudatarium. Omitto alias & Regis & Ecclesiæ Anglicanæ quà veteres quà nouas querelas, minime hoc loco commemorandas.

II. Observatio.

Præter absolute necessaria ad salutem, duo sunt genera rerum, quas vetus Ecclesia credidit. harum alterae vtiles ad salutem, alterae licitae & non repugnantes saluti. Si quis igitur, fidem antiquorum velit amplecti, etiam istas res ipsum oportet amplecti, & eo loco habere quo habuit vetus Ecclesia.

Responsio Regis.

QVæ non sunt existimata à pijs Patribus, absolute ad salutem necessaria, sed tantum vtilia aut licita, parum abest, quin censeri inter [illegible] debeant. erat enim initio libera eorum vsurpatio, vtpote non simpliciter necessariorum. In eiusmodi rebus necessitatem aliquam hodie comminisci aliquanto durius videtur. Statim enim sequetur necessitas vsurpandi: sicut videmus vsuueniſſe in Ecclesia Romana: quæ multa hodie obseruat ceu [illegible] ad fidei integritatem necessaria; quæ vetus Ecclesia vix norat, certe non ita vsupabat, tanquam plane essent necessaria. pauca è multis exempla afferemus. Constat in primitiua Ecclesia vsurpatam fuisse peccatorum confessionem; sed longe aliter quam fit hodie. nam auricularem confessionem vti apud vos exercetur, primis seculis fuisse in vsu, nemo, opinor, dixerit. Fatetur Rex, primos è Patribus, qui illam instituerunt, suas habuisse rationes, cur existimarent confessionem illiusmodi, ad salutem facilius inueniendam, fore non inutilem: rem quidem absolute necessariam non crediderunt, multo minus sacramentum: aut non omnes certe. nam de B. Chrysostomo satis liquet, auricularem confessionem ipsum à suis non exegisse. Nunc ventum eò videmus, vt vix aliquid minus huic confessioni tribuatur, quàm pretioso Christi sanguini, quo sumus redempti. adeo præcisè eius absoluta quædam necessitas vrgetur. Vnde paullatim nata illa doctrina in Ecclesia Romana, de arcano confessionis nullam omnino ob causſam euulgando. Quia enim credebant ad salutis portum sine hac confessione perueniri non posse, omnia eius impedimenta putarunt tollenda esse necessariò. Tandem igitur eò processit hæc doctrina, vt iam Reges occidere, aut finere occidi, ne peccatum quidem esse videatur, præut si quis confessionis sigillum rumperet: quod multi vestrorum Theologorum, imprimis autem interpretes Iuris Canonici libris editis docuerunt. quinetiam hoc ipsum mihi totidem verbis Lutetiæ affirmauit Binetus Iesuita, sicut mox dixisse tibi memini. Scimus etiam, neq; fortasse tua illustris dignitas illud ignorat, esse aliũ in Gallijs Iesuitã, qui nuper ausus dicere: si Dominus noster Iesus Christus in terris versaretur morti obnoxius, & aliquis sibi in confessione dixisset, velle se illũ occidere; prius quàm confessionem reuelaret, passurũ se (horresco referens,) vt Christus occideretur. quæ horrenda blaſphe-

blasphemia à quo principio sit orta, vides. Sic abstinẽtiam à vino delicatioribusq; cibis, & stata ieiunia, atq; xérophagias, inter res vtiles ad salutem facilius consequendã vetus Ecclesia posuit; neque Rex negat, si cõmoda adijciatur interpretatio, ex mente ipsius primitiuæ Ecclesiæ. sed harũ obseruationem seuerius iam exigi Rex non probat, quàm eorũ quæ disertè literis sacris cõtinentur. Sic cælibatus ministrorũ Ecclesiæ, olim laudabatur, nunc imperatur, & ceu res penitus necessaria exigitur: de quo mox plura. Sic quũ dicat Paulus, se corpus suũ ὑπωπιάζειν καὶ δουλαγωγεῖν, eos qui diuini Apostoli exemplum imitantur, laudat Rex, & beatos pronuntiat: illos vero detestatur, qui cilicia; Laconicas διαμαστιγώσεις & id genus corporis vexationes, vel vt ipsi appellant, satisfactiones, aut inter causas ponunt salutis, aut tanti certe faciunt, vt illuuiem, pædorem, scabiem, & agmen pediculorum ex ea causa ortum, instar perfectæ sanctimoniæ habeant. Sed ex omnibus istiusmodi eos potissimum Rex detestatur, qui more Sacerdotum Baal corpus sibi verberibus lacerantes, Deum nobis fingunt humani sanguinis auidè sitientem, qualem Pagani suam Bellonam crediderunt. Illos verò laudat Rex, qui flagellandos suam vicem pretio conducunt: vt meritum pœnarum quas alij luerunt, sibi applicetur. Ita fit vt quicquid delirent diuites, plectantur pauperes: nec sequitur nocentem pœna, sed miserum & egenum. Rex igitur vt non inuitus dabit, nemini hodie fas esse damnare ea, quæ constiterit primorum seculorum Patres vnanimi consensu probasse, tanquam vtilia aut licita: sic adstringi se vlla necessitate absoluta eadem vsurpandi non patitur. Existimat enim res esse natura sua contrarias τὸ εὐεργεῖν καὶ τὸ ἀδικεῖσθαι. Sed de his vberius in sequenti obseruatione.

III. Obseruatio.

Quum in religionis negotium non vna species necessitatis cadat, videndum est ne vocis ambiguitate fallamur, quoties de rebus loquimur ad salutem necessarijs. Esse enim necessitatem quandam absolutam, quandam sub conditione: aliam medij, aliam præcepti. esse etiam necessitatem credendi, quæ omnes sine exceptione Christianos adstringat, & quæ non omnes generatim. postremò esse necessitatem aliam actionis, aliam approbationis.

Responsio Regis.

Obseruationis huius doctrinam, quę varias necessitatis species docte, accuratè, subtiliter & admodum copiosè explicat, adeo non improbat Ser. Rex, vt contra existimet, his distinctionibus sublatis multiplicem confusionem in rebus religionis exorituram. Nam quid periculosius fingi potest, quàm si aut absolutè necessaria credantur necessaria sub cõditione, aut cõtrà? nec minus vtilis, vt in domo Dei omnia recte atque ordine gerantur, distinctio est, inter alias necessitatis

tis ſpecies, quæ hic explicatur. Ne in exemplis quidem appoſitis, quicquam Regi obſeruatum, quod admodum improbaret. Veriſsime autem ſcriptum eſſe in explicatione τὸ κυριολεκτικὸν Rex arbitratur, rerum abſolute neceſſariarum ad ſalutem, non magnum eſſe numerum. Quare exiſtimat eius Mateſtas, nullam ad ineundam concordiam breuiorem viam fore, quàm ſi diligenter ſeparentur neceſſaria à non neceſſarijs. & vt de neceſſarijs conueniat omnis opera inſumatur: in non neceſſarijs, libertati Chriſtianæ locus detur. Simpliciter neceſſaria Rex appellat, quæ vel expreſsè verbum Dei præcipit credenda faciendáue: vel ex verbo Dei neceſsariâ conſequentiâ vetus Eccleſia elicuit. At quæ ex inſtitutione hominum præter verbum Dei, quamuis pie & prudenter, pro tempore in vſum Eccleſiæ ſunt recepta, mutari, molliri, antiquari poſſe exiſtimat, & quod Pius 11. de cælibatu clericorum dicebat, *bono olim iure ſancitum, meliore nunc iri antiquatum*, id in genere de pleriſque obſeruationibus Eccleſiaſticis, extra verbum Dei introductis, poſſe vſurpari Rex credit. Si ad decidendas hodiernas controuerſias hæc diſtinctio adhiberetur: & ius diuinum à poſitiuo candide ſepararetur, non videtur de ijs quæ ſunt abſolute neceſſaria, inter pios & moderatos viros longa aut acris contentio futura. nam & pauca illa ſunt, vt modò dicebamus; & fere ex æquo omnibus probantur, qui ſe Chriſtianos dici poſtulant. Atque iſtam diſtinctionem Sereniſs. Rex tanti putat eſſe momenti ad minuendas controuerſias, quæ hodie Eccleſiam Dei tantopere exercent; vt omnium pacis ſtudioſorum iudicet officium eſſe, diligentiſſime hanc explicare, docere, vrgere. Nunc de exemplis nonnullis, quæ in hac obſeruatione proponuntur, quædam dicemus. Inter abſolutè neceſſaria, non quidem ſimpliciter, verùm ex inſtitutione diuina, ponitur baptiſmus infantium, *quem nos*, inquis, *ad hanc ſpeciem neceſſitatis referimus*: deinde ſubijcitur locus B. Auguſtini, quo negatur præcisè, poſſe infantes non baptizatos ſeruari. Hic primùm Rex profitetur, neceſſitatem baptiſmi ex inſtitutione diuina non minus aut ſibi, aut Eccleſiæ Anglicanæ probari, quàm vobis. Non aſtringit quidem Eccleſia Anglicana gratiam Dei medijs, quod ne per doctrinam quidem Scholaſticorum aliquot è melioribus licet: quia tamen hanc Deus rationem ordinariam ad peccatorum remiſſionem impetrandam, in Eccleſia ſua inſtituit, & eos qui renati non fuerint ex aqua & Spiritu, intrare poſſe regnum cælorum Chriſtus ipſe negat: ſedulo hic prouiſum eſt legibus Eccleſiaſticis, vt quouis tempore & loco baptizandi infantes ſuos parentibus eſset facultas. Quod igitur de naſcente olim Eccleſia dixit Tertullianus, baptizare Epiſcopum, preſbyterum, diaconum: poſtremò etiam laicis ius eſse, in extremæ videlicet neceſſitatis caſu; hoc ipſum in Eccleſia Anglicana, quod ad Epiſcopos preſbyteros & diaconos hodieque ſeruatur, ſine vlla vel loci,

loci, vel temporis rigida & penitus inuiolabili obſeruatione: laicorum vero baptiſmum, aut feminarum, vt fieri legibus ſuis vetat; ſic factum ex legitima formula quodammodo non improbat, baptiſmum eſſe pronuntians, etſi non legitime adminiſtratum. Sereniſſimus vero Rex, tanti hoc ſacramentum facit, vt quoſdam in Scotia miniſtros, quum neſcio quas nouæ diſciplinæ ordinationes prætexerent, quo minus moribundos infantes rogati à parentibus baptizarent, metu ſupplicij iniecto ad officium compulerit, minatus extrema niſi parerent. Itaque verba Auguſtini, quæ non baptizatos vita æterna priuant præciſe, ſi de via ordinaria intelligantur, quam ſolam Chriſtus nos docuit; nihil Rex habet, quod illi ſententiæ opponat: ſin autem negatur ſimpliciter, poſſe Deum Opt. Max. ἀδ ἀρτιγένητον ſeruare; diritatem huius ſententiæ & Rex & Eccleſia Anglicana abominantes, Auguſtinum durum & ἀπάτορα infantum patrem fuiſſe pronuntiant. Omnino vtrumque extremum pari diligentia Rex fugiendum autumat: ne aut Dei manum abbreuiemus, & infinitæ bonitati ipſius iniuriam faciamus, ſi rigidam hanc ſententiam amplectamur; aut baptiſmum ponentes, cum nonnullis, inter ea quæ adſint vel abſint non multum intereſt, ſacramentum à Deo inſtitutum pro re leui ducere videamur. Magnus ſane vir fuit Auguſtinus, pietate & doctrina admirabilis: cuius tamen proprias opiniones, neque Rex pro dogmatis fidei admittit, neque vos admittitis. Nam verbi gratia, S. Euchariſtiam infantibus ad ſalutem eſſe neceſſariam, non minus quàm baptiſmum credidit poſt Innocentium primum Auguſtinus, & multis ſuorum ſcriptorum locis pronuntiauit. vos non creditis, neque acceptam à vobis doctrinam Eccleſia Anglicana mutauit. Inter illa quæ neceſſitatem actionis certis perſonis imponunt, coniugium numeratur, *ſiquis ſobolem tollere voluerit*, inquis. Rurſus autem paulo poſt, vbi exponitur neceſſitas approbationis, recenſetur electio vitæ in virginitate aut cælibatu degendæ. Quæ Rex quum legeret, non reprehendit ille quidem: ſed potuiſſe tamen aliquid ad vtrumque exemplum commode adijci, iudicauit. Nam è priore exemplo videtur ſequi, nullam eſſe aliam matrimonij cauſſam neceſſariam, præter ſpem ſobolis. atqui expreſſis verbis docemur à Paulo Apoſtolo, etiã illos teneri nuptias cogitare, quibus non contigerit continentiæ donũ, εἰ οὐκ ἐγκρατεύονται, ait, γαμησάτωσαν. Non eſt exigui momenti hæc adiectio. Remedij enim neceſſarij & regulæ Apoſtolicæ contemptus, quibus quantiſque flagitijs quotidie in Eccleſia Romana occaſionem præbeat, ignorat nemo. Studium igitur viuendi in virginitate aut cælibatu, in continentibus mirum in modum ſibi probari Rex profitetur: & quum ſingulari Dei beneficio, ſacræ literæ familiarius ſint eius Maieſtati notæ, quàm vulgo ſolent eſſe Principibus; non fugit ipſum, quid Paulus de re tota pronuntiet, quæ eiuſmodi vitæ in vtroque Fœ- 1. Cor. 7. 9.

dere

pulos terræ vniuersos excogitatis, fidem & disciplinam veteris Catholicæ, variè interpolauit, variè mutauit, & à primitiuæ Ecclesiæ puritate atque simplicitate in multis quàm longissimè recessit.

IIII. Observatio.

Quando quæritur de fide antiquæ Ecclesiæ, sunt qui vno aut altero seculo, post iacta Ecclesiæ fundamenta, antiquitatem circumscribant: æquum verò esse, vt ad disceptandas hodiernas controuersias, id potissimum tempus sumatur, de quo inter contendentes constabit, non solum veram fuisse Ecclesiam, temporis illius Ecclesiam; sed etiam tunc maxime floruisse, & splendorem illum obtinuisse, quæ ipsi tot Prophetarum oracula erant pollicita. Id autem esse tempus, quo prima quatuor Concilia Oecumenica includuntur, à Constantino Imperatore ad Marcianum. Atque hoc vel propterea æquissimum esse, quia primorum seculorum paucissima extant monumenta; illius verò temporis, quo præcipuè Ecclesia florebat, longe plurima: vt facilè ex eius ætatis Patribus & eorum scriptis, fides ac disciplina veteris Catholicæ possit agnosci.

Responsio Regis.

Hoc postulatum parum illis æquum videbitur, qui vniuersam Ecclesiæ primitiuæ historiam, Actuum Apostolicorum, diuino illo quidem, sed tamen vnico libello, volunt contineri. Ab horum sententia longe abest æquissimus prudentissimúsque Rex: qui in Epistola monitoria sua, quanti faceret Patres, etiam quarti aut quinti seculi, ingenuè declarauit. Nec dubitat Rex cum Augustino pronuntiare, quod probatum fuerit Ecclesiam à prima sua origine ad illa vsque tempora seruasse, id tanquam impium velle reijcere, insolentissimæ esse insaniæ. Tres enim recti notas Vincentij Lirinensis, a principio, vbique & semper, dudum amplecti se, vere nec simulate eius Maiestas est professa. Rex igitur & Ecclesia Anglicana, quatuor prima Concilia Oecumenica quum admittant, eo ipso satis declarant, veræ ac legitimæ Ecclesiæ tempus non includere se vno aut altero demum seculo, verum multo longius producere, & Marciani Imperatoris, sub quo Chalcedonense concilium est celebratum, tempus complecti. Sed quod in hac obseruatione pluris videntur æstimari tempora post Constantinum, quàm anteriora: id verò Serenis. Rex valde miratur, & omnino haut probat. Fatetur Rex quarti seculi Ecclesiam gloria, splendore, opibus ac doctorum virorum copia, magis quàm priora floruisse: at rectitudine fidei, quam [illegible] dicunt, & incorruptæ disciplinæ sinceritate, aut parem, aut etiam superiorem priorum seculorum Ecclesiam fuisse, dubitare posse putat Rex mortalium neminem. Leguntur passim apud pios Patres quarti seculi, Basilium, Nazianzenum, Hieronymum,

nymum, Chrysostomum, Augustinum, alios, grauissimæ querelæ de vitijs Ecclesiarum suarum; & varijs deprauationibus: neque potest ambigi, quò longius ab origine primâ recedebatur, eò etiam longius à primæua puritate & simplicitate esse recessum. Quare si de verrenda & mundanda domo Dei serio cogitatur, cur ad Apostolica tempora, aut Apostolicis proxima non potissimum respiciatur? verum quidem est, partem multo maximam illius temporis in tenebris, situ & squallore, propter continuas persecutiones, pijs esse transactam: sed videamus etiam atque etiam, ne in hac quoque re melius sit ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. Paupertas & calamitas bonæ mentis sorores audiunt; diuitiæ & gloria non eandem famam obtinent. Quod si non adeo multi eorum temporum scriptores ad nostram ætatem peruenerunt: at peruenerunt tamen nonnulli, quorum ratio habeatur dignissimi. Vel vnicus certe Christi martyr sanctissimus Cyprianus, primitiuæ Ecclesiæ [illegible] & disciplinam totam melius nos docuerit, quàm multi alij, qui in quarto seculo vixerunt. Summa igitur regiæ responsionis ad hanc obseruationem est; facile passuram ipsius Maiestatem, vt è Patrum scriptis quarti aut etiam quinti seculi argumenta afferantur; ea tamen lege atque conditione, vt pro vere antiquis, & ad salutem necessarijs illa sint admittenda, quæ non tunc primùm fuerint nata, sed quæ ab origine prima nascentis Ecclesiæ obseruatione continuâ ad illos peruenisse constiterit.

V. Obseruatio.

Cvm vnanimis Patrum consensus quæritur, sunt qui tunc de eo satis liquere contendant, quando res eadem totidem verbis apud omnes Patres reperitur. quorum sententia, quum sit palàm iniqua, æquius fuerit ad consensum Patrum cognoscendum, duas hasce regulas adhiberi; Prior est, vt tunc existimetur satis probatus esse consensus Patrum, quando eminentissimi quique singularum nationum, in rei alicuius affirmatione consenserint, neque illis sese quisquam opposuerit, qui quidem orthodoxus censeretur. Sic B. Augustinus contra Donatistas, postquam è prioribus scriptoribus insigniores vndecim laudasset; Patres Concily Ephesini, postquam contra Nestorium decem protulissent, de vnanimi consensu Ecclesiæ prioris fidem se abundè feciisse crediderunt. Posterior regula hæc est. Quando Patres non vt Doctores loquuntur, neque dicunt hoc aut illud sic esse credendum, aut sic faciendum: sed tanquam testes eorum quæ suis temporibus Ecclesia vniuersalis credebat, aut faciebat, dicunt hanc esse fidem aut praxin Ecclesiæ Catholicæ per totum orbem terrarum: tunc eum honorem illis habendum esse, vt ad vnanimem consensum Ecclesiæ eiusmodi affirmatio satis credatur valere.

Regis

REGIS RESPONSIO.

EST quidem æquissima postulatio, vt de communi consensu partium hodie contendentium, ratio ineatur vtiliter vtendi veterum Patrum auctoritate. Nam primitiuæ Ecclesiæ testimonio & pondere sublato, controuersias hodiernas finẽ nunquam, τὸ κατ' ἀξίαν accepturas, neque vlla disputatione fore terminandas, vltro Serenissimus Rex agnoscit. Vt igitur conueniat inter vtrosque, quid & quantum Patribus sit tribuendum, & quatenus eorum auctoritati sit deferendum, non fuerit inutile certas regulas de mutuo partium consensu componi, quæ modum rei præscribant. Inter alios plures ei proposito vtiles ac necessarios canones, etiam duobus hisce locum posse concedi, Rex autumat. Sed quoniam hodie non de ceremonijs controuertitur, aut alijs mediocris momenti rebus; verùm de fidei articulis aliquot, & de dogmatis ad salutem pertinentibus, multo sollicitius dandam esse operam Rex iudicat, vt ante omnia de hac regula inter omnes conueniat: Dogmata fidei, & quicquid ad salutem necessarium meretur credi, è sola Scriptura sacra peti debere: neque à quorumuis mortalium auctoritate pendere: sed è verbo Dei duntaxat, quo suam ipse nobis voluntatem per Spiritum Sanctum declarauit. Patribus enim & Ecclesiæ veteri, fidei articulos eliciendi è Sacra Scriptura, & explicandi ius fuisse: nouos articulos comminiscendi nullum ius fuisse. Isto posito fundamento, & τὸ διαπίστευον paginæ sua Maiestas manebit sarta tecta, & pijs Patribus quæ debetur reuerentia præstabitur. Hoc voluisse omnes veteris Ecclesiæ Doctores, facile potest ex eorum scriptis demonstrari. Nam quid in eorum libris occurrit frequentius, quàm hæc verba? ἐπὶ τῇ διδασκαλίᾳ τῆς γραφῆς: quæ docentur in Ecclesia Dei, è verbo Dei peti debent. aut hæc, ἡ διάκρισις ἐκ τῶν θεοπνεύστων γραφῶν, iudicium de controuersijs in causa religionis penes Scripturam esto. Aut cui iam nota nõn sunt verba aurea Basilij Magni, in libello De fide? φανερὸν ἐκεῖθεν πίστιν ἐξ ἀναγκαίας κατηχήσεως, ἐκεῖθεν τὰ τῇ γραφῇ μαρτυρούμενα, ἢ κηρυσσόμενα τῷ εὐαγγελίῳ, τοῦτον ὑποβάθρα ἔχειν τῆς ὀρθῆς ἀποφάσεως τὸν ἐκ τῆς γραφῆς καρπόν. Et ad propositas quidem obseruationes hęc dicta sunto.

Sequuntur iam quatuor ἐπιχειρήματα. Accedens enim tua illustris dignitas ad hypothesin, vt euincat non credere Serenissimum Regem, quæ olim Catholica Ecclesia credidit, quatuor id argumentis instituit demonstrare, ex ijs rebus petitis, quæ ad exteriorem Dei cultum pertinent, siue liturgiam, & praxin quotidianam. Cur autem has potissimum ἐπιχειρήματα afferat, hanc rationem postea reddit; quia si de his esset conuentum, de cæteris futura sit facilis conuentio. Optaret equidem Regia Maiestas, Illustrissime Cardinalis, posset hoc sperari: sed recordanti ipsi & animo reputanti, quid illud sit quod hodie à vestris scriptoribus,

bus præcipua cura & acriore contentione vrgeatur, non magna illi concordiæ spes apparet, ne tum quidem, si de istis quatuor capitibus à te propositis fuerit conuentum. Non enim iam de istis, aut omnino de vllo religionis Christianæ capite, acrius disputatur, quàm de Romani Pontificis imperio. Is vnus est hodie fidei articulus, à quo cæteri omnes pendent. Quid igitur bonæ spei restat, nisi in illius bonitate & misericordia, cuius vnius est malis Ecclesiæ medicinam facere? In illo speremus, etiam contra spem. αὐτὸς σώσει. Vt redeamus in lineam, quatuor ἄρθρα contra Liturgiam Ecclesiæ Anglicanæ allatæ, sunt istæ.

1 In sacro sancta Eucharistia realem Christi præsentiam non credit.
2 Doctrinam de sacrificio Ecclesię Christianæ respuit.
3 Non precatur pro mortuis.
4 Inuocationem Sanctorum qui in cœlis sunt, damnat.

Ad hæc quatuor paucis respondet Rex.

Ad primam ἄρθρον *de præsentia reali.*

SI in sacrosanctis religionis Christianæ mysterijs, nihil credere fideles existimandi sunt, nisi cuius rationes omnes habent perspectas, & modum tenent: næ multa Christiani reperientur non credere, quæ ipsi tamen firmissima se fide credere non dubitant. Christum Dominum nostrum Dei Patris filium esse, ante omnia secula à Patre generatum: eundem quum sit verus Deus, carnem humanam assumsisse in vtero B. Virginis; ex illa natum esse, virginitate matris illæsa: diuinam naturam humanæ in eandem hypostasin vnijsse: hæc, inquam, & similia his plura, credere se omnes profitentur Christiani: à quibus tamen si modum quæras, quo ista sunt facta, aliud fidem esse Theologicam dicent, aliud humanam scientiam: piéque vsurpabunt Galeni, parum alioquin idonei pietatis magistri, verba eximia è libro XV. De vsu partium. τὸ ὅτι ἐχθὲς εἶπον, καὶ πολλάκις ἔφην ζητεῖν, αἰσχρὸν φαίνεσθαι, ἢ τοῦ δείνος, καὶ τοῦ δημιουργοῦ δυσφημεῖν. Patres verò quoties nos dehortentur à quæstione τοῦ ὅτι, & curiositate modi explicandi in diuinis mysterijs, si aggrediar hic adnotare, longum fecero. Gregorij Nazianzeni verba sunt tibi nota in oratione priore, De Theologia: Λέγεις γάμους· τὸ ὅτι μὲ ἐρωτᾷς, λέγει τὸ σιγᾶν τὸ ἀρρήτου εἶναι τοῦ Πατρός, τὸ ὅπως μὲ πολυπραγμονεῖ. & alio loco idem: Θεῖ γάμους σπανίς παιδία. μέγα σιγᾶν μαθεῖν ἐν γάμοις· τὸ ΔΙΟΤΙ δὲ λυπεῖ ἀπιστῶν, μὴ ἐν γάμοις, συμφορήσῃς. Erat Gregorio res cum Arrianis peruicacissimis hæreticis: quorum impiæ curiositati, non subtilitate disputandi conatur satisfacere: sed tanti arcani modum & rationem quæri vetans, silentium illis indicit. Hac pia moderatione si Rex & Ecclesia Anglicana in sacrosancto Eucharistiæ mysterio vtuntur, quæ, obsecro, inuidia est? Legimus in Euangelijs, Dominum nostrum

cum

Digitized by Google

cum hoc sacramentum instituebat, panem sumpsisse, & dixisse, *Hoc est corpus meum* : quomodo panis corpus suum esset, ne verbulo quidem vno explicuisse Christum legimus. Quod legit Ecclesia Anglicana, hoc pie credit : quod non legit, pari pietate non inquirit. Mysterium istud magnum esse, humano ingenio incomprehensibile, ac multo magis inenarrabile, fatetur & docet : de efficacia illius sentit quam augustissime : ad sacram mensam accessuros conscientiæ omnes scrutari recessus, & peccata confiteri, vtique apud Deum, sed & si opus fuerit, apud presbyterum, iubet ; accedentes, vt ad omnem humilitatem & deuotionem se componant, sedulo monet : genibus flexis communionem corporis Christi accipit : nec solum in communi conuentu panem mysticum fidelibus diuidit ; sed etiam morientibus hoc viaticum, vt appellant Patres Concilij Niceni, & tota antiquitas, administrat : postremò, quum ab omni curiositate velit Rex, suorum ingenia abstinere ; quæcunque tamen pij Patres primorum seculorum, ad commendationem ineffabilis mysterij dixerunt, ea ipse admittit : Patrum etiam verba, μεταβολὴ, μετάστασιν, μετουσίωσιν, & similia, ex mente ipsorum si accipiantur & exponantur, non reijcit. Hæc Regis & Ecclesiæ Anglicanę doctrina, si vobis non satisfacit : nempe illud restat, vt Transsubstantiationis dogma, quò vobis placatis possit vti approbet. Istud vero non est rei veritatem pie credere : sed importuna curiositate modum decernere : quod Rex cum Ecclesia sua nunquam est facturus, nunquam probaturus. Miratur verò Sereniſſimus Rex, quum fateatur tua illustris dignitas, non ἀσυγχύτως quærere vos, vt credatur Transsubstantiatio, sed vt de præsentiæ veritate ne dubitetur : Ecclesiam Anglicanam, quæ toties, id se credere publicis scriptis est testata, necdum vobis feciſſe satis. Vt igitur certo cognoscas, quid in hac Ecclesia super illa re credatur, quid doceatur, describam hic reuerendissimi viri Domini Episcopi Eliensis locum integrum, è libro quem paucos ante menses aduersus Cardinalem Bellarminum edidit. Sic ille capite primo. *Quod Cardinalem non latet, nisi volentem & vltro, dixit Christus, hoc est corpus meum : non, Hoc modo hoc est corpus meum. Nobis autem vobiscum de obiecto conuenit, de modo lis omnis est. De Hoc est, fide firma tenemus, quod sit : de Hoc modo est (nempe transsubstantiato in corpus pane) de modo quo fiat, vt sit Per siue In, siue Cum, siue Sub, siue Trans nullum inibi verbum est. Et quia verbum nullum, merito à fide ablegamus procul : inter scita scholæ fortasse, inter fidei articulos non ponimus. Quod dixisse olim fertur Durandus, neutiquam nobis displicet, Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, præsentiam credimus. Præsentiam, inquam, credimus, nec minus quam vos veram. De modo præsentiæ nihil temere definimus : addo nec anxiè inquirimus, non magis quàm in baptismo nostro, quomodo abluat nos sanguis Christi : non magis quàm in Christi incarnatione, quomodo naturæ diuinæ humana in eandem hypostasin vniatur.*

niatur. Inter mysteria ducimus (& quidem mysterium est Eucharistia ipsa) cuius quod reliquum est debet igne absumi, id est, vt eleganter in primis Patres, fide adorari, non ratione discuti. Hæc fides Regis, hæc fides Ecclesiæ Anglicanæ. Quæ vt breui compendio rem omnem complectar, in cœna Domini, realiter participem se fieri credit corporis & sanguinis Christi, vt Patres Græci dicunt, & quod Bellarminus ipse fatetur, spiritualiter. Per fidem enim Christum apprehendunt & manducant: credúntque nullum aliud manducationis genus ad salutem vtile esse posse. quod & omnes vestri semper fassi sunt.

Ad II. locum de sacrificio in Ecclesia Christiana.

VEteris Ecclesiæ Patres sacrificium in religione Christiana vnum agnouisse, quod in locum successisset omnium legis Mosaicæ sacrificiorum, neque ignorat Rex, neque negat. Sed hoc sacrificium nihil esse aliud contendit, nisi commemorationem eius, quod semel in cruce Christus Patri suo obtulit. Quare B. Chrysostomus, quo frequentius nemo huius sacrificij meminit, in nonum caput Epistolæ ad Hebræos, postquam θυσίαν nominasset, continuo subiungit, siue explicationis, siue etiam correctionis loco, μᾶλλον δὲ ἀναφορὰν θυσίας. illa locutio μᾶλλον δὲ, quam vim habeat, scis ipse omnium optime. Sæpe autem Ecclesia Anglicana professa est, de verbo nullam se litem moturam, si modò impetrari à vobis posset, vt pristina fide in integrum restituta, quæ contra vsum veteris Ecclesiæ à vobis vsurpantur, tollerentur. Nam Eucharistiæ celebrationem sine communicantibus, & vniuersam illam priuatarum missarum nundinationem, multis etiam vestrorum Theologis damnatam, certum est à peruersa doctrina de hoc sacrificio originem habuisse. Quod autem ad extrahendas defunctorum animas è flammis Purgatorij sacrificia missarum exiguntur, & quidem sæpe repetita; otiosorum hominum & simplicitate populorum ad quæstum suum impie abutentium, delirium esse, Rex non dubitat. Tollantur hi & similes his alij crassi fœdique abusus, qui apud vos obtinent: ab Ecclesia Anglicana, quæ in sua Liturgia expressam sacrificij mentionem habet, facile impetraueris, vt in veteris Ecclesiæ vsu acquiescat. Quamobrem Serenissimus Rex quum nuper ei essent narrata, quæ paullo ante in celeberrimo conuentu Dominicanorum docte fuerant à te disputata, de duplici sacrificio, expiationis nempe, & commemorationis, siue religionis; sibi quoque idem probari, multis audientibus pronuntiauit; & nunc etiam vt hoc ipsum tibi confirmarem eius Maiestas me iussit.

Digitized by Google

Ad III. item de precibus pro mortuis.

CONsuetudinem esse vetustissimam, vt in publicis Ecclesiæ precibus commemoratio fiat defunctorum, & quies illis petatur à Deo, qui in pace Ecclesiæ sunt mortui, pauci hodie ignorant, nedum Serenissimum Regem hoc fugiat. Eum morem à charitatis vehementia esse profectum, non videtur ambigendum. Sed & fidem suam de futura resurrectione, vetus Ecclesia eo pacto approbauit. Hunc ritum Ecclesia Anglicana etsi non damnat in primis seculis, hodie tamen sibi non putat retinendum, idque propter causas & plurimas & grauissimas. nonnullas de multis hic attingemus. Prima omnium est, quia sine vllo præcepto supremi in Ecclesia sua Legislatoris Christi, primo fuisse eum morem introductum, habet persuasissimum: neque hactenus contrarium huius à vestris Doctoribus potuit demonstrari. Quare etsi non tantum sibi sumit Rex, sicut in Monitoria sua dudum est protestatus, vt veteris Ecclesiæ vsu probatum institutum ausit condemnare: nihil tamen dubitat eius Maiestas, Ecclesiam suam nulla eius necessitate hodie teneri. Nam quicquid est, quod hac in parte veteres fideles fecerunt: id omne Rex ad illud caput vtilium vel licitorum refert, de quo in secunda obseruatione est dictum: ad ea certe quæ absolutè necessaria sunt, nulla ratione persuadebitur, hunc ritum pertinere. Vnde enim illa necessitas? non ex lege Dei, qui hoc nunquam imperauit. Si ab eo fonte non est, nulla profectò est. Posuimus enim, sola illa ad salutem necessaria existimari debere, quæ aut expressè continentur in verbo diuino, aut necessaria consecutione inde fuerint deducta. Quorum neutrum hic locum habet. Ea verò quæ vetus Ecclesia, sine vlla necessitate aut credidit aut fecit, libera hodieque nobis esse debere, antea dictum est. Secunda ratio est, quòd licet fateatur Rex hanc consuetudinem antiquissimos auctores habuisse; à principio tamen & temporibus Apostolicis, vnde omnis Ecclesiæ antiquitas repeti debet, sic factum esse, nemo ad hanc diem potuit probare. Accedit quod preces, quæ olim fiebant, & modo & fine multum ab ijs differebant, quæ fiunt hodie & docentur. Tertiam rationem adijcit Rex, quod vbi semel preces pro defunctis admissæ fuerunt in Ecclesiæ ritus, mox pudendorum errorum & plus quam anilium superstitionum caterua ingens agmine facto in Ecclesiam irrupit. Iudicent verò æstimatores æqui, vtris potiùs Catholicorum appellatio sit deneganda; Regíne & subditis ipsius, qui rem nulla necessitate introductam, propter insecutos errores desinunt vsurpare, aut iam sibi licitam putare: an vestris hominibus, qui omnes superiorum seculorum, quamuis fœdos & perniciosos errores, sophisticis cauillis mira pertinacia defendere malunt, quàm corrigere.

Ad IV. Ser. Regis de inuocatione Sanctorum.

DE Sanctorum inuocatione Ser. Rex dicit idem, quod de precibus pro defunctis. A tenui principio, quod nemo iam nescit, res postea magnum incrementum cepit: donec tandem eò ventum, vt superioribus seculis (atque vtinam nunc quoque multis in locis non idem fieret) populus Christianus plus fiduciæ & præsentis auxilij spem certiorem poneret in Sanctis, quàm in ipso (nefas dictu) Seruatore: qui ἀμφοῖν θεὸς ἐστὶν ἀνθρώπων, vt salutem hominibus, hostibus suis pararet, ταύτην ἐποιήσατο μισθὸν λαβὼν, ἵνα τοσοῦτον ἐαυτὸν χρεώστην ἐποίησε μᾶλλον ἀνεκτίητον, ἀνεκτίητος ἦν ἀεί. Et quum Dominus ipse, quæ est illius omnem superans admirationem bonitas & clementia, in Euangelio, suauissimæ dulcedinis verbis ad se miseros peccatores vocet, *Venite ad me*, inquiens, *omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*: extitere tamen peruerse ingeniosi doctores, qui inuitationem adeo blandam inutilem conarentur reddere: & vnicum apud Deum Patrem humani generis Aduocatum, terribilem & semper immitem depingentes, miseris hominibus persuaderent, nullum ad Christum sine intercessione plurium aduocatorum aditum patere. Fuerunt etiam qui palàm docerent, iustitiæ seueritatem Christum sibi reseruasse, gratiam & misericordiam beatissimæ Virgini reliquisse. Tum autem officia inter Sanctos & curationes solertia admirabili, ne dicam superstitione detestabili, sunt distributæ. Et olim quidem suffragia illorum duntaxat expetebantur, vt sua gratia apud Deum intercederent: postea verò etiam libris repletus est mundus, qui proprie pertinerent ad huius illiúsue Sancti cultum, & formulas docerent petendi ab eo necessaria. Igitur in locum Psalmorum, quem libellum diuinum omnes olim Christiani, viri fœminæ, senes iuuenes, diuites pauperes, docti indocti, perpetuò in ore & manibus habebant, successerunt Horæ B. Virginis, & Legendæ, siue potius fabulæ vt plurimum, impiæ ac deliræ, (de veris Martyrum historijs non loquor) & similes quisquiliæ. Parum est quod excussus est de manibus fidelium tam diuinus, tam necessarius libellus: nisi esset repertus, qui ad honorem B. Virginis Psalmos omnes transferret, omnia illi tribuens, quasi inter Deum & hominem ἀληθὲς & ἀψευδὲς nihil interesset, quæ spiritu prophetico de vnico filio Dei fuerant prædicta. Sereniſſimus Rex glorioſissimam Virginem Matrem Dei, prædicat beatissimam; neque dubitat in supremum honoris gradum esse euectam, qui humanæ creaturæ à Deo creatore potuit tribui. Perplacet etiam illi quod Ecclesia Anglicana memoriam B. Virginis certis anni diebus concelebrat. Sed nullis technis ab eius Maiestate hodierni Sophistæ expresserint, vt quod diximus B. Virginis Psalterium approbet, aut omnino ferat. Nam Cardinalem Bellarminum

Phil. 2. 7.

Matth. 11. 28.

Digitized by Google

larminum, qui nuper defendit, ne vestris quidem hominibus, qui sensum pietatis non plane exuerint, probari, Sereniſſimus Rex autumat. Hiſce morbis intercutibus quum letaliter prope iam Eccleſia Romana laboret; demiratus eſt Rex, quod in tua, Illuſtriſſime Cardinalis, epiſtola legit, inuocationem Sanctorum quæ hodie à veſtris vſurpatur, primitiuæ Eccleſiæ temporibus fuiſſe in vſu. Breuiter igitur reſpondet: primis naſcentis Eccleſiæ temporibus, alium præter vnum Deum Opt. Max. fuiſſe orari ſolitum, demonſtrari omnino haut poſſe. Nullum eius rei præceptum extare in verbo Dei; nullum penitus exempli alicuius veſtigium. Solus Deus adorabatur ſolus orabatur per filium ſuum vnigenitum, Mediatorem inter Deum atque homines vnicum, ſolum, [illegible] poſtea morem eſſe introductum orandi ad memorias Martyrum: ac paullatim cepiſſe apoſtrophas fieri ad Sanctos, extra Dei cultū: optari etiam & vota fieri non ad illos quidem primò, ſed vt illi Deum orarent. Quod ſi hac fine exempla noua ſtetiſſent, ne Rex quidem illorum temporum conſuetudinem vehementer reprehenderet: certe non ita damnaret, vt quod poſtea receptum eſt moribus. Beatos enim Martyres & alios Sanctos, cum Chriſto, capite vtriuſque Eccleſiæ, triumphantis & militantis, nunc regnantes, veneratur ipſius Maieſtas, eoſque pro neceſſitatibus Eccleſiæ aſſidue orare non dubitat: preceſque ipſorum non eſſe inutiles firmiter credit. At quo auctore & quaſi ſponſore credatur, orantium preces ab ipſis audiri, ac propterea pro Dijs penatibus & tutelaribus eos eſſe habendos, id vero neſcire ſe ingenue fatetur. Quamobrem quæ deinceps poſt prima ſecula ſunt ſecuta, mirifice Rex improbat. Per gradus enim ad ea peruentum eſt quæ modò dicebamus: & quæ Eccleſia Anglicana cum ſumma impietate eſſe coniuncta, non veretur affirmare. Quod ſi in Patribus quarti ſeculi exempla reperiuntur alicuius inuocationis, (& quidem reperiuntur, neque hoc Rex neſcit) fuit hoc nempe deficientis antiquæ ſimplicitatis & mali iam gliſcentis indicium; eiuſmodi tamen mali, quod nullo pacto cum ijs ſit conferendum, quæ hodie in Eccleſia Romana & fieri, & ferri, & doceri, atque defendi cernuntur. Poſtremò ſeculi illius morem inter vtilia aut licita ſi admiſerunt pij Patres: at inter abſolutè neceſſaria ad ſalutem, nunquam profectò poſuerunt. Atqui de his, non de illis, propriè ſermo fuerat inſtitutus. Et de quatuor quidem obiectionibus aduerſus Liturgiam Anglicanam propoſitis hactenus.

Putat verò Rex, conſultò factum eſſe à te, vt ex omnibus, quæ in ipſius religione minus probabas, ea potiſſimum ſeligeres, quæ ad ſynaxes pertinent. Nam communio inter fideles, in publicis maximè pietatis exercitijs eſt poſita: atque hoc eſt optatæ bonis vnionis vel præcipium coagulum. Quare ſi de hac ſaltem re inter Chriſtianos hodie conueniret,

ueniret, nihil vetaret, quominus inuicem populi Europæ communicarent: facta interim Doctoribus S. Theologiæ facultate, vt dogmatum aliorum veritatem in ſcholis placide inquirerent. Quod quidem valde eſſet optandum: & hoc ſemel poſito fundamento, bene de cætero, cum auxilio Dei, videri poſſet ſperandum. Propterea Sereniſſimus Rex, tuum hac in parte iudicium apprime laudans, faciendum putauit, vt ipſe etiam ex ijs quæ in Liturgia veſtra reprehendit, quædam hic adnotaret. Quod ſi propter illa quatuor, quæ ipſe in Liturgia Anglicana deſideraſti iuſta ſatis cauſſa eſt, vt tibi quidem videbatur, cur qui illa vtuntur nec credantur nec dicantur Catholici: viderit tua illuſtris dignitas, quid de Romana Eccleſia Regem pronuntiare oporteat: in cuius Liturgia (nam alias partes religionis veſtræ Rex nunc omittit) tam multa pij viri dudum obſeruarunt, verbo Dei & veteri fidei Catholicæ palàm repugnantia: quæ tamen defendere hodie, in hac luce veritatis Romanus Pontifex mauult, quàm emendare. Et poterat quidem Rex nullo negotio, plurimos hic commemorare Liturgiæ Romanæ grauiſſimos errores: ſed placuit ipſius Maieſtati quatuor duntaxat afferre, quæ tuis illis quatuor, de quibus diximus opponit. Primum eſto, Linguæ ignotæ vſus, contra Pauli admonitionem & primitiuæ Eccleſiæ praxin: quæ nihil habuit antiquius in ſuis ſynaxibus, publica vtilitate, & audientium ædificatione. Itaque verti S. Scripturam in omnes linguas Patres curarunt, & vt notat Epiphanius *ἑρμηνεῖς* habuerunt, qui ſi opus eſſet, linguam in linguam verterent *ἀπὸ τῆς διαλέκτου*, inquit ille: hoc eſt, cum ſcripturæ populo legebantur. Sane vulgo fuiſſe intellecta quæ recitabantur, vel illud vnicum euicerit, quod in ſingulis fere Patrum Græcorum & Romanorum homilijs occurrit, *vt audiſtis legi*, vel *vt hodie lectum eſt*: quod hodie ſi veſtri concionatores dicerent, ridicule facerent. Nam ſi quæ leguntur è libris diuinis nihil eorum miſer populus intelligit: qui tamen multo magis hodie, quam olim opus haberet, ſaltem in Eccleſia verbum Dei cum recitatur intelligere. Veteres enim cogebant vnum quemque, vt libros ſacros domi aſſidue legeret: qui nunc ſub anathematis pœna vetantur attingi ſine venia adeo vt inter libros prohibitos primum locum libri ſacri, & à Deo profecti, horrendum dictu, teneant. Non ignorat Rex, etiam inter vos reperiri Bibliorum verſiones in linguas vulgares. ſed docuerunt eius Maieſtatem Sacerdotes Angli, qui Duaci ſacram paginam in ſermonem Anglicum verterunt, ab inuitis vobis eſſe expreſſas illas verſiones *importunitate hæreticorum*, vt loquuntur Duacenſes. Nam illis velle Dei verbum ſobrie & reuerenter legere, hæreſis eſt. Neque ignorat Rex, quum in Gallicum idioma Renatus Benedictus preſbyter Biblia vertiſſet, quantum illi moleſtiarum eam ob cauſſam, Romani Pontifices exhibuerint: qui etiam ſemel, literis ad Epiſcopum Pariſienſem datis, id agere eum iuſſe-

Lib. 3. extrema.

runt,

Digitized by Google

runt, vt omnes Gallicæ librorum Sacrorum versiones, de manibus populi tollerentur. quod & factum procul dubio fuisset, si nulli in Gallijs protestantes extitissent. Nuper etiam legebat Serenissimus Rex in libro Angli cuiusdam presbyteri Pontificij, preces incognita lingua conceptas, nescio quid maioris efficaciæ habere, quàm si intelligerentur. quod insulsissimum delirium ab ethnicis primò excogitatum, hodie non est illius presbyteri proprium. Sic olim Valentiniani hæretici Hebraicis verbis vulgo ignotis in suis mystagogijs vtebantur, vt plebi imperitæ admirationem & stuporem excitarent, atque vt ait Eusebius in quarta Historia, [illegible]. Secundus error esto, sacræ Eucharistiæ mutilatio contra institutionem Christi, exemplum Pauli, & praxin continuam Ecclesiæ in publica synaxi, per annos minimum mille, fatente etiam Cassandro, viro eruditissimo. Tertio loco sunto Missæ sine communicantibus, item priuatæ atque angulares. Iam ante dictum, originem hæc habuisse è peruersa doctrina de sacrificio in Ecclesia Christiana. Restituantur vetus fides, vetus praxis. Quarto loco profert Rex, imaginum hodiernum vsum, cultum atque adorationem. Fatentur abusum etiam Patres Tridentini: & Catechismus Romanus quædam vtiliter monet. Quid refert? manet error, probatur, defenditur, & glisci in dies. Omittit Rex adorationem Sanctorum atque inuocationem. Vt fit hodie, excusari res non potest, non debet. corrigantur, non autem excusentur, quæ palàm cum lege Dei & vsu primitiuæ Ecclesiæ pugnant. Omittit reliquiarum adorationem religiosam, quæ & docetur hodie & exhibetur, vt res necessaria; aut plurimum certè ad salutem conducens. Accedit rei absurditas intolerabilis: vt cum falsæ reliquiæ pro veris obtruduntur; aut palàm ridiculæ: vt cum lachrimæ Christi ostenduntur, aut lac B. Virginis, & id genus alia. Omittit licentiam concionantium, extra Dei verbum aberrantium, quibus lex poni debuerat, ne vllam populo doctrinam proponerent, velut ad salutem necessariam, quæ ex oraculis diuinis non sit hausta, & primæuæ antiquitatis fidei consentiens. Ea namque est illa [illegible], quam tot locis Apostolus commendat. Hac lege semel sancita, ruent sponte sua, quæ hodie in Ecclesia Romana fiunt permulta: ruet doctrina de indulgentijs: ruet putidum illud commentum de pœna intensiua in Purgatorio: vbi multa annorum millia in vna minuta comprehendi docentur, vi pœnæ istius intensiuæ: ruent illæ in precibus ad Deum inanes battologiæ, quas sibi non placere, Christus ipse nos docet: neque amplius credetur magnum esse meritum, si quis Rosarium suum, aut alias preces vel psalmos, ignota sibi lingua decies, vicies, quinquagies, centies repetat. Istis incommodis, & similibus alijs si esset, à vobis prospectum, cur ab Ecclesiæ vestræ synaxibus Dei timentes viri, putarent sibi abstinendum, nulla fortasse ampliùs satis

iusta

iusta causſa restaret. Ne illud quidem prætermittendum sibi Rex putauit, quod sub finem tuæ epistolæ habetur. Scribis enim, de Romano Pontifice nolle te verba facere: quum vel mediocriter in historia Ecclesiastica versatis compertum sit, primorum seculorum Patres, Concilia & Imperatores Christianos, primas illi semper detulisse, & præcellentis dignitatis prærogatiuam, in omnibus negotijs, ad religionem aut Ecclesiam spectantibus: atque hoc solum exigere Ecclesiam vestram pro articulo fidei credendum ab ijs, qui cõmunioni suæ se adiungunt. Ad hæc respondens Rex, fidem tuam appellat, Illustrissime Cardinalis, petitque à te, vt animo reputes facta Romanorum Pontificum ab annis fere septingentis. Non vult eius Maiestas Camarinam illam nunc mouere; scire tamen te cupit, planè sibi fide certa notum atque exploratum esse, hodiernos Pontifices eius Sedis vsque adeò primorum Paparum esse dissimiles, fidei integritate, proposito vitæ, & totius administrationis forma ac scopo; vt longè iniquissimum putet, rebus sic stantibus à prioribus seculis ad præsens tempus trahere argumenta. Reddatur Ecclesiæ sua pristina forma, & tot noua iura olim inaudita penitus tollantur. Denique rebus ipsis probet Romanus Pontifex, non suam se, verùm Dei immortalis gloriam quærere, & populorum pacem, concordiam ac salutem sibi esse curæ: tum Sereniſſimus Rex, quod in Monitoria sua dudum est protestatus, sine cunctatione primas illi deferet, ipsumque πάντων τῶν ἐκκλησιῶν πρῶτον, cum Gregorio Nazianzeno, dicet non inuitus. Nunc de illa Sede quid Ecclesia Dei statuere debeat, imprimis autem Reges ac Principes vel teipsum Sereniſsimus Rex fert iudicem. Non enim ignoras, quàm multi quotidie & Româ & ex omnibus iam Europæ angulis subinde libri prodeant, ad temporalem Papæ potestatem, siue potius omnipotentiam, & in Reges, Principes, ac populos Orbis terrarum vniuersos ἀναντιῤῥήτως ſtabiliendam. Non ignoras, Cardinalem Bellarminum super illo argumento ea nuper scribere, & statim à morte Henrici Magni publicare esse ausum, quæ omnes boni etiam è vestris sunt detestati. Boni, inquam, & pij sunt vbique locorum detestati: at complices eiusdem conspirationis, ceu profectum oraculum ex ore Pontificis, qui errare non potest, tota voluntate suscipiunt, & pro virili sua multi defendere conantur. Itaque Iesuitæ Ingolstadienses, in recente libro, quem aduersus Iohannem Gordonium Decanum Salisburiensem, virum nobilissimum & doctissimum ediderunt, ex illo Bellarmini scripto non secus argumenta ducunt, quàm si ea esset omnium Catholicorum constans & consentiens opinio. At cogitet quæso tua illustris dignitas, quid simile primæua Ecclesia viderit, quò tendat hic vesanus furor: diligentérque apud se expendat, in quantum ruinæ vltimæ periculum Ecclesiam Christi conijciant, quicunque ea, quæ hodie fieri docerique vide-

videmus, probant aut ferunt. Nam vt hoc solum dicam, de reconciliatione dissidentium Ecclesiæ membrorum, quandiu apud vestros ea manebit rerum facies, & factæ diuisioni esse præbita occasio negabitur, vel cogitare merus fuerit stupor, mera stultitia. Vltimum illud erat in tuis: paratum esse te, perspicuè demonstrare, quàm bene in articulis hodie controuersis, Sedibus Patriarchalibus quæ adhuc supersunt, cum Romana Ecclesia conueniat. Verum eo labore posse te supersedere Serenissimus Rex autumat. Scit Rex, sciunt alij omnes, harum rerum paullo saltem curiosiores, non solius Occidentis, sed etiam Orientis, Septentrionis ac Meridiei Ecclesias, ab aurea simplicitate primorum seculorum longè discessisse, ac longius etiam fortasse multo quàm par erat: nisi quod prædictam in diuinis oraculis defectionem à priore fide, euenire fuit omnino necesse. Scit etiam apud illos populos, ritibus ritus subinde esse accumulatos, & hominibus superstitiosis nimium vbique ab annis mille & amplius licuisse. At enim cum de reformanda Ecclesia Dei agitur, non hoc, opinor, quæritur, quid hodie Orientalis Ecclesia, aut Moschouitica, vel aliæ credant faciántue: sed id potius quæritur, quid ab initio docuerint Apostoli, quid eorum temporibus, & proximè secutis Ecclesia vniuersalis vsurparit. Illud est illud exemplar, quod omni amota exceptione, sequi velle se Rex ingenuè atque ex animo profitetur. Quanquam ne istud quidem rerum Ecclesiasticarum periti cuiquam concesserint: doctrinam Ecclesiæ Romanæ per omnia hodie congruere cum doctrina, quæ in Ecclesijs aliorum Patriarcharum iam obtinet. Ne de cultu statuarũ hodierno, igne purgatorio vestro, præcisa cælibatus obseruatione, aut Romani Pontificis infinita potestate, etiam supra Concilia, similibúsue alijs articulis quicquam hic dicam: certum est, in ipsa S. Eucharistiæ mystagogia multum diuersos esse Græcos à vobis Romanis: adeo vt non dubitarit Marcus Ephesi Archiepiscopus de Missa Romana loquens affirmare, ipsam in maximi momenti rebus, cum verbo Dei, & antiquis Liturgijs pugnare. ἀφίδλον (ait) φέρε γὰρ ἐκεῖνον πρῶ πρὸς τὰ παραδεδομένα ἐκδίκως, ἢ ἐξηγήσεις, ἢ πρὸς τὰ ἀποστολικὰ ῥήματα ἢ πρὸς αὐτοὺς τοὺς ἱεροὺς κανόνας. eos autem qui ritus Romanos hac in parte defendunt, idem Marcus pronunciat ἀναίδην δικαίως τῆς ἀληθοῦς εὐσεβείας, ἢ τῶν εἰς θεὸν πεμφόντων. Sed hęc impresentiarum satis. Habes, Illustrissime Cardinalis, expositas causas, cur Serenissimus Magnæ Britanniæ Rex etiam post epistolam tuam lectam, Catholicum se esse, & Ecclesiam suam Catholicam misericordia Dei fretus, credere, & certò affirmare non vereatur. Qui si infinito quodam desiderio adiuuandæ publicæ concordiæ non flagraret, aut te esse alienum ab eo proposito iudicaret, huius responsionis labore profectò supersedisset. quum præsertim eius Maiestas quotidiana vestrorum hominum facta scriptáque ad animũ reuocans, propè iam habeat ratum & fixum, sicut ante dicebamus, nullam per illos iam

supereſſe

supereſſe amplius ineundæ concordiæ neque ſpem, neque rationem. Tueri namque omnia eſt illis propoſitum, non proficere in melius, & ſeria rerum deprauatarum emendatione; piorum animos ſibi conciliare. Quo in propoſito quandiu veſtri pergent, neque vllum antiquitati aut veritati locum dabunt, ſemel profitetur Sereniſſimus Rex, nihil ſe illos morari, neque vllam ſibi communionem cum Eccleſia Romana, vnquam futuram. Quod ſupereſt Dominum Ieſum veneratur ipſius Maieſtas, vt quas in te largiter contulit animi dotes excellentes, ad ſui nominis gloriam, & vtilitatem Eccleſiæ velit ſemper dirigere.

Vale, Illuſtriſſime Domine. Londini V. Eidus Nouembr.

M. D C. X I I.

Μὴν θεῷ λέγε ἃ χρεών.

PRO

PRO
IVRE REGIO,
QVOD POTESTAS REGVM SVMMA SIT, DEOQVE VNI OBNOXIA:

Contra

ILLVSTRISSIMI CARDINALIS *PERRONII*

ORATIONEM HABITAM

Lutetiæ in conſeſſu Tertii Ordinis

VIII. Kalend. Febr.

M.DC.XV.



Digitized by Google

PRAEFATIO.

NON *sum ingenio meo curiosus in aliena Rep. nec ardelio in vicinorum negotijs. Regiæ dignitati, qua me ornauit Deus, magis conuenit leges dare meis subditis, quam consilia alienis. fecit tamen amor Henrici IV. piæ memoriæ, fratris mei honoratissimi; tum dolor ex immani Principis optimi parricidio; addo etiam, meorum ex eodem fonte periculorum memoria, vt amicorum malis afficiar, eò sanè maioribus, quò Reges ipsi, quorum maximè ea res interest, minore eorum sensu afficiuntur. Quos si nequeam monendo expergefacere, testabitur saltem posteræ ætas, rebus adeo vrgentibus me officio non defuisse; regnorúmque euersiones, regúmque cædes, quæ in posterùm fortè accidant, monitoris inopia non contigisse. Nam persuasum habeo, ideo me quoque in solij regij fastigium à Deo esse euectum, vt pro eius maiestate in vicariis læsa è loco editiore loquentem homines audiant facilius.*

Sperabam sanè Ordines regni, in nuperis Lutetiæ Comitiis, & Regum suorum immaniter peremptorum, & ciuilis belli memores, cui initium dedit fulmen Pontificis quemadmodum tonitrua sequitur grandinis ruina; memores infamis doctrinæ de Regibus occidendis & abdicandis iam orbi tot libris vulgatæ; sperabam omni ope in id eos incubituros vt inualescentibus

centibus hiſce malis occurrerent. Quinetiam ſeriò gaudebam à Tertio ordine publicè relatum fuiſſe de ratione & via qua perniciosæ illæ opiniones hominum animis eximerentur; quod, *ſcilicet*, de Regum ſceptris pro arbitratu ſtatuere poſsit Pontifex, quod per Regum cædes ad Martyrij gloriam ſit peruenire. *Verùm multò aliter euenisſe nunc intelligo: hæc enim Tertij Ordinis rogatio, quaſi poſtremus expirantis libertatis halitus, regium decus magis ac magis Pontificis imperio ſubiecit; & ſeruitutis publicæ nodum arctiùs conſtrinxit. vt enim medicamenta, quæ ægrum non iuuant, morbum efferant, ſic oblatum à Tertio Ordine ſalutare remedium vim morbi duntaxat irritauit, vidum, ſcilicet, praui humoris æſtu per contradicendi calorem concitato. Et ſanè melius erat litem non mouiſſe, quàm veritatem peregrinæ factionis iniuriæ expoſitam deſeruiſſe. Poſtquam enim magnæ doctrinæ & nominis Præſul, in cœtu celeberrimo, nec ſuo ſed Eccleſiæ nomine, & ſuffragante Nobilitate, illam in Reges Pontificum auctoritatem aſſeruit, nulla ſequuta abrogatione; laudatùſque is à Pontifice & gratijs ornatus ſuam orationem, qua Regem mancipat Pontifici, cum Priuilegio Regis excuſam ad me miſit; ratus ex eius lectione nullum relictum iri apud me locum ſcrupulo: fatendum eſt, finitis Comitiis, ancipitem mihi viſum iuris regij ſtatum; atque adeò ex receptâ Cleri doctrinâ, quis iam regnet in Galliâ incertum eſſe. Nemo enim dubitat eum præter nomen Regis nihil habere, qui regnat precariò, & ad Papæ nutum regno poteſt excidere. Non eſt ſupremus rerum temporalium dominus, quem ſuperior, cùm volet, iis exuat. Quod ſi propiùs ſenſum illius Articuli à Tertio Ordine exhibiti intuemur, comperiemus eius auctoribus nihil aliud propoſitum fuiſſe, niſi vt ſuo Regi regium, id eſt, ſupremum in ſuos vindicarent imperium; nec inter opera Deo grata numeraretur poſthac regum laniena. Id quum contrarijs Nobilitatis & Cleri ſtudijs vehementer eſſet oppugnatum, tanquam*

Digitized by Google

tanquam ſchiſmatum & hæreſeon omnium ſeminium; & eò iam prouecti eſſent, vt diſertè affirmarent hac rogatione latâ neceſſariò ſequi, nihil aliud fuiſſe multis retrò ſæculis Eccleſiam, quàm Antichriſti regnum & Satanæ ſynagogam: non mirum eſt, ſi Papa Nobilitati & Clero, pro fide in ſe & amore, literis pæne triumphalibus gratias egerit; exultabundus ob partam in Reges victoriam, non ſuo labore, ſed generoſa Nobilium fortitudine, aduerſus plebeios homines, quos per opprobrium ex fece plebis nebulones *appellat; homines, qui videri volebant ſupra vulgus ſapere, & plus cæteris Reges amare, & Magiſtros ſuos reuocare ad ferulam.*

Ex pluribus compertum fuiſſe hæc verba in literis Pontificis ad Nobiles, licet ex impreſſis eraſa ſint.

Verùm pietate & ſtudio in Principem quis Tertium Ordinem miretur Clericis priorem? Hi ſunt, qui ſe negant Regi ſubditos, externo Domino, à cuius incolumitate pendent, toti addicti; nihil præter officium rati ſe feciſſe, ſi eius imperij dignitatem quibuſcunque rationibus extollant, cuius (vt aliâs docui) partem ipſi conſtituunt. At regiam dignitatem à Nobilitate proſtitui, qui ordo inſtar dextri brachij Regum præſidio deſtinatur, & ab ijs publicè affirmari, Regem regio iure poſſe exui: *id vero non minus mirum aut abſurdum cenſeri oportet, quàm ſi caput à brachio impeteretur. Nam ſi iure abdicatus Rex, ius ſuum nihilominus tueri auſus fuerit, neceſſario efficitur iure poſſe occidi. His adductus, auctor ſim iſtis Galliæ Nobilibus, vt honorum titulos, quibus hactenus gauiſi fuerunt, iam cedant Ordini Populari qui ſolus interrito & nobili aduerſùs blanditias & minas animo Regis ſui dignitatem & ſalutem tutatus eſt.*

Vniuerſo autem Clero nemo ſe magis traduxit, nemo de patria peius meruit, quàm Perronius Cardinalis; *vir aliàs exuberantis doctrinæ, & facundiæ ſingularis. Is apud Nobiles primò, deinde apud plebem orator ſententiam de ſupremo Regum iure contra Pontificis auctoritatem, quantum potuit, publico odio exponere atque infamare conatus eſt; vt*

quæ ſchiſmatibus & hæreſibus feneſtram aperiat, & talis omnino, vt ſibi & Coepiſcopis ſuis omnes martyrij cruciatus potius æſtimet ſubeundos, quàm illam probandam. Atque hoc in eo magis quàm in alio videatur mirum, qui Regem Henricum olim ſequutus eſt contrarijs tunc ſacris imbutum, & Pontificis ſententia abdicatum: ac non ita pridem Lutetiæ in conuentu apud Dominicanos Pontificio Legato temporalem hanc in Reges poteſtatem pro articulo religionis obtrudenti acerrimè reſtitit. At hic gemina oratione palinodiam canit, vitæ & ſententiæ prioris iudex ipſe & condemnator, in eo ſcilicet tempori atque occaſioni prudenter obſequutus. Non enim tutum erat Henrico imperante vel cogitare, quod poſtea filio ſuccedente aggreſſus eſt; quem ætas tenella & regni nouitas, fraudibus & iniuriæ oportunum fecerunt.

Cardinalis ne Pontificem offenderet, è duabus orationibus, alteram ad Nobiles ſuppreſſit, in qua poteſtatem hanc Pontificis dicere non ſemel auſus eſt problema, *mihi verò à Catholicis ſubditis profeſſus eſt obſequium deberi: quum ſciret dogma hoc vel maximè neceſſarium videri Pontifici, omnémque in me Papiſtarum meorum fidelitatem eidem improbari. Quòd ſi alterius orationis compendium bona fide editum eſt, vbi Pontificem Venetorum Duci aſſimilat, qui non ſuo ſed Eccleſiæ nomine honores gerat: non miror ſi eam ſententiam & ſimiles, ne Sanctitatem illius offenderet, expunxerit.*

Satis ergo ei fuit in Tertij Ordinis conſeſſu habitam orationem edere, cuius exemplar ad me pro ſua beneuolentia tranſmiſit; quam ſimul ac perlegi ſtatim intellexi, quantum idem homo, dum ex animi ſententia loquitur & contra conſcientiam cauillatur, ſibi ipſe diſſimilis ſit. vbique enim ſibi repugnat, & ne intelligatur, id verò vnicè videtur formidare.

Duodecim rationibus euincitur Cardinalis loqui contra mentem ſuam.

Fatetur primò neque ex ſacris literis neque veteris Eccleſiæ decretis, neque Eccleſiaſticarum actionum conſuetudine quicquam certi in propoſita quæſtione poſſe definiri. nihilominus

Pag. 85.

fieri

Digitized by Google

fieri posse negat, vt hæc Papæ in Principes potestas damnetur, quin eâdem operâ efficiatur multis retro sæculis nullam fuisse, aut esse Ecclesiam ; sed meram Antichristi Synagogam. Suadet præterea auditoribus, vt eam doctrinam habeant non pro necessariâ, sed in vtramque partem disputabili ; interim eos vult Papæ & Cleri iudicio se submittere, quorum sententia de tota re iam pronunciatum est.

Deinde admisso hoc Tertij Ordinis Articulo Papam affirmat probari Antichristum : ait tamen contrariam in Gallia Pag. 99. sententiam à Papa tolerari, sed ea lege, ne illam vrgeant vt dogma fidei : quasi verò Papa contraria suis dogmata permitteret, ea præsertim, vnde ipse Antichristus efficitur.

Quartò, Martyrij pœnam subiturum se profitetur potiùs, quàm vt approbet doctrinam, quæ sceptra imperio Pontificio eximit : & tamen disertè dicit licere Gallis, per indulgentiam Papæ, eam habere problematicam : vnde sequitur Martyrium tali causa susceptum fore etiam problematicum ; nec absurdè posse disputari, vtrum id scelus an furor, an iure inflicta pœna debeat censeri.

Quintò, Regicidas omnibus diris deuouet : mox vt se explicet, de Regibus dum manent Reges intelligendum id ait. atqui Rex abdicatus (vt notum est) Rex esse desinit. ergo Henrici III. à Papa abdicati peremptor Regem è medio nullum sustulit.

Sextò, Regem non patitur occidi : vult tamen omni ope exarmari, qua vitam suam aduersus percussores tueatur.

Septimò, cædem Regis conductam & subitam non probat, Pag. 69. & 97. ne vnâ cum corpore anima intereat. at in acie aut conflictu iugulari non improbat : tanquam miselli Regis animæ optimè tum foret prospectum.

Octauò, concedit in Rege abdicato characterem politicum relinqui, vel aptitudinem aliquam, cuius virtute, modò resipiscat, regno possit restitui ; quasi ea à nouo regni insessore charitas

ritas certò ſperanda eſſet, vt deiecto aut vitam relicturus, aut pœnitenti regnum ſuum bona fide redditurus eſſet.

Nonò, in hac quæſtione profitetur ſe vbique Scepticum, nihilque in alterutram partem definire: interim quanta potest animi contentione ſententiã quæ Reges Pontifici mancipat, confirmat: aduerſariorum obiecta diſſoluit; Pontificum, Conciliorum, & nominatim Lateranenſis ſub Innocentio iij celebrati decreta, adeoque Eccleſiæ aſſenſum producit, cui ſi quis velit reſiſtere ſchiſmatis ſe facit auctorem eâdemque operâ negat vllam fuiſſe multis retro ſæculis in terris Eccleſiam: quæ aſſertio (niſi me fallit animus) non problematica, ſed definitiua habenda eſt.

Decimò, vnicam ſtatuit Regis deijciendi cauſam vel hæreſin vel apoſtaſiam vel infidelitatem. At vbi ad rem ventum eſt, ſententiam eam ſatagit probare exemplis eorum Regum, quos Papa non hæreſeôs aut apoſtaſias nomine, ſed matrimonij aut cauſæ alicuius ciuilis prætextu, aut etiam propter ingenij tarditatem maieſtate exuit.

Vndecimò, ſacræ Scripturæ, & Patrum, & recentiorum Hiſtoricorum tam aliena à negotio adducit teſtimonia, & fide tam lubrica (quod infra patebit) vt vir omni doctrina inſtructiſſimus, qualem omnes eum norunt, ſatis prodat, reluctante conſcientia hæc dixiſſe.

Et quum per hæc omnia gratificetur Pontifici, verba tamen nonnulla excidunt incauto, quæ bilem huic moueant: quando Papam Concilio, Papæ ſententiam Gallorum iudicio ſubijcit, vt ſuo loco docebitur: & quãdo adductis Pontificũ & Conciliorum tot decretis, in Conſeſſu ampliſſimo, profitetur nihilominus ſe problematicè diſſerere, nihil certi ſtatuere quaſi poſt definitam Pontificum & Conciliorum arbitrio litem Cardinalem dedeceret conſtanter & ſine hæſitatione loqui: aut deceret ea de re vt probabili & dubia diſſerere, cuius fidem non dubitet vitæ ſuæ periculo tueri. Ad hæc, ſi quod olim contra

ſenſit.

ſenſit & publicauit cum hac oratione conferatur, nemini dubium eſſe poterit, quin refragante conſcientia hìc loquutus ſit.

Horum omnium plenius elucebit veritas, vbi ad rem ipſam ventum fuerit; & orationem, quam ille in Regum dedecus regnorúmque exitium adornauit, Deo auſpice ſingulatim excuſſero: non quod cum Cardinale congredi mihi putem gloriosum; aut ignorem, quantum infra Reges, quos diuinum idioma Deorum titulo dignatur, ſit hæc velitatio; cum Cardinalium decus omne merè humanum, herique natum alibi probauerim. Sed quia hæc cauſa Regum omnium intereſt; & Cardinalis non priuatam hìc, ſed Nobilitatis & Cleri perſonam gerit; qua fretus in Tertium populi ordinem liberius inuehitur: & de me quoque loquitur vt ſeditionum artifice, & Eccleſiæ perſecutore, cuius ſub imperio ægrè liceat Catholicis inter exquiſita ſupplicia reſpirare: & Articulum hunc Tertii Ordinis marinum monſtrum appellat è Britannia adnatans: *adde, quòd cùm eò miſeriæ deuenerit res Gallica, vt homini Gallo pro Rege ſuo loqui ſine piaculo non liceat, loquendi neceſſitas incumbit iam vicinis, quò veritati ſub violentiæ onere gementi, ac tantùm non ſepultæ vox de longinquo inſpiretur, longè latéque ſonatura.* In Præfatione meæ Apologiæ.

Affectatas aliquot elegantiarum minutias toto libello reſperſas omittam; Periclem, Ageſilaum, Ariſtotelem, Minoem, Druidas, Matronas Gallicas, Annibalem, Pindarum, & Poetarum fabellas *præteribo; quæ inſtar floſculorum rubro & cæruleo ſegetes variantium inutili pictura magis corrumpunt, quàm exornant; quæque nec argumenti maieſtati, nec auditorum vel dicentis grauitati conueniebant. nec enim à Pericle ſumendum erat exordium, ſed à ſacro Dei nomine. nec decorum videbatur Ethnici oratoris exemplo Regii Prophetæ verba poſtponere.*

Omittam illius de Romanorum fortuna & victorijs *iudicium; quos pro idolorum ſeruitute tot opibus & honoribus* Pag. 4 *auctos*

auctos putat: quasi Deus esset scelerum remunerator, aut diuini fauoris pignus foret alienarum rerum per vim parta possessio.

Omittam & illa æternorum cruciatuum, quos leges Ecclesiasticæ post hanc vitam denunciant, exempla ab eo producta, Milesias Virgines, quas exanimes, & nudas scilicet traxere.

Pag. 7 & 8.

Transeo quã affert problematis *definitionem* quòd propositio sit in fidei negotio non necessaria, cuius contradictoriam si quis teneat, non inde poenam Anathematis vel excommunicationis incurrat: *quanquam* * *Aristoteles, cui omnes Scholæ sua debent vocabula, problema esse doceat quicquid dubitandi forma proponitur, quantumuis suapte natura sit veritatis necessariæ, vt* Vtrum sit Deus? Vtrum sit homo animal rationale? *Vnde liquet enuntiationem problematicè propositam sæpe natura sua necessariam esse; ita vt si quis contradictoriam affirmarèt, Anathematis & excommunicationis pœnam subiret. Eiusmodi plurima occurrunt, quæ, dum ad ipsum causæ caput propero, volens prætermitto.*

[*.*]

* Arist. 1. Top. ait idem esse πρόβλημα & πρόταση. nam ex omni propositione, inquit, problema feceris, si τὸ πότερον præfixeris, vt si dicas vtrum homo est animal necne? &c.

PRO

PRO IVRE REGIO
CONTRA ILLVSTRISSIMVM
CARDINALEM *PERRONIVM.*

IN ipſo orationis limine meritò agnoſcit Cardinalis Perronius plus Regi Clericos debere, quàm Nobiles vel populum; quum illi opibus & honoribus ſuis ex ſolâ Regis beneficentiâ, ſine ſumptu & periculo fruantur; hi munia ſua ſanguinis & rei familiaris impensâ non ſine onere & moleſtia tueantur. Non inde tamen efficitur, quod vult Cardinalis, *Clero eſſe relinquenda ſalutis regiæ contra percuſſores auxilia, quæ in externis ſuppliciis non ſunt poſita*, vt ait, *ſed in ipſis Conſcientiæ legibus, quæ imperant animæ.* Nec enim ſemper contingit, vt cæteros promptitudine officij exuperent qui plus debent. & vt demus Principis ſui vitæ famæque non defuiſſe hactenus Clerum, non ideo tamen legum vindictam auferre debet Eccleſiaſtica comminatio; nec corporeas pœnas excludere, quarum metu ſæpius quàm Dei reuerentiâ homines improbi in officio continentur.

Quocirca populari Ordini, quum vniuerſos regni miniſtros repræſentet qui iuri dicundo præſunt, & iura maieſtatémque Principis tuentur; vitio verti non debet, quòd Regis ſaluti & dignitati vnicè ſtuduerit; tum præſertim, cùm Clero deficiente omnis ea cura ipſis incumberet. Nonne enim à Clero ſunt quæcunque timentur mala? nouiſſimum ciuile bellum tot innocentium ſanguine, & Henrici tertij cæde funeſtum, nonne à Pontifice Cleri capite Regem ſuo ſolio deturbante exortum eſt? Prælati, Concionatores, Confeſſarij nonne concionibus turbulentis & confeſſionibus ſecretis oleum affuderunt incendio? Nonne è Clero fuit ille Henrici tertij percuſſor? Nonne Ieſuita fuit *Guiniardus*, exque eadem ſchola *Iohannes Caſtellus? Rauillacus*, de horrendi facinoris ſuaſore pro tribunali rogatus, nonne Quæſitores ad Quadrageſimales conciones, vt ad verum motus principium, remiſit?

Digitized by Google

ille Eccleſiam, quanta quanta illa eſt, & nominatim Gallicanam, indeúſque à Theologici ſtudij initijs ad ætatem Caluini, in eo conſenſiſſe, vt Apoſtata ille Princeps iure poſſit & à Pontifice & à Concilio deijci de gradu : & vt vel maximè contrarium foret veriſſimum non tamen eſſe proponendum vt neceſſarium, aut dogma fidei, ſed vt problema ; de quo in vtramuis partem ſine fraude ſentias. Hæc eſt diſſertationis ſumma: quam ego ibi commodiùs refutauero, vbi hæc ipſa de integro & fuſius ab eo pertractantur. ibi etiam conſtabit ex ipſius mente *Reges abdicatos iure interfici : Saulem nunquam fuiſſe abdicatum : Nihil ad rem facere Concilium Conſtantienſe, in quo de ſummorum Principum cæde ſermo nullus. Regem Galliæ non haberi à Cardinale ſupremi regni Dominum, cùm ab alio ſuperiore exui poſſit Dominio. ab omni temporum memoria cenſuiſſe Eccleſiam Gallicam, Reges ſuos à Pontifice non poſſe deponi. Nullam ſubeſſe iuſtam cauſam, cur ſibi vllum Regem Papa affirmet Feudatarium, aut vllum ab ijs obſequium ſceptri nomine deberi.*

In tertio igitur illo dubio & controuerſo totus eſt Cardinalis: & ſi quis Pontificiæ illius poteſtatis aſſertores damnare aut diris deuouere auſit, illum pronunciat in quatuor manifeſta incidere incommoda.

Primum eſt, quòd vis inferatur hominum conſcientijs, vt ſub anathematis periculo in eam doctrinam iurent, cuius contrariam tota olim Eccleſia Catholica, & nunc quoque approbat. Pag. 14.

Secundum eſt, quòd funditùs euertatur Eccleſiæ auctoritas ; omni hæreſium generi aperiatur feneſtra ; & Laicis concedatur in rebus fidei ſuffragium ; inuadatur Sacerdotium, manus inijciatur arcæ, arripiatur thuribulum.

Tertium eſt, Schiſmatis in Chriſtiano orbe neceſſitas : nam receptam cæterorum ſententiam vt impiam, horrendam, diuinóque inſtituto contrariam nos, inquit, damnare non poſſumus, niſi eadem opera ab Eccleſiæ capite & membris ſeceſſionem faciamus, imò ipſam Eccleſiam omnibus retro ſæculis Satanæ Synagogam & Sponſam fuiſſe fateamur.

Quartum eſt, quòd admiſſa hac populi rogatione, de ſuprema & prorſus abſoluta Regum poteſtate, non modò eneruentur incolumitatis regiæ auxilia, nimirum propoſitione incerta cum certis & neceſſarijs per imprudentiam commixtâ : ſed etiam vitam Regum & maieſtatem manifeſtis implicari periculis per ciuilia bella, & calamitates, indiuiduas Schiſmatum comites.

In his verſatur ejus oratio : quæ ſigillatim ſuo ordine excutere nobis animus eſt, & docere, nihil illis quatuor incommodis ſolidi ſubeſſe; ſed mera eſſe illa è falſis principijs commenta. At priuſquam rem aggrediar, nouerit Lector ſtatum quæſtionis ab eo peruerti, re totâ non modò falſò, ſed etiam contra Pontificum mentem expoſita; dum eorum in Regibus abdicandis poteſtatem ad hæreſim, Apoſtaſiam, & perſecutionem reſtringit. longius enim multò, & latiùs ſui imperij limites producunt Pontifices ; qui *ob imminuta Monachorum iura* Reges

regnandi iure exuunt, vt docet Gregorius primus in supposititio illo Sancti Medardi Abbatiæ in Sueſſionibus conceſſo priuilegio, quod poſt Epiſtolas eius iam legitur: tum in epiſtola ad Senatorem, quæ decima eſt libri vndecimi. Item *ob ingenij tarditatem, aut regnandi impotentiam, ſiue illam veram ſiue creditam.* Sic iactitat Gregorius Childericum regno priuatum à Zacharia Pontifice, *Non tam pro ſuis iniquitatibus, quàm pro eo quod tantæ poteſtati erat inutilis.* Item *ob Beneficiorum & Præbendarum collationes*; vnde inter Innocentium tertium & Iohannem Angliæ Regem, inter Bonifacium octauum, & Philippum Pulcrum celebratæ lites. Item *ob adulteria & cauſas matrimoniales*: exemplo ſit Philippus, qui repudiata Berta duxit Bertradam Comitis Andegauenſis vxorem. Denique ſcire velim, quam ob hæreſin aut apoſtaſiam meruit Pontificij fulminis ictum Henricus IV. Imperator, vel Fredericus Ænobarbus vel Fredericus II.? Eratne ob hæreſin aut apoſtaſiam, quòd Martinus IV. Arragonenſes à iuramento fidelitatis in Petrum Regem abſoluit? Hæreticusne fuit Apoſtata, Arrianus, an Mahumetanus quem Iulius II. exuit maieſtate pater patriæ Ludouicus ille duodecimus? Cuius hæreſeôs aut apoſtaſias reus erat Henricus III. cui poteſtatem abrogauit Sixtus V. vnde Rex bonus ſica confoſſus fuit, florentiſſimum regnum miſerè laceratum? At Cardinalis, vt Rhetorem decuit, ſpecioſiſſimum colorem arripuit; ratus ſibi rem eſſe cum hominibus rerum geſtarum rudibus, & præſentis negotij imperitis: Debuerat igitur à Pontifice literas attuliſſe, queis teſtaretur Pontifex ſe cæterarum cauſarum gratiam facere; & ſola hæreſi iam contentum eſſe, ob quam Reges poſthac abdicaturus ſit: nec ſe illa in cauſa iudicem fore an Rex ſit hæreticus; quia ſi id faceret iudicem ſimul ageret & actorem, & fortè hæreſin appellaret quæ nulla eſſet: nimirum, vt ſe regni Dominum conſtituat, aut alteri Dominium tranſcribat; qui eo nomine ſemper futurus eſſet ipſi obnoxius. Ita ferox ille Bonifacius VIII. inſignitâ impudentiâ hæreticos pronunciat, quicunque Eccleſiaſtica beneficia à Regibus conferri poſſe affirment: vbi errorem Pontificis obſerua non facti ſed iuris. Simile planè ſcelus erat, cuius prætextu Henrico IV. irati Pontifices filium aduerſus patrem armarunt; cuius quoque exanimum corpus communi ſepulcri honore prohibuerunt; quanquam miſer de rebus Theologicis nullam vnquam mouerat quæſtionem. Refert Auentinus lib. 3. hiſt. Boior. Virgilium Iuuanenſem Epiſcopum declaratum hæreticum, quod antipodas eſſe doceret. Bulla *Exurge* quæ habetur in fine poſterioris Concilij Lateranenſis inter Lutheri hæreſes ponit, *optimam pœnitentiam eſſe nouam vitam.* Concilium Conſtantienſe Seſſ. II. inter Iohannis XXIII. crimina & hoc ponit, *quòd animæ immortalitatem negauerit*; addito, quod publicè apertè & notoriè id conſtaret. Si quis igitur Romanorum Pontificum

Quæſt. 6.

Paul. Æmilius in Philippo. 3.

tificum eiuſmodi imbutus errore Regi contra ſentienti poteſtatem abrogaret, ægrè poſſem induci vt crederem iuſtè abrogatam.

PRIMI INCOMMODI EXAMEN.

EX admiſſa igitur Tertij Ordinis rogatione, qua Regibus Galliæ ſupremum ius aſſeritur, nulli poteſtati vel ſpirituali vel ciuili obnoxium, hoc primùm naſcitur, auctore Cardinale incommodum; quòd vis hominum conſcientijs hinc inferatur, vt doctrinam vndecim ſæculis Eccleſię creditam & vſurpatam condemnent, & deteſtentur. Vnde intelligendum relinquit quinque primis ſæculis nec creditam fuiſſe nec approbatam: quod nihil aliud eſt, vt mihi quidem videtur, quàm ſuam cauſam vltrò iugulare. Nam Eccleſia primis quinque ſæculis, ſub Apoſtolis eorúmque diſcipulis & ſucceſſoribus, non minùs ſuam in Principes poteſtatem intelligebat, quàm vndecim ſequutis; queis creuit ſuperbia, puritas verò decreuit. Præſertim quùm primis quinque ſæculis Eccleſia non ſolum Paganis Imperatoribus ſeruierit, verum etiam Regibus hæreticis, quales erant Viſigothorum in Hiſpania & Vandalorum in Africa, quorum offenſam non erat cur Pontifex vereretur, tam longè extra teli iactum eorúmque ditionem poſitus. Videamus tamen ſi quid in noua Hiſtoria inueniat Cardinalis, quod cauſæ ſeruiat; memores vtique non eſſe hîc quæſtionem de popularibus tumultibus, aut rebellionibus ſubditorum, aut excommunicationibus vel cenſuris: verum de iure lata abdicationis ſententia in Principem ſui iuris à Romano Pontifice, vt Iudice ordinario & legitimo.

Ab Anaſtaſio igitur imperatore orditur, quem Euphemius Patriarcha Conſtantinopolitanus pro Imperatore noluit agnoſcere, id eſt, eius electioni aſſentire, priuſquam ſymbolo Chalcedonienſi ſubſcriberet; quantumuis Auguſta & Senatus Patriarcham per vim in contrariam raperent ſententiam. Illum in hæreſin relapſum & iam Perſequutorem Eccleſiæ à Symmacho Romano Epiſcopo monitum & excommunicatum fuiſſe ait. eundem præterea Anaſtaſium, quum Eccleſiaſticæ leiturgię hęreſcôs ſuę venenum conaretur affundere, inſurgente populo Conſtantinopolitano à Tribuno coactum fuiſſe reuocare quos in exilium eiecerat Epiſcopos. pag. 18. Euag. hiſt. Eccleſ. l. 3. c. 32.

Hoc exemplum (pace Cardinalis dixerim) planè extra oleas verſatur. Non erat Romanus Epiſcopus Euphemius: nec Imperatorem exuit

hoc prodest vt euincas penes Papam fuisse Regem sceptro exuere? & certè hac ipsa re augetur regni dignitas, & Rex Franciæ fit Rex Regum, dum Satrapas suos regio impertit honore: quemadmodum Hispanæ magnitudinis pars censetur *Magnos* illos, quos vocant, creare.

Succedit his Gregorius primus, qui Augustodunensis Xenodochij priuilegia confirmaturus Regibus, & Prælatis, ne quid derogatum eant, his verbis interminatur, *Si quis Regum, Sacerdotum, Iudicum, ac personarum sæcularium hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat &c.* Atqui hic hallucinatur Cardinalis, dum inter imprecantem & imperantem parum distinguit. eo sensu minimus è plebe aliquis non absurdè diceret, Si quis Regum nostrorum vitam aut sceptrum contigerit, seu Imperator seu Papa, væ illi homini: pereat ei male dignitas, decus, auctoritas, mendicet, ægrotet, miser viuat, miser exeat è vitâ. Taceo quàm sit Monachis procliue ad rerum suarum præsidium specciosa iura comminisci, quale illud est apud eundem Gregorium, sub finem Epistolarum concessum Abbatiæ S. Medardi in Suessionibus priuilegium, simili prorsus clausula: cuius priuilegij vanitas ex subscripto tempore deprehenditur, anno incarnationis Dominicæ 593. Indict. XI. Nam annus Domini 593. habet Indictionem X. nec verò anni Dominici calculo vtebatur Gregorius in Epistolis. Priuilegium subsignant Alexandriæ & Carthaginis Episcopi, quibus haud opinor notum an fuerit in natura rerum vrbs Suessionum aut Abbatia S. Medardi. Et subsignant illi non seorsim, sed in media Italicorum Episcoporum turba. Præterea, quisquis animaduerterit quanta animi submissione Imperatores compellet Gregorius, haud facilè credet sibi potestatem auferendi dandique regna vnquam arrogasse. Se appellat *Indignum Imperatoris famulum, se Domino suo loquentem agnoscit nihil esse aliud, quàm puluerem, & vermem. Profitetur se Imperatoriæ iussioni subiectum, Cæsaris legem quandam publicasse Omnipotenti Deo minimè concordantem.* Quod nobis alibi fusius tractatum est.

Epist. 6. l. 3. ego autem indignus pietatis tuæ seruus &c. ibid. ego verò hæc Dominis meis loquens quid sum nisi pulus & vermis? & epist. 61. l. 2. ego quidem iussioni subiectus.

Subiungit Cardinalis, vt Iustinianus secundus Sergio Romano Pontifici iratus, quod Pseudosynodum Constantinopolitanam non probaret, eum per Zachariam militiæ præfectum iusserit comprehendi; at Romanus exercitus, id est, cohortes Imperatoris per Italiam Zachariam non sine conuitijs repulerint. Verum ignoscet mihi, si mentem eius in hoc exemplo non assequor, vbi de abrogato imperio aut Pontificis decreto verbum nullum.

Habemus post Christum natum septingentos & duodecim annos, quibus nihil inuenire potuit Cardinalis, quod vel in speciem faceret pro causa. Nam ab eo productum Imperatoris Philippici exemplum ad annum septingentesimum duodecimum pertinet. res autem ita se habet.

habet. Philippicus Bardanes cultum imaginum vetabat, eaſque iubebat confringi. Ea tempeſtate in Occidente attritum erat imperium,& in Oriente Saracenorum armis valde concuſſum. ad hæc mala, implicabatur Imperator ciuili bello. Italia ferè penes Longobardos erat,præter Exarchatum Rauennæ & Ducatum Romæ, & hæc per ignauiam Imperatoris pænè etiam deſerta. Conſtantinus Papa hanc occaſionem arripuit,vt & potentiam ſuam augeret, & Imperatoris, Domini ſui iugum excuteret; itaque ſuſcepto Imaginum patrocinio, conuocatoque Concilio obtinuit, vt hæreticus declararetur Cæſar; cuius nec literę nec ſignata pecunia Romæ reciperentur,nec ſtatua de more collocaretur in templo. gliſcente tumultu, cuius flabellum erât Pontifex, Iohannes Exarcha Rauennæ cæſus fuit. Apparet hîc ſubditi rebellio in Dominum; vt vrbem imperij inuaderet: at decretum abrogatæ poteſtatis nullum apparet. Nec tamen res illi ceſſit ex voto: nam Roma manſit in fide,& obſequio Cæſaris.

Duodecim poſt annis Leo Iſaurus, quem Cardinalis Iconoclaſtem vocat,cultores imaginum grauiſſimè affligebat. Hic Gregorius II.deceſſoris ſui veſtigijs inſiſtens, cùm Romam aduerteret negligentius cuſtodiri & Imperatorem alibi impediri, vrbem primò rebellem fecit, deinde ſuam. At non parum hæc inter ſe differunt: Cæſari poteſtatem abrogare, & vrbem dominandi libidine aduerſus Dominum concitare. Si Romam Cæſari ademiſſet Papa vt alteri traderet, ſpeciem ſanè aliquam res haberet. nunc cùm rem alienam inuaſerit quam retinuit ſibi; rebellionis ambitionisque crimen eſt. Nec enim cenſura Eccleſiaſtica habenda eſt,ſi peccatori pallium aut crumenam eripiat Paſtor, vel rem alienam faciat ſuam. Hoc etiam obſerua,cæpiſſe hanc Pontificum audaciam cùm marceſceret Cęſarum virtus,& iniurias auferrent impunè. Veruntamen non ceſſit hic Imperator; ſed miſſo Legato Romam recuperauit. Gregorius autem tertius, qui ſecundo ſucceſſit,Cæſarem agnoſcit Dominum, vt teſtantur binæ illius ad Bonifacium epiſtolæ,hac ſubſcriptione: *Data X. Kalend. Decemb. imperante Domino pyiſſimo Auguſto Leone à Deo coronato, magno Imperatore anno X. imperij eius.*

Nec maiore fide Zachariam Pontificem adducit Cardinalis, cuius authoritate Gallos affirmat ſacramento abſolutos, quod dixerant Regi Childerico, idque authoribus tantum nouitijs,Paulo Æmilio & Tilleto. Nam qui ætati Childerici propiores ſunt teſtantur id à Gallis ſponte ſua factum, petito duntaxat à Zacharia conſilio, non permiſſione aut venia. Ado Epiſcopus Viennenſis in Chronico, *Franci* (inquit) *per conſilium Legatorum & Zachariæ Pontificis, electum Pipinum Regem ſibi conſtituunt.* Trithemius in Annalium compendio: *Childericus Francorum Rex regno ſuo tanquam indignus qui imperet, non ſine regni conſenſu accedente etiam Papæ Zachariæ conſilio dejectus eſt.* conſentiunt Gotefridus Viter-

Viterbienſis Chronici parte XVII. & Guaginus in Pipini vita. Facile erat dare Pipino regni illius occupandi conſilium, quod ne occuparet impedire non poterant; & cuius diu antè nihil illi deerat, præter nomen. Gentis ſimplicitas, & imperitia rerum, tum Theologiæ & ſcientiarum ignoratio iubebant foris conſilium petere: quod in hoc negotio potius in ſpeciem fecerunt, quàm quia facere neceſſe erat. Et Pontifex non inuitus demerebatur Pipinum, cuius auxilio contra Longobardos opus habebat, Imperatoris Conſtantinopolitani, Domini ſui, imbecillitati diffidus. Quòd ſi Deum potius reſpexiſſet Zacharias, quàm commodum ſuum, nunquam ille ſeruo conſuluiſſet in Dominum inſurgere, per cauſam tardioris ingenij. furioſis proſpiciunt Leges dato curatore, non ablato patrimonio: crimina puniunt non morbos. Et mos regni Gallici obtinuit debilitata Regis mente Reipub. onus Vicario imponere. ita Carolo VI. iam phrenetico proſpectum fuit, non abrogata poteſtas, decreto Pontificis. Nec ſanè æquum eſt, vt Parentum debilitatem luant filij: quod Childerici familiæ contigit, à ſucceſſionis iure propter hanc cauſam perpetuò ſeclusæ. * Factum excuſat Cardinalis Perronius, quòd Childerici abdicatio obliquè tantùm & ex accidente ad religionem ſpectaret, quum Gallia ex debilitate Regis periclitaretur de Chriſtiana religione, ingraueſcentibus nempe Sarracenis. Quæ ſi commoda ratio eſt videndum tamen erat, an inter proximos Regis hæredes reperiri poſſet aliquis regno habilior: non per certam abdicationis iniuriam incerti periculi metus vitandus. Quanto melius erat Carolum Martellum Pipini patrem imitari, qui longe præſentiore in periculo Saracenos prope Dominos Galliæ repulit atque oppreſſit; &, cùm Remp. adminiſtraret, Maior Palatij dici contentus ſceptrum haud vnquam inuaſit? Quid quòd iam pridem fractæ erant Saracenorum opes, nec vllum in Gallia regnante Childerico bellum formidabile? Scotiæ regnum adminiſtrabat Vallas, dum capitalis eius hoſtis, ſed verus regni hæres, Bruſſius in Anglia attineretur captiuus. Ea tum erat illius authoritas, vt etiamnum legum vim habeant quæcunque decreuit. & videri poterat Bruſſij odio regnum non iniuria affectaturus. at ille nullùm aſſumpſit titulum niſi Præſidis, vel adminiſtratoris regni, eâ (vt apparet) doctrinâ non imbutus, quæ ſceptra Regum mancipat Eccleſiæ. vide igitur quò regia dignitas ex calculo Cardinalis receiderit: nimirum medicos ſuos mittet Pontifex, inſpecturos, an Regi ſanum ſit ſinciput: vt ſi quid debile deprehenſum fuerit poteſtatem in alium transferat. nec erit arduum cauſam inuenire, quæ oblique ſaltem & ex accidente ad religionem pertineat. Dicent hæreticos in regno eſſe, & prouidendum ne creſcant. aut ſi de coniugio agitur; dicent matrimonium eſſe Sacramentum: & per conſequens de religione agi. Ita religionis nomine non ſolum venient Regum vitia, ſed & morbi:

Pag. 25.

mine id meruerunt? Nam Irene & Nicephorus, penes quos fuit regnante Carolo imperium Orientis, hæreſeos damnati à Pontifice non erant. Quid igitur? Monet Cardinalis eorum deceſſores Conſtantinum & Leonem hæreticos & perſecutores fuiſſe. Ecce igitur cauſam abrogandæ orthodoxo Principi dignitatis, hæreſin non illius, ſed alterius iam pridem mortui. Rem miram! Contrà enim dupla illi gratia videbatur deberi, quòd veritatem à maioribus afflictam reſtituerit, debuit procul dubio Pontifex Syluester Conſtantino Magno abrogare imperium propter infidelitatem, fæuitiam, paganiſmum Diocletiani, Maximiani, & Maxentij, quibus ſucceſſit.

Tranſit hinc Cardinalis ad Fulconem Archiepiſcopum Rhemenſem, qui Carolo Simplici præter excommunicationis pœnam etiam interminatus eſt ſe non manſurum in obſequio & fide. Quorſum hoc quæſo? Nam quis neſcit omni æuo fuiſſe homines procaces paruâque in principes reuerentiâ, ignauos præſertim illos & ſimplices, qualis hic fuit? Deinde vbi in hoc exemplo vlla Papæ mentio aut abdicationis Principum?

Subiungit Cardinalis Philippi Regis Galliæ exemplum, ſed mutilum &, vt poſt docebitur, peruerſum.

Tandem nos ducit ad Gregorium VII. Hildebrandi nomine famoſum Imperatorum flagellum, bellorum facem, ſui ſæculi opprobrium; qui primus rem ſine exemplo auſus eſt Henrico IIII. Imperatore excommunicato deiectóque. Hic poſtquam Europam ſanguine miſcuiſſet, rei magnitudine & moerore oppreſſus obijt Salerni. vbi in agone mortis poſitus Cardinale quem amabat vocato (vt refert Sigebertus ad annum 1085.) *confeſſus eſt Deo & S. Petro & toti Eccleſiæ, ſe valde peccaſſe in Paſtorali curâ, quæ ei ad regendum commiſſa erat, & ſuadente diabolo, contra humanum genus odium & iram concitaſſe. Tunc demum miſit prædictum confeſſorem ad Imperatorem & totam Eccleſiam, vt optaret illi indulgentiam quia finem vitæ ſuæ aſpiciebat.* Etiam Benno Cardinalis Gregorio huic cœcuus, qui eiuſdem vitam deſcripſit, teſtatur, *Quamprimùm è Cathedrâ ad excommunicandum Cæſarem. de ſede ſurrexerat, ſedem nouiter lignis fortiſſimis compoſitam ſubitò ſciſſam fuiſſe in plures partes, vt manifeſtè daretur intelligi ſeſſor tam periculosâ excommunicatione quanta, quámque terribilia ſchiſmata ſeminaret contra Eccleſiam Chriſti.* Enimuero huiuſmodi hominem pro exemplo adducere, qui nouâ & inauditâ audaciâ omnes ſuos deceſſores inertiæ, inſcitiæque condemnauit, quod aliud eſt quã latronibus in diſciplinam nos tradere, & priſcam virtutem recens inuento ſcelere corrigere? id quod Otto Friſingenſis in vita Henrici IIII. cap. eius lib. 3 1. aduertit, *ante hunc Imperatorem ſibi neminem inuentum qui excommunicatus aut regno pulſus fuerit à Pontifice.*

Quod ſi exemplis agendum eſt iudicet Lector vtris plus tribuendum

dum, recentibus ne illis & plerumque irritis Regum à Pontificibus deiectorum, an antiquis illis & efficacibus Pontificum à Cæsaribus & Regibus.

Imperator Constantius Liberium Papam Roma expulsum relegauit in Beroen, suffecto in eius locum Felice. Arianus erat (fateor) Constantius, & fecit inique: at à veteribus non damnatur, quòd hominem in quem nihil habebat iuris punierit, sed quia Orthodoxæ fidei infensus aduersus innoxios sæuiebat.

Imperante Valentiniano primo anno Domini 367. dum Episcopatum ambiunt Damasus & Vrsicinus, tumultus Romæ exortus est, in quo cæsi sunt centum & triginta septem homines. Honorius Cæsar vt eiusmodi casibus occurreret legem tulit quæ habetur in Decreto Dist. 79. his verbis, *Si duo fortè contra fas temeritate concertantium fuerint ordinati, nullum ex ys futurùm sacerdotem permittimus.* Hanc legem sequutus idem Honorius Bonifacium & Eulalium competitores vrbe exegit, & breui post tempore Bonifacium reuocauit.

Theodoricus Gotthus Italiæ Rex Iohannem Episcopum Romanum Legatum misit, ad Iustinianum Cæsarem, & reuocatum coegit mori in carcere. Idem Rex Petrum Altini Episcopum misit Romam, vt in causa Symmachi Papæ qui multorum criminum postulabatur Iudex sederet.

Theodatus Rex circa annum 337. Agapetum Pontificem vt ageret de pace misit ad Iustinianum Cæsarem. illi in legatione ea mortuo suffectus est Regis iussu Syluerius, qui per Belizarium Cæsaris Legatum eiectus est in exilium. successit Syluerio Vigilius, qui papatum à Belizario pretio coemit. Eum Iustinianus Constantinopolin accitum primò quidem honorificè accepit, mox liberiùs loquentem pæne ad mortem cædi iussit, & resti collo iniecta tanquam latronem per vrbem trahi, vt refert Platina. Similia his inuenies apud Nicephorum lib. 26. cap. 17.

Anno 654. Constans Imperator Martinum Papam catenis vinctum relegauit in Chersonesum, vbi & mortuus est. Ea tempestate Pontifices, cùm ad Cæsarem scriberent non nisi supplicantium verbis vtebantur, se sacræ Maiestatis genibus aduolutos prompte facturos mandata. Imperatori viginti auri pondo Inuestituræ nomine soluebant (vt videre est in authentica Iustiniani 123. cap 3.) cuius tributi gratiam fecit Agathoni Pontifici Constantinus Pogonatus, anno 679. vt alibi nobis animaduersum est.

Etsi vero ex profusa Caroli Magni & Ludouici filij munificentiâ in immensum creuissent Paparum opes & dignitas, Imperatores tamen Occidentis pro suo arbitratu eos creabant deijciebántque. Hadrianus I. Pontifex se volens submisit iugo; & eodem auctore in Concilio

Concilio lata lex fuit, penes Carolum Magnum ius esse eligendi Pontificem, & quæ sedis Romanæ essent ordinandi. Ea constitutio inserta est decreto Romano dist. 63. Can. *Hadrianus*. & diu quoque obtinuit. Anno 963. Iohannem XIII. Papatu deiecit Otho Imperator, surrogato Leone VIII. Ita Iohannes XIIII. Gregorius V. & Siluester II. ab Othonibus ad Papatum euecti sunt. Anno 1007. ab Henrico II. tribus Pontificibus, vel vt Platina appellat *tribus teterrimis monstris*, abrogata est potestas, Benedicto IX. Siluestro III. & Gregorio VI. Idem mos per multa sæcula inualuit vsque ad Gregorium VII. qui totum Occidentem diris implicuit bellis. Inde res imperij cæpit ruere in peius, donec eò seruitutis redacti sunt Imperatores, vt imperij coronam sumerent à Pontificibus.

Cum Gallia mitiùs actum est. Primus omnium Gregorius IV. Regis excommunicandi consilium cepit circa annum Domini 832. Hic Papa inter medias regni turbas cum filijs Ludouici Pij, qui in patrem impiè coniurarant, fœdus fecit, vt testatur Sigebertus ad annum 832. his verbis: *Gregorius Papa in Galliam veniens contra Imperatorem cum filijs agebat.* Verum annales eo tempore conscripti & Continuator Aimonij Benedictini testantur Franciæ Episcopis constitutum fuisse illius arbitrio non cedere, & si excommunicaturus veniisset vt rediret excommunicatus. Verba Chronici Dionysiani sunt: *A Domino Apostolico responsum est, eum non aliâ ob causam adueniſſe, quàm vt Regẽ & Episcopos excommunicaret, si qua in re se Ludouici filijs aduersos, aut aduersus Papam immorigeros præstitissent: Quibus auditis Prælati responderunt se hoc in casu illi minimè obtemperaturos ad Episcopos eos excommunicandos; cùm Canonum antiquorum contra moneret authoritas.*

Post hæc Nicolaus Papa Lotharium excommunicauit (nam eo sæculo de depositione verbum nullum) vt ea ratione cogeretur dimissa Waldrada Thetbergam coniugem resumere. Qua de re extat Gallorum censura apud Hincmarum Episcopum Rhemensem in hanc sententiam, sapientibus videri nullius facinoris obtentu posse Regem excommunicari à suis Episcopis aut iudicari ab alienis, eò quòd soli Deo qui regnum dedit obnoxius sit. Scripsit quoque Clerus Gallicus ad Papam opprobrij & contumeliæ plenas literas relatas Auentino in Annalib. Boior. vt *latronem & lupum & tyrannum* appellarint. Auentinus Annal. Boior. lib. 4.

Et quum Hadrianus Papa pro imperio & sub anathematis poena Carolo Caluo iniungeret, vt Lotharij regnum filio Ludouico transcriberet, idem Hincmarus, vir magnæ tunc authoritatis, Papam grauissimis literis commonuit; in quibus præter cætera hæc habentur, *Quod Ecclesiastici & Sæculares, qui Rhemis conuenerant, improperando dixerunt, & dicunt: Nunquam huiusmodi præceptionem ab illâ Sede vlli prædecessorum nostrorum missam fuisse.* Et paulò post. *Nec etiam ab hæreticorum vel schismatico-*

maticorum, siue tyrannorum Imperatorum, ac Regum quales fuerunt Constantius Arianus, ac Apostata Iulianus, & Maximus tyrannus præsentiâ & salutatione siue collocutione sedis Apostolicæ Pontifices, vel aly magnæ authoritatis atque sanctitatis Episcopi, cum locus, ac ratio, ac causa exegit se substraxisse leguntur. Et paulò inferius. *Propterea si Dominus Apostolicus vult pacem quærere, sic pacem quærat, vt rixam non moueat: quia nos non credemus vt aliter ad Regnum Dei peruenire non possimus. si illum quem ipse commendat terrenum Regem non habuerimus.* addit Hincmarus Episcopos & Nobiles eiusmodi minis vsos in Pontificem, quas non ausit referre. Quod ad Regem attinet, ecce quanti fecerit mandatum Pontificis. Nam inter Hincmari epistolas extant Caroli Calui literæ ad Hadrianum, cui postquam superbiam & ambitum exprobrasset, sic exclamat: *quis hanc inuersam legem infernus euomuit? quis Tartarus de suis abditis & tenebrosis cuniculis eructauit, contrà quàm sacris literis ostensa nobis est via?* Vetat denique Rex ne ad se vel Episcopos suos eiusmodi mittere ausit mandata, nisi certum dedecus & infamiam ex audacia referre velit.

Regnantibus Hugone Capeto & filio celebratum est iubente Rege Concilium Rhemense, quod in omnium manibus habetur, vbi Arnulphus Aurelianensis Episcopus totius Concilij nomine Papam Antichristum pronunciat, & tanquam monstrum describit, cum propter flagitia quibus ea tempestate cooperta erat Romana sedes, tum quòd Papa muneribus corruptus, nominatim generosis equis acceptis, Arnulphum Exarchiepiscopum Rhemensem contra Regem tueretur.

Quum Philippus I. dimissa Bertha Comitis Holandiæ filia Bertradam Comitis Andegauensis adhuc viuentis vxorem sumpsisset, Vrbanus Papa neglecto Antipapa Regem excommunicauit, & subditos sacris interdixit, vt refert Cardinalis. sed duo in hac historia præcipua omittit, vnum est quod Regi non fuerit abrogata à Pontifice potestas; vnde efficitur abrogandi potestatem nullatenus hinc euinci: alterum est, quod nihil per Papales censuras detractum fuerit Regis auctoritati & imperio & quod Iuo Carnutensis, qui stabat à partibus Vrbani, rerum suarum damno & carcere mulctatus sit, vt ipse Epist. 19. & 20. conqueritur. & Cardinalis, si ei heri sui dignitas curæ fuisset, nullum vnquam meo iudicio de regni alicuius interdicto verbum fecisset. Nam dum Pontifex Regem vlturus regnum illigat interdicto, regiæ culpæ supplicium transfert in Populum. obserantur enim durante interdicto templa omnia, cessat publicus Dei cultus, silent campanæ, Sacramentorum vsus suspenditur, destituuntur corpora mortuorum, nemine audente humare. & quod amplius est, opinio inualuit morientes sub interdicto nisi peculiari muniantur gratia excidere vita æterna, cùm moriantur extra communionem Ecclesiæ. Quòd si pluribus annis pendeat interdictum, quot miserorum animæ luunt crimen alienum?

De interdicto vide Tolet. de instructione Sacerdotum c. 53. & in Synod. Ling. apud Blochell. l. 2. tit. 15.

alienum? quid enim popellus commeruit ſi Princeps repudiata ſua alterius ſibi iunxerit vxorem?

Poſt Philippum I. producit Cardinalis Philippum Auguſtum, qui ablegata vxore Engelberga, Regis Daniæ filia, Agnetam Ducis Morauiæ filiã duxit. quamobrẽ Innocentius III. & Regem & regnũ Interdicto innexuit. at prudenter diſſimulauit, quod in Chronico Dionyſiano adiectum eſt, duos ſcilicet à Cæleſtino Papa ſuper hac re miſſos Legatos, qui in pleno Cleri & Præſulum Gallicorum conuentu vt canes acciſis vocalibus neruis obmutuerunt, & re infecta, de cute ſcilicet ſua ſolliciti, abierunt. quod paulo poſt tempore Cardinali Capuenſi contigit, qui regnum Interdicto illigare prius non auſus eſt, quàm ipſe regno exijſſet. Rex irritatus iniuria Epiſcopos, qui conſenſerant audaciæ, omnes dignitatibus & opibus priuauit. Nec abludit Matthæus Pariſienſis, qui Pontifici per Cardinalem Anagninenſem interdictum minitanti niſi cum Angliæ Rege in gratiam rediret, reſpondiſſe ait Philippum ab illius decretis, quæ æquitate non niterentur, ſe ſibi non metuere, ſubdens non eſſe penes Eccleſiam Romanam ius ferendæ in Gallorum Regem ſententiæ. id quod Ioannes Tilletus Curiæ Pariſienſis primarius ſcriba Baronum conſilio factum teſtatur. Bochell. p. 320.

Sed Philippi Pulcri exemplum valde eſt appoſitum anno 1302. Pontifex miſſo in Galliam Narbonenſi Epiſcopo mandauit Regi vt Apamienſem Epiſcopum liberum dimitteret, qui ob linguæ petulantiam in Regem carcere tunc attinebatur. Et Pontifex Regi diu ante in fermento erat quòd beneficiorum Eccleſiaſticorum diſpenſationem ſibi vindicaſſet. Itaque Roma miſſæ ſunt literæ in hanc ſententiam; *Deũm time & mandata eius obſerua. Scire te volumus, quòd in Spiritualibus & temporalibus nobis ſubes. Beneficiorum & Præbendarum ad te collatio nulla ſpectat. Et ſi aliquorum vacantium cuſtodiam habeas, fructus earum ſucceſſoribus reſerues. Et ſi quæ contuliſti, collationes tales irritas decernimus, & quantum de facto proceſserunt, reuocamus. Aliud credentes hæreticos reputamus. Datæ Lateran. &c.* Venit Lutetiam Legatus cum lepidis literis, quas illi per miniſtros regios ereptas Comes Arteſiæ in ignem coniecit. Reſponſum Regis ad Papam ſic habuit: *Philippus Dei gratia Francorum Rex Bonifacio ſe gerenti pro ſummo Pontifice ſalutem modicam, ſeu nullam. Sciat maxima tua fatuitas, in temporalibus nos alicui non ſubeſſe. Eccleſiarum & Præbendarum collationem ad nos iure Regio pertinere, & fructus earum, vacatione durante, noſtros facere. Collationes à nobis hactenus factas, & in poſterum faciendas fore validas, & illarum vigore poſſeſſores contra omnes viriliter nos tueri. Secùs autem credentes fatuos & dementes reputamus.*

His irritatus Pontifex Regem excommunicauit: ſed qui excommunicationem publicare aut ferre in Galliam auderet nemo inuentus eſt.

Digitized by Google

Rex nihilominus Equites, Barones, Præſules Lutetiam excitos interrogauit, cui Domino accepta ferrent ſua feuda & temporalia Eccleſiæ bona? Reſponſum eſt; Regi non Pontifici: quem hæreſeôs, homicidij, aliorumque criminum reum agebant. Pontifex interea Alemannos & Belgas quantum poterat aduerſus Galliam concitabat. At Rex in Italiam miſit Gulielmum Nogaretium, qui ope Sciarræ Columnæ Papam comprehendit Anagniæ, impoſitúmque ſtrigoſo iumento Romam iuſſit deportari, vbi impatientia & animi ægritudine ſpiritum exhalauit. Deproperatæ ſunt nihilominus ad Regem à ſucceſſoribus Bonifacij bellæ bullæ, queis ſanciebatur præteritorum [illegible] vt legere eſt in extrauagante (*meruit*) vbi Rex *pij & religioſi Principis* titulo laudatur, & regno priſtina reſtituitur conditio. Nimirum illis Galliæ proceribus alius erat animus, quàm his, quos Dominus Perronius ſuæ orationis fautores & patronos inuenit: alia Cleri ſtudia in Regem, quàm noſtri Cardinalis: qui vt hoc exemplum eluderet nullum excogitare potuit colorem meliorem, quàm quòd non fuerit hæc de hæreſi aut apoſtaſia controuerſia. Qua in re non tantum iniuſtitiæ inſimulat Pontificem, vtpote ſine cauſa Regi infeſtum, verumetiam mendacij; vt ex literis modo citatis apparet, in quibus Philippus arguitur hæreſeôs. Addit Cardinalis inde natam quæſtionem, quód Pontifex temporalem regni Gallici poteſtatem ad ſe diceret pertinere, id eſt, ius regium ſibi arrogaret: quòd à rei geſtæ veritate abludit. Id tantum poſcebat Pontifex, vt beneficia Eccleſiaſtica ipſe diſpenſaret, & in temporalibus Rege eſſet ſuperior quod ſibi etiamnum arrogat Pontifex, Reges abdicandi poteſtatem ſibi vindicans. Si obtendat Cardinalis habitum à Gallis Bonifacium non pro iuſto Pontifice, ſed iniuſto ſacræ ſedis inſeſſore, vt qui per fraudes & ſimoniam Papatum acquiſierit, incumbet vtique illi dicere quis tum fuerit Papa ſi Bonifacius non fuerit? quod ſi legitimus Papa non ſit, qui per dolos, largitiones, munera, Papa factus ſit, vereor vt tribus vltimis ſæculis vix duos inuenias legitimos.

Vide Caroli Molinæi tractatum contra paruas datas, vbi feſtiui cuiuſdam Arreſti meminit ſub Carolo VI. Theodoricus a Niem. in nemore vnionis tract. 6. Et ſomnium viridarij.

Anno 1408. Benedictus Pontifex indignatus auaritiam & rapinas Papalis aulæ in Gallia à Carolo VI. coerceri, aduerſus Regem & Proceres Bullam excommunicationis miſit in Galliam. hanc Academia Pariſienſis cenſuit lacerandam, & Benedictum (antea *Petrum de Luna*,) hæreticum, & ſchiſmaticum, & pacis turbatorem declarandum. Ita Senatusconſulto bullæ diſcerptæ ſunt x. Iunij 1408. & decem poſt diebus circiter horam vndecimam ante meridiem dimiſſo Senatu duo Pontificis Bulligeruli furciferorum habitu ciuibus proſtituti fuere ad gradus Palatij, inde in Loueram eodem habitu reducti ſunt quo per ora ciuium traducti fuere, in duobus plauſtris ſtercorarijs, pictis amicti tunicis, chartaceis intecti mitris, proſequente tubarum

clangore

clangore & risu publico. Tam parui fiebant illo sæculo fulmina Pontificis: quid futurum putemus, si Regis abdicandi mentio in bullis illis facta fuisset?

Anno 1510. ab Ecclesia Gallicana in Turonensi Synodo decretum est Ludouico XII. licere ineptas bullas, iniustásque censuras Iulij 11. spernere, eiúsque ambitioni armis occurrere, seu excommunicaturus accederet, seu Regem abdicaturus. Et quod maius est, Rex in Pisano Concilio pronuntiauit Iulium Papatu excidisse, excusis cum hac inscriptione coronatis, *Perdam nomen Babylonis.* Respondet Perronius id factum à Gallis, quod de imperio non de religione primam quæstionem esse intelligerent: atque ita Iulium Pontificem condemnat, qui non ad religionẽ sed ad ambitionem censuris Ecclesiasticis vteretur: & nos monet tacitè, si quando Pontifex Regem volet deijcere Gallorum esse causas examinare, quas si iniquas comperiant vt decreta Pontificis abrogent & fulmina eius irrideant. Vid. Nicolaum. Gillium.

Eiusdem abdicationis sententia sideratus est Iohannes Albretus, Nauarræ Rex, vnde regnum eius ad Ferdinandum Arragonium Pontifice auctore translatum fuit. Quod si in Regem suum non melior fuisset Gallorum, quàm Nauarræorum fides, sanè ex decreto Pontificis, ex mente etiam Cardinalis iniquo, Gallia Dominum mutasset. cuius decreti iniustitiam vt eleuet, negat Cardinalis præcipuam eam causam fuisse, quicquid tum obtenderit Ferdinandus: sed quia Iohannes Albretus fœdus ruperat ea sancitum conditione, vt si à Regibus Nauarræ violaretur, Nauarra ad Hispanos rediret. Ego equidem non video quo spectet inauditę hactenus inter Reges & incredibilis conditionis mentio ex ore Cardinalis, nisi vt Regi suo persuadeat excidisse ipsum omnis iuris prætextu in regnum Nauarræ. Et quod eius nunc possidet contra ius & fas possidere. Causam igitur Hispani agit aduersus suum Regem, qui si Cardinali auscultet expungere debet è titulis suis Nauarræ regnum & omnes Maiorum suorum ad illud recuperandum conatus agnoscere iniustos. Siccine verò tantam in Gallia tolerari licentiam? Siccine in amplissimo conuentu talia impunè dici? causam Regis à nemine defendi? At tolerabile foret si ad illius institutum quicquam hoc attineret. Nam quid obsecro ad præsentem quæstionem faciat hoc, vbi agitur de Pontificum in abdicandis Regibus ambitione, & Gallorum in retundenda ea tyrannide constantia? quarum neutra ideo minor est, quòd hanc pro se causam obtenderit Ferdinandus. sufficit enim quòd Iulius ab hoc in illum transtulerit regnum, Franci verò Papæ obuiam ierint & Papatu excidisse pronunciarint.

Ex hac Gallorum constantia in sceptri iure asserendo nata est consuetudo pluribus post sæculis obseruata, vt nullus à Pontifice recipiatur in Gallia Legatus, nullum rescriptum mandatúmue, nisi Rex consen-

ſerit; & legatus regio aduocato ſummam legationis expoſuerit, & Senatus ſingula approbarit, penes quem eſt videre ne quid regiæ dignitati aut libertati Eccleſiæ aut patrio iuri derogetur. Contra antiquum morem quum Cardinalis Balua Anno 1484. Galliam ingreſſus ſine Regis venia Legati munia obiret, Senatus intercedente regio aduocato iuſſit rem à duobus è ſuo numero explorari: Cardinali verò ſub perduellionis pœna interdixit, ne quid amplius pro Legato ageret. Bochell.

Anno 1561. die Veneris, qui duodecimus erat Decembris, Magiſter Iohannes Tanquerellus Theologiæ Bacchalaureus iuſſus eſt decreto Senatus publice agnoſcere inepte & temere fuiſſe à ſe hanc propoſitionem defenſam, *quod Papa eſt Vicarius Chriſti, Monarcha habens poteſtatem ſpiritualem & ſæcularem, & quod Principes ſuis præceptis rebelles priuare poteſt dignitatibus.* Ita coactus eſt Tanquerellus eam doctrinam reuocare multum licet proteſtatus *doctrinaliter tantum & non iuridicè* à ſe fuiſſe propoſitam. Reſpondet Cardinalis alienam eſſe à quæſtione hanc hiſtoriam, quum in Tanquerelli theſi de hæreſi vel apoſtaſia non agatur. ego affirmo agi cùm de contumacia in Pontificem agatur. nec enim negabit, opinor, rebellare Pontifici quiſquis contra monitum Pontificis perſeuerat in hæreſi. adde quod ſuperioribus exemplis ſatis edocti ſumus, nunquam paſſurum Pontificem vt Regum abdicandorum poteſtas ad hæreſin & infidelitatem reſtringatur.

Flagrante in Gallia bello Ciuili Fœderatorum, anno 1591. Gregorius XIV. miſſis Roma monitorijs bullis Henricum IV. denunciauit regno inhabilem, quòd hæreticus eſſet & in hæreſin relapſus, regnum verò in prædam expoſuit. quæ bullæ iuſſu Supremi Senatus in Turonibus conuocati diſcerptæ ſunt, & carnificis manu in ignem coniectæ. Decreti tenor hic erat. *Senatus expenſis regij aduocati rationibus decreuit & decernit bullas monitoriales, datas Romæ 1. Martij 1591. nullas eſſe, abuſiuas, ſeditioſas, damnabiles plenas impietatis & impoſturæ, ſanctis decretis, iuribus, immunitatibus, & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ contrarias. Earum exemplaria ſigillo Marſilij Landriani ſignata, à Septilio Lamprio ſubſcripta, iubet à carnifice diſcerpi, & igne conſumi, accenſo ad eam rem pro foribus palatij.* Ea tempeſtate Dominus Cardinalis meliores ſequebatur partes & pro Rege ſuo tum hæreſeôs damnato ſtabat contra Pontificem.

Sunt hæc exempla poſt Scholas Theologicas in Gallia apertas, vt nos poſitis à Cardinali terminis coerceamus; qui parum ingenua & bona fide agit, dum ait contra Pontificis in Reges imperium tria adferri exempla Philippi Pulcri, Ludouici XII. & Tanquerelli, nec enim minus valida ſunt alia multa à nobis adducta, quæ ille ne cauſam læderet ſuppreſſit. Pag. 47.

Nec verò vel in vltimo ſeruitutis pudore vnquam defuere Gallis cordati Theologi, qui effrænē hanc Papæ in Reges tyrannidē damnarent.

Paſchalis

Paſchalis II. Papa Roberto Flandriæ Comiti vindictam iuiunxit in Clerum Leodienſem, quòd Henrico IV. à Pontifice abdicato ſtuderent; vt peſſimis eos exemplis perderet, ſicut recens Cameracenſes afflixerat & expilarat, promiſſâ etiam militibus qui mandatum exequerentur peccatorum ſuorum venia. At Clerus Leodienſis prolixè reſpondit, *Romanam Eccleſiam eſſe Babylonem, Deum ipſum iniunxiſſe vt demus Cæſari quod eſt Cæſaris, & omnem animam ſubditam eſſe poteſtatibus ſuperioribus, nemine planè exempto; iuramentum fidelitatis ſeruandum; id quod nec eos lateat, qui nouo ſchiſmate & nouis traditionibus regnum & ſacerdotium pro arbitrio ſuo diuellunt, promittentes hominibus in Reges ſuos perfidis abſolutionem perfidiæ. Quòd verò eos per opprobrium excommunicarit Pontifex, Cor Dauidis* (*aiunt*) *verbum bonum eructauit, at cor Paſchalis flagitioſam euomuit iniuriam, vt faciunt vetulæ & textrices*: itaque excommunicationis ſententiam vt ab inſipiente profectam exploſerunt. Talia erant Clericorum verba dum viueret Cæſar, at eo ad miſerabilem mortem compulſo à filio, qui auctore Papa patrem exuit imperio, nil mirum videri debet ſi metu mortis veniam facti petiuerint.

Hildebertus Cenomanus, qui vixit ſub Philippo I. Epiſt. 75. & 40. apud Regem ait opus eſſe exhortatione potius quàm increpatione: conſilio quàm præcepto, doctrina quam virga: hunc enim gladium ad Eccleſiam pertinere, quæ nullum alium habet quàm diſciplinam Eccleſiaſticam. Biblioth. Patrum tom. 3.

Bernardus ad Papam Eugenium ſcribens, *Non monſtrabunt* (inquit) *puto qui hoc dicent, vbi aliquando quiſpiam Apoſtolorum iudex ſederit hominum, aut diuiſor terminorum, aut diſtributor terrarum. Stetiſſe lego Apoſtolos iudicandos, ſediſſe iudicantes non lego.* Item, *in criminibus non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra: quoniam propter illa & non propter has accepiſtis claues regni cælorum; præuaricatores vtique excluſuri, non poſſeſſores.* Et paulo poſt: *habent hæc infima ac terrena iudices ſuos, & Reges, & Principes terræ. quid fines alienos inuaditis.* & alibi: *Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus. Ergo tu, & tibi vſurpare aude aut Dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus Dominatum. Planè ab alterutro prohiberis. Si vtrumque ſimiliter habere voles perdes vtrumque.* De conſider. l. 1. c. 6. Lib. 2. c. 6.

Iohannes Maior Doctor Pariſienſis: *Maximus Pontifex non habet dominium temporale ſuper Reges. Probatur, nam dato oppoſito ſequitur quòd Reges ſint eius vaſalli.* Iudicet iam Lector an non temporale habeat in Reges imperium, penes quem eſt temporali imperio Reges priuare. Idem: *Nullum titulum habet Papa ſuper regnum Francorum vel Hiſpaniarum in temporalibus.* Subiungit Innocentium tertium Monſpelienſi cuidam Domino, qui pro filio notho diſpenſationem à ſe petebat quæ à Rege impetranda fuerat, reſpondiſſe, Regem Galliæ nemini eſſe obnoxium. *Sed dices cum gloſſa* (inquit) *non recognoſcit ſuperiorem de fa-* Dist. 24. qu. 3. 4. sententdist. 24. fol. 214.

cto, debet tamen de iure. Hanc gloſſam probo eſſe Aurelianenſem & textus corruptiuam. & inter alias rationes hanc adducit *quod ex hac ſententia Papis miniſtratur materia rapiendi alieni imperij, quod nunquam ad finem deducere poterunt. vt legimus de Bonifacio VIII. contra Philippum Pulchrum. Hinc etiam bella oriri ait quibus durantibus multa mala committuntur.* Propterea Iohannes Gerſon aſſerentes talia *blandientes* appellat. Ibidem Childericum à Zacharia negat depoſitum: *non oportet* (inquit) *vti illo vocabulo* (*depoſuit*) *in ſignificatione qua capitur prima fronte, ſed ſicut exponit gloſſa deponentibus conſenſit.*

De poteſtate regia & Papali. c. 10.

Iohannis Pariſienſis: *dato etiam quod Chriſtus temporalem authoritatem & poteſtatem habuerit eam tamen Petro non commiſit.* & paulo poſt: *poteſtas regalis maior eſt in temporalibus, non habens ſuper ſe ſuperiorem, ſicut nec Papa in ſpiritualibus.* fatetur quidem poſſe Regem à Pontifice priuari communione, ſed non regno; *niſi forte* (inquit) *per accidens, quatenus ſententia excommunicationis incitatur populus vt dignitate ſæculari Regem exuat.* at idem Iohannes Pariſienſis dicere non dubitat, penes Imperatorem eſſe Papam poteſtate priuare ſi ea abutatur.

Almain. de poteſtate Eccleſ. & Laic. q. 2. cap. 8.

De dominio naturali, ciuili, & Eccleſiaſtico § vltima pars.

Almainus Doctor Sorbonicus: *De ratione poteſtatis Laicæ eſt pœnam ciuilem poſſe infligere, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. ſed nullam talem pœnam ex inſtitutione diuina infligere poteſt Eccleſiaſtica poteſtas;* imò nec incarcerare *vt pleriſque doctoribus placet: ſed ad ſolam pœnam ſpiritualem extenditur, vt puta excommunicationem: reliquæ autem pœnæ quibus vtitur è iure poſitiuo ſunt.* Si Eccleſia ex iure diuino nihil habeat iuris in priuati alicuius bona qua fronte in Regum dominia è verbo Dei Papa cum ſuis adulatoribus eiuſmodi aſtruet poteſtatem?

Quæſt. 1. de potêſtate Eccleſ. & Laica cap. 12.

Idem Almainus alibi: *ſuppoſito quod Conſtantinus habuerit poteſtatem dandi Papæ vel reſignandi imperium, adhuc propter hoc non poteſt argui, quòd Papa habeat auctoritatem ſuper regnum Franciæ: quia illud non erat ſubiectum Conſtantino. nunquam enim Rex Franciæ habuit ſuperiorem in temporalibus.*

Cap. 13.

& paulo poſt: *nullibi reperitur quod Deus Papæ dederit poteſtatem inſtituendi & deſtituendi Reges temporales.*

queſt. 2. c. 8.

Alibi negat Zachariæ auctoritate regno excidiſſe Childericum Regem ſed conſenſu, *& ſic* (inquit) *non depoſuit auctoritatiue.* & in eodem libro Occamum ſequutus quem Doctorem vocat: *Imperator eſt Dominus Papæ in temporalibus. Nam habetur textus 2. q. can. Sacerdotibus; vbi Papa vocat Imperatorem Dominum ſuum.* Hæc & ſimilia Doctoris Almaini ſupprimit & diſſimulat Cardinalis, contentus eum citare vt ex Occami mente loquitur, qui citandus fuerat vt loquitur ex ſua; inſignitâ profectò & memorabili verſutiâ. nec enim vlla hæreſis fuerit, quam non S. Auguſtino vel Hieronymo adſcribas, ſi facias illorum eſſe quicquid citant ex alijs.

Hinc eſt quòd loca non adferat integra ſed mutila & manca: quin primum

primum ſtatim teſtimonium decurtat, ſuppreſſis quæ ab Almaino cõtra ſentiente adiuncta erant, his verbis: *Etſi alij Doctores hoc negent, & doceant Papam habere poteſtatem ſolummodò declarandi ipſum Regem eſſe deponendum. patet: quia eſſet occaſio quod ratione talis poteſtatis Papa efferretur in maximam ſuperbiam: & illa plenitudo poteſtatis eſſet multum damnoſa ſubiectis.*

Refertur ab eodem Almaino Occami opinio decidentis litem diſertis verbis quibus & ipſe fidenter accedit: *Opinio Doctoris ſimpliciter (inquit) probabilior eſt, quòd nec per excommunicationem nec alio modo poteſt Papa Principem deponere à ſua dignitate Imperiali & Regali.* & paulò ante quum contendiſſet non eſſe tranſlatum à Græcis ad Germanos imperium, nec à Papa qui Imperatorem coronat imperium conferri, ſicut nec Rhemenſis Epiſcopus Galliarum Regi, quem coronat, regnum tribuit, tandem ex Occami ſententia diſſertationem ſic concludit: *Nego quod Imperator teneatur præſtare iuramentum Papæ. Imò potiùs è diuerſo Papa habens prædia tenetur præſtare iuramentum fidelitatis Imperatori ratione prædiorum, & ad tributum ſoluendum.* Idem Occamus ab Almaino citatus ait *Papam in temporalibus fuiſſe Iuſtiniano Cæſari obnoxium, ſiquidem à Iuſtiniano leges acceperit, quas obſeruare neceſſe habuit nominatim illam de centum annorum præſcriptione, etiamnum aduerſus Pontificem validam.* Et vt liquidius appareat quantum ab Occamo Cardinalis diſſentiat dum in fine orationis hortatur auditores ne à Pontifice vllatenus diſcedant, ecce ipſa Occami verba ab Almaino citata: *Soluit Doctor in libro argument a Innocentij, quibus nitebatur probare plenitudinem poteſtatis in temporalibus competere ſummo Pontifici, ex verbis quodcunque ligaueris: dicit Innocentius quod [quodcunque] nihil excipit. Soluit authoritatem Innocentij quod non ſolùm eſt falſa ſed hæreticalis: & quod multa verba Innocentij ſapiunt hæreſim.*

Quæſt. 1. de poteſt. Eccleſ. & Laica. c. 12

In cap. 9. 10. & 11.

Lib. de poteſt. Eccleſ. & Laica. quæſt. 1. c. 14.

Minore adhuc fide bina loca è ſumma Thomæ adducit Cardinalis, alterum ex ſecunda ſecundæ q. 10. a. 10. in corpore, quod quiſquis attentius inſpexerit, inueniet Aquinati ſermonem non eſſe de fidelibus ſubditis qui viuunt ſub Regibus infidelibus, vt vult Cardinalis; ſed de ſeruis fidelibus ſub Dominis infidelibus aut Iudæis, vt ſi Chriſtiani ſeruiant Iudæo, aut viuant in familia Cæſaris; quos Aquinas conſiderat non vt ciues Imperij ſed vt famulos & domeſticos Imperatoris. Poſterior locus eſt è quæſt. 11. art. 2. in corpore articuli, vbi ſanè nihil eiuſmodi reperire eſt.

Pag. 40.

Pari fide Gerſonem adducit, qui vt quod res eſt fateor in libro de poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione 12. *dum redundat* (inquit) *abuſus poteſtatis ſæcularis in impugnationem fidei & blaſphemiam creatoris, tunc attendere conuenit vltimam huius duodecimæ conſiderationis particulam: quod in his Eccleſiaſtica poteſtas habet dominium quoddam regitiuum, directiuum, regula-*

Pag. 44.

regulatiuum, & ordinatiuum. Hæc ſunt illius verba, quibus de Regum abdicatione aut coercitione non agitur. nam tota illa regiminis Gerſoniani ratio in cenſuris Eccleſiaſticis & excommunicatione poſita eſt, non in bonorum aut regnorum imperiorumúe priuatione. In alienum igitur ſenſum torta ſunt à Cardinale eius verba: nec id omiſſum oportuit, quòd quoties de poteſtate Regũ diſſerit Gerſon, & quatenus in temporalibus auctoritati Pontificis ſubiaceant, Francorum Regem ſemper excipiat. teſtantur quæ locum à Cardinale adductum antecedunt. *non oportet nunc poſt Petrum vt omnis poteſtas Imperialis, regalis, vel altera ſæcularis ſit immediate robur habens à ſummo Pontifice: ſicut Rex Francorum Chriſtianiſſimus ſuperiorem hoc modo non habet, nec recognoſcit in terris.* Magno acumine non opus eſt vt intelligas à Pontifice pendere vim omnem ſceptri, ſi ad eius nutum conferri & auferri vlla ex cauſa queat.

Pag. 108. 109. 110 vbi Cardinalis pro Carolo ſexto Carolum ſeptimum nominat.

Et quoniam in Gerſone ſumus, libet etiam expendere quæ ex eius oratione pro Academia Pariſienſi ad Carolum VI. ſub orationis ſuæ finem adducit Cardinalis. Ibi Gerſon (ſi illi credimus) ait *eadem Tyranni ſacrificium eſſe Deo acceptiſſimum.* vbi aduertendum eſt non eſſe iſthæc Gerſonis verba, ſed *Seditionis* quam loquentem introducit: qua de re, de ſeditione inquam, & ſimilibus, audi ipſius auctoris ſententiam: *ad furioſam hanc Seditionis vocem ego quaſi exanimis faciem deflectebam*, rabiem eius *in dicendo amplius ferre non valens*: poſtquam autem hinc Diſſimulatio illinc Seditio res contrarias ſuggeſſiſſent, Diſcretionem inducit vt arbitram inter extrema, eaque loquentem quæ Cardinalis ſibimet ipſi obijcit: *Concludamus* (inquit) *quod ſi caput aut aliquod ciuitatis membrum tale incurreret inconueniens, quòd tyrannidis mortale venenum ſorbere vellet, membrum quodlibet ſuo in loco, toto poſſe, obuiare deberet, per media conuenientia & talia per quæ non peius ſequatur. Non congruit ſi caput paruo afficiatur dolore manu ipſum percutere. hoc enim fatuum eſſet. nec conuenit ipſum ſtatim abſcindi aut à corpore ſeparari, ſed in omni dulcedine meditari, tam per verba bona quàm aliter ad bonorum medicorum exemplum. Nec quicquam eſſet irrationabilius & crudelius quàm per ſeditionem tyrannidem impedire velle.* Hæc verba meo iudicio contra tyrannicidium clariſſima ſunt. Et quum paulo poſt de pellenda tyrannide agit, tyrannidem vult pelli non tyrannũ. ideoq, non à Pontifice, qui Regem abdicet, medicinã mali accerſit; ſed à Philoſophis, Iuriſconſultis, Theologis, & bonæ vitæ hominibus. Ex ijs omnibus quæ diximus apparet in conſideratione ſeptima aduerſus adulatores vbi hæc habentur: *ſi ſubditos manifeſtè, & cum obſtinatione in iniuria, & de facto proſequatur Princeps, tunc regula hæc naturalis, Vim vi repellere licet, locum habet: & id Senecæ in tragœdijs. Nulla Deo gratior victima quàm Tyrannus*; apparet, inquam, hæc verba (LOCVM HABET) intelligenda eſſe, vt alio in loco monuit, inter ſeditioſos, vel

ſanè

ſanè per verba (LOCVM HABET) innuitur ita fieri, licet, ipſe ita faciendum eſſe nullus ſuadeat.

Nec Sigebertum oportuit omiſſum quem inter Gallos potius referre debuerat Cardinalis, quàm Occamum & Thomam, quos nobis pro Gallis obtrudit. Hic in Chronico ad annum 1088. de Imperatore à Pontifice deiecto verba faciens, *hæc ſola* (inquit) *nouitas, ne dicam hæreſis, nec dum in mundo emerſerat, vt Sacerdotes illius qui dixit Regi, Apoſtata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum, quòd malis Regibus nullam debeant ſubiectionem, & licet ei ſacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem.*

Cardinalis vltimorum ſæculorum excuſſis hiſtorijs, quæ quanquam omnes pro ipſo facerent, parui tamen ſunt ponderis, quum Dei voluntas ex ſuo verbo petenda fuerat, & veteris Eccleſiæ producenda exempla: tandem teſtimonijs finem facit, & aduerſariorum obiecta diluit. Pag. 51. & ſeqq.

Vt id commodius exequatur libertatis regiæ aſſertores ſic facit loquentes: *Atqui (dicet aliquis) fieri poteſt, vt Pontifices vel affectu vel errore Reges orthodoxos hæreſeôs aut apoſtaſias condemnent.* Pro Regum abdicatoribus reſpondet de hæreſi manifeſta & ab Eccleſia ante damnata ſermonem eſſe. Item ſi Pôtifex errauerit in facto tum cleri eſſe iunctis cum Rege animis Pontificem monere & petere, vt præſente Gallicana Eccleſia res in pleno Concilio iudicetur. Qua in re Perronius à Bellarmino diſſentit, qui putet Regi quamuis iniuſtè à Pontifice damnetur cedendum eſſe regno: nec iniquam ſententiam illi fraudi fore modò audiens dicto fuerit, & tandiu ceſſerit donec Pontifex ſuum correxerit errorem. Hic hypotheſeôs loco credendum eſt primò nouum, regni inſeſſorem monente Pontifice continuò ſe abdicaturum poteſtate, Principem verò iniuſtè deiectum in nullo interea vitæ periculo conſtitutum iri. At Perronius tantum Pontifici non tribuit. nec enim ſi errore Pontificis Rex iniuſtè abdicatus fuerit cenſet populi eſſe è veſtigio obedire, ſed vt querelis & monitis ſtrenuè apud Pontificem rem agant, & ad Concilij arbitrium omnia reuocent. Ita Papam ſubijcit Concilio, cui opinioni nunquam tamen ſubſcripſerit Papa. Iſtud verò generale Concilium eſſe oportet: in quo Epiſcopi Galli Iudices eſſe non poſſunt, quin Regis ſui cauſam agant. ideoque ſatis habet Cardinalis ſi Gallica Eccleſia interſit modò. Sic penes Epiſcopos Italos, Hiſpanos, Belgas alioſque ijs Principibus ſubditos, qui Galliæ parum ſæpe comperiuntur beneuoli, iudicium erit de Gallia, an ſuum Regem pellere & turbas in regnum debeat admittere. Quid ſi Regi ſuo parum faueant ciues, illiuſque vltro vexandi occaſiones quærant? quid ſi eiſdem calumnijs, quibus decepta eſt credulitas Pontificis, dimidia quoque populi pars decipiatur? & hæc adhæreat Pontifici, illa Regi vt ciuilis Aduerſus Barclaium.

belli

belli excitetur incendium? quid ſi Papa Gallorum monitis non acquieſcat? Et quum in Eccleſia Romana non poſſit conuocari concilium niſi à Papa, quis credat conuocandum ab eo conſilium, in quo ipſe iudicandus ſit? aut quo iure præſidebit Concilio, in quo futurus eſt reus? in quo ſententiæ ab ipſo latæ æquitas examinanda eſt? Interea temporis inter querelas, monita, apparatuſque Concilij pendebit in ambiguo Regis dignitas, arbitrio Concilij permiſſa; quod ſi vt Tridentinum duobus tribuſue annis vix conuocetur, duret autem nouemdecim, facile potes æſtimare quæ interea futura ſit miſellæ Galliæ conditio. In ſumma quæ dicit hic Cardinalis non impoſſibilia modo ſunt, ſed ludibrij plena: quod ex ijs quę ſubiungit clariſſimè apparet. *Quod ſi Pontifex* (inquit) *errans in facto Regem temere & iniuſtè declararit hæreticum, ſequi tamen haudquaquã poterit actualis depoſitio niſi conſenſerit populus.* Quorſum opus erat ea de re nos commonefacere? quis neſciat Regem à populo non poſſe abdicari, quamdiu illi adhæret populus? hoc perinde eſt ac ſi dicat, non poſſe Regem dignitate priuari quamdiu eam retinet, nec veſtibus ſpoliari dum ijs indutus eſt, nec vnquam abdicari quum fortior eſt abdicante; & breuiter fore eum ſemper Regem, dum regnum habuerit. Interim nota bene verba Cardinalis, *quòd populi conſenſu opus ſit vt Rex abdicetur vbi Regi præfertur populus; & abdicandi arbiter conſtituitur.*

Can. Si Papa. diſt. 40. Niſi ſit à fide deuius.

Audi amplius. nam ipſi Pontifices agnoſcunt poſſe ſe errare in fide. & è Pontificibus fuere, qui Honorium Papam pro Monothelita damnarunt. S. Hieronymus, S. Hilarius, S. Athanaſius teſtantur Liberium mente & manu acceſſiſſe Arianis. A Concilio Conſtantienſi damnatus & Iohannes XXIII. quod nec Paradyſum nec infernum agnoſceret, & ſic plures alij Pontifices. Si quis igitur Papa Hæreticus Regem Orthodoxum propter hæreſin regno priuaret, putaſne eum, qui omnia iura in ſui pectoris ſcrinio habere ſe iactitat, Gallorum monitis auſcultaturum? aut quo modo hæreſeôs in Rege iudex eſſe poterit qui ipſe in hæreſin poterit incidere? Reſpondent hîc errare eum vt hominem non vt Papam. at cur Papa hominem non docet meliora? cur homo non diſcit à Papa? adde Regem ſiue ab homine ſiue à Papa deiectus fuerit, manere vtique deiectum. Dicunt alij poſſe Pontificem errare vbi quæritur de facto, non vbi de iure. Dolosè: nam ſi Ieſum Chriſtum neſciat pro nobis mortuum, neſcire etiam poterit an in ipſius mortem credendum ſit. Antiqui Prophetæ diuinitus inſpirati vt Reges Iudæ & Iſraëlis monerent, non minùs cauebant errare in facto quàm iure: temere auſcultare calumnijs, quam ſeduci in doctrina. & vt in fide non errabant, ſic neque innoxios increpabant. Et fuiſſet ea tempeſtate ſepidum nimis dixiſſe Prophetam in hæreſin labi poſſe vt Eſaias eſt, aut Daniel, non autem vt eſt Propheta. tum enim Eſaias

conſi-

consilium à Propheta petijsset, id est, à seipso. In summa si Reges tantisper Reges sint quamdiu à Papa non iudicantur regno propter hæresin excidisse, iniquissimi iudicij aleam subeunt. & tutius erit nihil omnino scire & credere per Procuratorem, ne forte loquentes de Deo aut quærentes de religione incidant in Hæresin.

Quæcunque deinceps proferuntur à Cardinale exempla noua sunt, & leuia, & sumpta de seruili sæculo; vbi ipsi Pontifices in sua causa testimonium dicunt. nec tamen ad DEPOSITIONEM ea spectant, sed ad EXCOMMVNICATIONEM & INTERDICTVM: ideoque à quæstione aliena. hinc est quod sæpe monet, se de facto loqui, tanquam agnosceret nihil iuris subesse. refert quid factum sit, non quid debuerit fieri: quod perinde est ac si nihil doceret.

SECVNDI INCOMMODI EXAMEN.

SEcundum quod ex admissa populi rogatione deducit Cardinalis incommodum, est, quòd *Laicis sic concedatur authoritas, vt iudicent de rebus fidei, & definiant doctrinam illam, quæ ea rogatione proponitur, verbo diuino conformem esse; imò vt hominibus Ecclesiasticis necessitatem imponant in hanc opinionem iurandi, eam prædicandi & docendi, alteram verò concionibus & scriptis oppugnandi*, quod tantis verborum ampullis exaggerat, vt tandem exclamet: *O opprobrium, ô scandalum, O portam omni hæreseon generi apertam.* Rationibus igitur & scripturæ testimonijs hanc Laicorum ambitionem conatur facere exosam: qua in re frustra sibi facessit negotium & quod omnino non erat id fingit fuisse. Nam Tertij ordinis homines in hoc articulo non iudicantium sed rogantium partes egerunt, id tantum cupientes, vt hic articulus Regi eiusque consilio scriptus exhiberetur, quorum iudicio illum permiserunt, sperantes Clerum & Nobiles tam honestæ petitioni non defuturos. non ita rudes erant officij ignari, vt crederent vim legis posse obtinere quod ipsi proponerent duobus alijs Ordinibus refragantibus, nec dum etiam consentiente Rege. adde quod illum articulum non proposuerint pro dogmate religionis, sed pro immota lege in Repub. cuius cura ad eos spectabat. Quod si Rex articulum probasset, eiusque exequutionem mandasset Clericis, eorum fuisset Regi obedire vt decet subditos, qui in ijs quæ ad regiæ vitæ securitatem & pacem publicam faciant suum debent Regi auxilium. neque si id feciissent Tertij illius ordinis iussa feciissent sed Regis, qui hoc ipsis iniunxerat, suggerentibus fidis ipsius mini- Pag. 86.

miniſtris, qui per Cleri negligentiam vigilantiores facti erant; quum arctiore vinculo Papæ obſtrictum viderent Clerum quàm Regi. Cardinalis igitur hîc quæſtionem mouet quæ nulla eſt, ſed hoc pro ſolita calliditate, vt maiore cum licentia Regem per alienum latus vulneret, ſimulans ſe agere cum plebe, cùm Regem ipſum & Proceres & Senatores alloqueretur quos Laicorum nomine etiam complectitur, & quorum iudicium magis metuebat Clerus quam populi. Hi ſunt apud eum, qui alienum munus inuadunt & portas hæreſibus aperiunt. Nam ſi penes Clerum ſolum eiuſque caput ſit huius negotij arbitrium, certum eſt non minus Regem cum Principibus & Nobilibus excludi, quàm plebem.

Igitur è ſacris literis teſtimoniorum aciem inſtruit, quibus populo iniungitur Paſtorum ſuorum reuerentia: tanquam per ea interdiceretur cura populi pro incolumitate & dignitate ſuorum Regum, aduerſus ſicarios inſtructos ab hominibus Eccleſiaſticis, qui à peregrino dependent capite, & ſe Regi ſubditos inficiantur quod Sacerdotes & Præſules ab illo citati haud vnquam profeſſi ſunt. Conſtantinum quoque adducit, qui in Epiſcoporum cauſis iudex ſedere recuſauit; & Valentinianum, qui cum Theologicarum ſubtilitatum iudicium à ſe reijceret aiebat nolle ſe in iſta curiosè inquirere. quaſi ſecuritati Regum proſpicere quæſtiuncula Epiſcopalis eſſet, aut curioſa aliqua ſubtilitas. Quo reſponſo teſtimonijs Patrum ab eo citatis occurritur; inter quæ illud Gregorij Nazianzeni, oratione ad ciues ſuos, fide parum bona ab illo adducitur; vbi Gregorius non Imperatorem ſed Præfectum & Vicarium Imperatoris compellans ἀρχὴν (inquit) ὦ ξένε, *& nos cum imperio hic ſumus non minus quam tu.* Cardinalis vertit *& nos quoque ſumus Imperatores*: quæ interpretatio locum habere non poteſt; tum quia Imperator non erat is, quem alloquebatur; tum quia nimis incredibile accidiſſet hominum auribus ſi Imperatoris titulum ſibi arrogaſſet Gregorius, tantillæ tunc vrbis Epiſcopus. At ille ſeipſum cum grege ſuo ἔμψυχον ὑπήκοον ſubiectum agnoſcit Imperatori vſque ad ſolutionem tributi. Vitæ hiſtoria operibus viri Sancti præmiſſa teſtatur eum ab Arianis ad Iudicium Conſulis protractum fuiſſe & abſolutum, nulla plaga vel contumelia notatum. Poſt hæc omnia en tibi Cardinalem, qui ait Gregorium ſe pro Imperatore geſſiſſe. fateor nunquam ſibi arrogaſſe Imperatores ſupremum religionis & fidei iudicium: at de Conciliorum decretis, & conſtitutionibus, & de Eccleſiæ diſciplina, cognitionem feciſſe ſuam, negari vtiq; non poteſt. titulus primi Concilij Conſtantinopolitani eiuſmodi eſt: *Dedicatio Sanctæ Synodi ad Sapientiſſimum Imperatorẽ Theodoſiũ Magnũ*, cui canones ab ipſis editos ſubiecerunt. Petunt ibidem, ab Imperatore confirmationem, & approbationem Concilij. Eadem dicuntur à Patribus Trullenſis Concilij, à quibus quinti & ſexti

Vide canones græcos à Tilio editos.

& ſexti Concilij canones editi fuere. non quod Imperatores ſe facerent religionis Iudices, neſcios errare : ſed vt cauerent, ne fortè Epiſcopi (qui nihilo aduerſus ambitionem firmiores ſunt, quàm cæteri mortales) contra præſentem Reipub. adminiſtrationem, aut tranquillitatem aliquid ſtatuerent ; vel etiam contra priorum Conciliorum decreta. quàs res ſi quis eximit cognitioni Principis, Principem transformat in ſtatuam : imò vetat, ne ſui curam gerat : eóque redigit, vt merus Eccleſiæ lictor eius decreta ſolùm exequatur, ignarus quoque earum rerum, quæ ipſius maximè interſunt.

Fateor ſanè Theologicæ eſſe contemplationis iudicare, quouſque ſe extendat poteſtas clauium ; vel quòd Clerici in eos Principes, qui contra iuramentum indicunt Chriſto bellum, cenſuras ſuas ſtringere & poſſint, & debeant, amoto omni Laicorum arbitrio : verùm hoc nihil vetat, quin nefas ſit ijs poteſtatem clauium plus æquo extendere ; aut, ſi clauibus abuti velint, vt populum fortunis aut Regem ſceptro exuant, quin Rex cum populo in commune debeat conſulere, quo pacto conſeruent ſua, & à Clericis petere, quo iure iſta faciant ; vtque è ſacris literis demonſtrent hanc ipſis à Deo conceſſam eſſe poteſtatem. Pati enim, vt Pontifex ſe gerat pro iudice irrefragabili, vbi pars eſt, in maximi momenti negotio, & dominationis ſuæ apice, nimirum, regnorum omnium arbitrio ; nihil aliud eſt, quàm Reges eò reducere, vt cauſâ ſuâ neceſſe habeant cadere.

Fateor etiam, ſi quid iuſſerit Princeps verbo diuino contrarium, aut in Eccleſiæ perniciem, tum Clericis ex officio incumbere, non modò populum obediendi lege abſoluere ; verum etiam ne obediant diſertis verbis interdicere, quia ſemper melius eſt Deo obedire quàm hominibus : ſuadere debent nihilominus, vt in cæteris, quæ aduerſus Deum non ſunt, Principi obtemperent, eos à rebellione & ſeditione pro virili ſtudentes auertere. Ita ſe erga Ethnicos Imperatores gerebant veteres Chriſtiani ; quorum zelo & patientiâ plus aucta fuit Eccleſia, quàm Papatus vnquam acquiret per Regum abdicationes, regnorum interdicta, cædes conductas, & ſulphureas coniurationes.

Pari cum prioribus fide citantur poſtea à Cardinale nonnulla è ſacris literis, in eorum gratiam, qui hanc Papæ in Reges poteſtatem aſtruunt: *aiunt enim* (inquit) *Saulum Regem fuiſſe à Samuele depoſitum, aut ſanè declaratum depoſitum, propterea quod religionis Iudaicæ leges tranſgreſſus erat.* alibi eum ideo ait depoſitum, quòd ſacerdotium vſurpare voluerit. falſa ſunt hæc omnia, & Scripturæ contraria. Nunquam enim depoſitus fuit Saulus, eo ſenſu, quo vox (DEPONERE) in hac quæſtione accipitur ; vt ſit dignitate regia Regem priuare, & in priuatorum ordinem redigere : verùm manſit ille Rex vſque ad mortem, & in ſacris literis vſque ad vitæ finem Rex dicitur, nominatim à Dauide, cui Deus

Pag. 66.

1 Sam. 13. v. 20. 24. & 15. 2. Sam. 2. 5.

Digitized by Google

regnum eius promiserat. Quòd si eum diuinò iussu regno priuasset Samuel, populus Israeliticus eum agnoscens Regem peccasset; & prohibuisset Samuel, ne amplius eum haberent pro Rege. Nec hanc ob causam ab eo manum abstinuisset Dauid, quia erat vnctus Domini. Quòd si statim vt ex Samuele cognouit reiectum se fuisse à Domino, desijsset Saulus Rex esse; necesse fuisset Dauidem eâdem horâ regnare cæpisse, ne forte Rege vacaret regnum. vnde sequeretur errasse scripturam, quæ annos regni Dauidis numerat à Saulis exitu. Monuit quidem
1.Sam.16.11. eum Samuel quòd reiectus esset à Deo ne amplius super Israelem regnaret, at dilata est eius sententiæ exequutio in illum diem, quo Deus illum morte percussum proposuit in exemplum iræ suæ. Vnde appa-
1.Sam.16. ret vnctionem illam Dauidis per Samuelem vim promissi habuisse, electionisque à Deo factæ indicium fuisse, non initium possessionis regni. Ita prorsus vt 1. Reg. 19. Deus Eliæ iniungit vt Hasaelem in Regem Syriæ inungat. nemo enim sic hospes est in historia vt credat à Pro-
2.Sam.2.4. phetis Israelis Reges Syriæ creari. Inde est quòd Dauid non dubitauerit de integro inungi cùm iam reipsa sceptro donatus esset.

Eosdem Pontificis Patronos inducit Cardinalis dicentes Roboamum
1.Reg.11. suo iure in decem tribus Israelis ab Ahia Propheta ideo priuatum fuisse, quòd eius pater Salomon à diuina lege defecerat. quod etiam falsum est. Nunquam enim legitur Ahias verbum vnum cum Roboamo commutasse: aut Dei nomine quicquam illi denunciasse. & locus è 3. Reg. cap. 11. à Cardinale citatus non spectat ad tempus regni Roboami, sed Salomonis. & vaticinium est, non DEPOSITIONIS sententia. Nam qui potuit Roboamus priuari regno quod necdum habebat? Et hunc locum tanquam iustæ depositionis sententiam adducere perinde est, ac si serui in Dominum approbes perfidiam, & rebellionem Ieroboami, quem Scriptura tanquam exemplar sceleris proponit.

1.Reg.19. Eiusdem farinæ est exemplum à Cardinale subiunctum: quòd videlicet Elias Achabum regno priuarit, quia falsorum Deorum cultum sequutus fuerat. & hoc falsum. Achabus Rex fuit vsque ad mortem. Scriptura quæ non loquitur iuxta hominum opinionem, sed iuxta veritatem; Achabi annos vsque ad mortem continuat. aliud est Regis alicuius ruinam prædicere, aliud solio deijcere. Nunquam Achabi subditos pronunciat Elias sacramenti religione solutos: nunquam Achabo ejecto alium Regem substituit.

Pag.68. Falsum est & illud, quòd Ozias Rex per Azariam Sacerdotem populi consortio prohibitus regni quoque administratione prohibitus sit. Nam lepra percussus à Deo è medio subduxit se, ne inficeret suos.
2.Chron.26. Nullam depositionis sententiam aduersus eum pronunciauit Sacerdos, nec Regij muneris functionem illi abrogauit. sed scriptura annos

eius

eius producit vsque ad mortem. Quod si Sacerdos iuxta legem 13. Leuit. eum iudicarit immundum, morbosum iudicauit non regno indignum. lex enim non punit morbos sed crimina: Et Iosephus hîc cum ait Oziam vixisse vitam priuatam, non vult eum regno exutum fuisse, sed imperij laboribus se exemisse. Antiquit. L. 9. c. 11.

Nec pluris est Mattathiæ exemplum concitantis Iudæos ad rebellionem aduersus Antiochum. Nulla enim ibi apparet DEPOSITIONIS sententia sed afflicti populi erectio hortatioque. aliud est conspirantium in Regem principem se facere, aliud Regis abdicandi sibi sumere arbitrium. Nec Sacerdotis officio tum fungebatur Mattathias, sed belli Ducis, viríque inter suos eximij. Quæ populari impetu fiunt pro legibus haberi non debent: nec ordinariam & legitimam, qualem sibi arrogat Pontifex, potestatem arguunt. Pag. 69.

Huiusmodi sunt nostra responsa, non qualia nobis affingit Cardinalis; vt se tantisper oblectet dum verba quæ nobis ipse dedit refutat. Quamobrem nobis necesse non erit refellere quæ de ordinaria noui testamenti missione, de lepra, de lapidibus, de lanæ floccis differit: exquisito quodam artificio etiam è lepra & scabie eruens argumenta, quibus Regum coronas subijciat Pontifici, quia videlicet quædam lepra est hæresis: quod de omni vitio inueterato & contagioso dici posset. non temere igitur profitetur se nihil definire; nam furor esset ex rationibus tam morbosis & inualidis quicquam concludere. Pag. 67. Pag. 66.

Refutatis illius obiectionibus videamus iam annon nostris plus insit roboris. Ecce igitur quod nos facit dicentes: *qui* (inquit) *negatiuam partem asserunt, aiunt præcepisse S. Paulum vt omnis anima subdita sit potestatibus superioribus. nam qui potestatibus resistit, resistit ordinationi diuinæ. & S. Petrus scribit: estote subditi siue Regi vt præcellenti, siue magistratibus. vnde inferunt Regibus obedientiam deberi ex iure diuino, ideoque nulla authoritate siue spirituali siue temporali dispensabilem.* hoc est quod nobis tribuit: supprimit tamen quod longe est validius: Imperatores nempe de quibus Sancti Apostoli loquuntur Paganos fuisse, & infideles, & tyrannos sæuissimos, nihilominus omni animæ iniunctum esse (ne excepto quidem Romano Pontifice) vt ijs subdita sit, quemadmodum loquitur Chrysostomus hom. 23. in Epist. ad Rom. *Data est hæc lex omnibus, & Sacerdotibus & Monachis, non solum sæcularibus; siue tu Apostolus, siue Euangelista, siue Propheta, siue quisquis sis.* Obseruandum quoque est communem hanc legem, quæ omnes fideles obstringit, proprie tamen Ecclesiæ Romanæ dari à Paulo tanquam prospiciente ex illa Ecclesia nascituram aduersus Principes rebellionem. Cuius Ecclesiæ summus Pontifex si quo priuilegio è verbo diuino solutus fuisset ea lege, Cardinalem oportebat in confessu audiendi auidissimo id non dissimulasse.

Sed, ne nihil dixisse videretur, negat hoc testimonio nodū cotrōuersię attingi. *Non enim* (inquit) *quæstio est an Regibus dum sunt Reges, aut pro Regibus habentur debeatur è iure diuino obsequium: sed quæstio est an hoc sit de iure diuino, vt qui semel ab Ordinibus regni Rex agnitus sit non possit desinere Rex esse: id est, non possit id committere, propter quod regio iure excidat, & desinat haberi pro Rege.* Hoc responsum est Iesuitarum diuerticulum: quibus sanè non placet Reges occidi, at priuari dignitate & tunc occidi non displicet. exregem enim occidere non est Regem occidere. Et hac ipsa hora in carcere quendam habemus, qui ijsdem verbis vtitur, eandemque doctrinam tenet. Sic Cardinalis vult obediri Regibus, dum Reges sunt: id autem fieri vult à Pontifice, ne sint amplius Reges. Respondeo igitur, illa S. Pauli & S. Petri verba esse à quæstione aliena, si ea foret quæstio quam ille facit. at in hoc non vertitur quęstionis cardo, an scilicet id committere possit Rex, quamobrem regio iure excidat vel non habeatur pro Rege: sed in eo, an potestatem habeat Pontifex Reges regio iure priuandi. quæ autem nobis pro quæstione ab illo obtruditur nullam facit Pontificis mentionem. Nam etsi inter nos conueniret electum Regem posse regno excidere, maneret tamen quæstio, an penes Pontificem sit illi potestatem abrogare, & quod non dedit auferre: tum ex quo sacræ scripturæ loco hæc Pontificis authoritas asseratur.

Veruntamen non cedit Cardinalis: *Nam quemadmodum*, inquit, *præceptum est vt omnis anima subdita sit potestatibus superioribus, ita quoque præceptum est vt obediatis Prælatis vestris, ijsque sitis subditi: quia pro animabus vestris vigilant, earum rationem olim reddituri.* Hæc ratio destituta est ratione, & contra ipsum militat. Nam nihil opus est Regibus abrogari potestatem vt Prælatis obediamus. Non docebunt vnquam Prælati rebellandum esse Regibus, si ex Euangelij præscripto docere velint. Et cùm hodie non sint vnanimes Prælati, vniuersali Ecclesia in factiones distracta, non facile est sic Deo obedire vt illis simul obedias. Atqui mea quidem sententia vel ex his ipsis validissimè probatur Reges à Pontificibus regnis priuari non posse: Nam sicut Deus omnes iussit Regibus parere, nec tamen Cardinalis inde concluderet penes Reges esse Pontificibus authoritatem abrogare; ita iubet idem Deus obedire Prælatis, nec tamen sequitur penes eos esse Regibus sceptra adimere. Ambo hæc obsequia bellè inter se conueniunt, suis nempe legibus & limitibus circumscripta.

At quoniam tota primitiua Ecclesia hic à nostris est partibus, quæ quum diu vixerit sub Imperatoribus Ethnicis, hæreticis, persecutoribus, nunquam tamen de rebellione cogitauit, nec sacramento fidelitatis in Cæsarem vnquam à quoquam soluta fuit. Cardinalis ait Christianum populum debuisse Imperatoribus obedientiam & fidem, cò

Pag. 72.

quòd

quòd Eccleſia (puduit dicere, Papa) ſacramento fidelitatis eos non abſoluit. Bellum profecto & feſtiuum commentum : penes Epiſcopos Romanos ea tempeſtate fuiſſe Neroni, Claudio, vel Domitiano imperium orbis adimere, qui an Romæ vllus eſſet Epiſcopus planè ignorabant : & tam rudes fuiſſe miſellos hoſce Cæſares, vt neſcirent in Auguſta Imperij ſede hominem viuere, penes quem eſſet ordinaria & legitima poteſtas illis imperium abrogandi. Certè Cæſares merentur excuſari, quòd Papam, cui acceptum ferre oportuit imperium, non eo quo par erat honore coluerint ; quia an Papa eſſet in natura rerum ignorabant. Præpotentes enim fuere & magnifici ijs temporibus Romani Pontifices, qualis hodie eſt quilibet è meis Epiſcopis. Verùm vt ſua poteſtate tunc vterentur non iudicabant expedire, ſed clementia & lenitate apud perditos illos Cæſares opus erat, idque tribus de cauſis à Domino Cardinale allatis.

Prima eſt quòd Imperatores irritare non auderent, ne fortè perſecutionum malis inuoluerent Eccleſiam. Profectò, niſi me communis ſenſus deſtituit, videntur huiuſmodi verbis non ſoli Romani Pontifices, ſed omnes Chriſtiani veteres diſſimulationis & vafritiæ accuſari. hoc enim perinde eſt, ac ſi dixiſſet omne, quod ab ijs præſtitum fuit Cæſaribus obſequium, ſimulatum fuiſſe & coactum : & monumenta fidelitatis, humilitatis, patientiæ à ſanctis patribus relicta, non eſſe à candore pectoris, ſed à metu equulei : vnde etiam efficitur honeſto martyrij nomine indignam eſſe eorum patientiam, quę per vim expreſſa fuit : nec defuiſſe illis voluntatem aduerſus Perſecutores ſuos rebellandi, ſed facultatem. Quod ipſi tamen à ſe remouent, vt Tertullianus Apologet. c. 37. & Cyprianus contra Demetrianum. vbi dicunt *omnia plena eſſe Chriſtianis, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, caſtra ipſa &c. & ſi Chriſtiani ſe ſubtraherent, in vrbibus fore ſolitudinem & ſilentium, Imperatoribus defore queis imperent. neminem tamen ſe aduerſus iniuſtam violentiam, quantumuis nimius & copioſus ſit Chriſtianorum populus, vlciſci.* Et certum eſt regnante Iuliano Romanum orbem prope Chriſtianum fuiſſe, & Principes apud eum viros fuiſſe Chriſtianos, inter quos erant Iouinianus, & Valentinianus paulò poſt rerum potiti. Hi Romanum Pontificem vt Imperatorem Apoſtatam ſolio deturbaret, ſollicitare poterant. quanquam enim totus eius exercitus à Chriſtiana fide defeciſſet (quod nobis perſuadere ſatagit Cardinalis, contra omnia veritatis indicia, & contra ipſius exercitus teſtimonium, qui poſt eius mortem vno ore exclamauit, Nos ſumus Chriſtiani) quum tamen Italia maneret in Chriſtiana fide, atque in Perſide diuerſa atque oppoſita imperio Romano plagâ militaret Iulianus, opportunè Pontifex illum deieciſſet imperio. Addo ex ſubita & vnanimi hac totius exercitûs confeſſione dicentis, *Nos ſumus Chriſtiani*, ſatis conſtare milites, ſi Pagani fuerint, Socrat. l. 3. c. 19. Theod. l. 4. c. 1. Sozom. l. 6. c. 1.

per vim eò compulsos fuisse; & quod hinc efficitur libentius passuros, vt abdicaretur Imperator, quam si illis conscientiæ libertatem indulsisset. Sed D. Augustinus super Psal. 124. testatur Iuliani milites à Christi fide non defeciuisse. *Milites* (inquit) *Christiani seruierunt Imperatori infideli: vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in cælo erat: quando volebat vt idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi Deum.* quibus verbis subiunguntur ea, quæ contra se adfert Cardinalis:

pag. 82. *Distinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.* Ita igitur illi, vt Deo parerent, non vt Imperatoris iram, vel persecutionis violentiam declinarent: quemadmodum suadet Cardinalis, qui populum vt primum se viderint instructos viribus ad rebellionem ciet. Vnde sequitur si non cesserit ijs coniuratio ex animi sententia, id per eorum perfidiam aut scelus non stetisse, sed quia alieno tempore rem aggressi sunt, & suam debilitatem non intellexerint. Quid mirum est ex eiusmodi præceptis nasci Coniurationes Sulphureas, & parricidia?

Post Iulianum loquitur de Valentiniano secundo, quem licet meritò abdicare poterant Christiani, nempe violentum Arianismi Patronum, nunquam tamen id ijs in mentem venit. Respondet id datum fuisse patris memoriæ & ipsius iuuentuti: quæ arbitrariæ sunt coniecturæ. Nam si Arianis parentibus ortus fuisset ætate autem sexagenarius, haud aliter illi se erga eum gessissent. Addit populum non abijsse à Partibus,

pag. 82. & 83. sed ita firmasse animos vt Imperator metu seditionis cedere coactus sit; milites autem denunciarint ea tantum lege se illi adfuturos, si pro Catholicis staret. quæ responsio ad nostrum negotium de Pontificis in Reges potestate nihil prorsus attinet. Vide bellam ratiocinationem: Valentinianus Mediolani popularem tumultum metuebat; ergo Pontifex Reges hæreticos priuare potest regnis. Quantum differt à Mediolanensi populo Romanus Episcopus, vel à populari tumultu sententia Iudicis: quantum id quod populus Mediolanensis aut milites fecere, ab eo quod penes Romanum Episcopum est facere: tantum à ratione remota est eiusmodi conclusio. Considerare igitur oportuit non motus populi, sed quid eos bonus pastor Ambrosius docuerit, qui se offerebat martyrio, Theodoreto teste: at suos ad rebellionem non con-

Epist. 33. citabat. *Si* (inquit) *imperio suo abutatur ad tyrannidem, en me paratum mori.* nec aliter restitit Imperatori quàm precando: *Rogamus*, inquit, *Auguste, non pugnamus. Non timemus sed rogamus. vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati est mihi.* Idem in oratione ad Auxentium, *dolere potero, potero flere, potero gemere: aduersus arma, milites, Gothos quoque, lachrymæ meæ arma sunt. talia enim munimenta sunt Sacerdotis: aliter nec debeo nec possum resistere.*

Iustinianus Imperator hæresin Aphthardocitarum in senectute amplexus

plexus est: at in eum, quanquam per paucos suæ hæreseôs socios haberet, nullum strinxit telum Romanus Episcopus, vel excommunicationis, vel interdicti, vel depositionis.

Reges Ostrogothorum in Italia, Visigothorum in Hispania, Vandalorum in Africa Ariani fuere, & ex ijs nonnulli etiam persecutores Ecclesiæ. Visigothorum verò & Vandalorum Reges sic dissiti, vt Pontifici metuendi non fuerint. Nunquam tamen in animum induxit quenquam eorum excommunicare. Supra omnia inspicere oportet ea tempora, quibus Belizarius & Narses Orthodoxi longo bello, maximis prælijs, Vandalos in Africa, Gotthos in Italia sub iugum miserunt: aut tunc, aut nunquam occasio Pontifici oblata est contra istos Arianos Reges fulminandi, ipsis potestatem abrogandi, subditos fidelitatis sacramento absoluendi, vt hoc auxilio Catholicorum vires augeret. sed necdum visum erat id expedire.

Iactat Gregorius I. penes se fuisse Longobardos euertere, qui longo tempore Romanorum Pontificum iurati hostes fuerant; sed timorem Dei impedijsse ne faceret, vt alibi nobis obseruatum est. Nam in prima Epist. l. 7. sic loquitur: *Si ego in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet; atque in summa confusione esset diuisa. Sed quia Deum timeo in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido.* Potuisset minimùm eorum Regi potestatem abrogare sine vllo conscientiæ vulnere si Cardinali credendum est. In Apologia nostra.

Cæterùm quid hoc aliud est nisi veteres Romæ Episcopos crudelitatis insimulare, quum Ecclesiam Christianam tyrannis & Persecutoribus, quos regnis priuare poterant, non expedierint? Credibilene est S. Petro & successoribus eius tot sæculorum decursu datum fuisse ab Iesu Christo munus sine functionis potestate? datum esse gladium nonnisi post mille annos euaginandum? Credibilene est ijs temporibus, quibus omni probro cooperti erant Pontifices, vt testantur eorum assentatores & assectarum fidissimi, cæpisse Pontifices vim & indolem sui officij cognoscere? Quod si timore vel impotentia impediti fuere, cur saltem alicuius Pontificis exemplum non profertur qui se impediri conqueratur, ne potestatem à Christo datam exerceat? aut alicuius è veteribus, qui hortatus fuerit Pontificem vt animos sumeret, & fulmina sua in Principes Ecclesiæ infestos torqueret? quare quum sub Christianis & mansuetissimis Regibus viuerent, non indicarunt causas quibus gladij illius vsus impeditus fuit, ne forte longa illa non vtendi consuetudo aduersus eos præscriptionem induceret? quod si impotentia legitimum videri debeat impedimentum, vnde fiebat quòd Papa Philippo Pulcro & Ludouico XII. & Elizabethæ beatæ memoriæ, meæ decessori, imperium abrogare tentauerit, vbi eius impotentiam

res

res ipſa ſatis euicit? & vnde oriuntur (vt plerumque fieri amat) tot turbæ & bella, quæ in Pontificem cudi ſolent, quemadmodum Gregorio VII. & Bonifacio VIII. euenit? inde eſt quod Papa horum malorum metu nunquam aduerſus Reges hoc telum ſtringat, niſi iam inualidos, aut inteſtinis & grauibus diſſidijs diſtractos, aut dum vicinos habent cupidos & quærentes litem; quemadmodum paries, qui iam olim nutat, manu facilè impellitur. Verum ſi Rex factus fuerit hoſtibus ſuis ſuperior, tum verò Pontifex Indulgentias larga manu & vltrò offeret, & paterna miſeratione habendum illi permittet regnum, quod per vim eripere non potuit. Quot Principes à Pontificibus incitati, vt in Dominos ſuos inſurgerent, aut vita exciderunt aut dignitate? Hoc Rodolpho Sueuiæ Duci accidit, qui Papa auctore contra Henricum IV. Imperatorem arma ſumpſit. quot lanienæ, quot vrbium vaſtationes, quot cruenta prælia ſequuta ſunt? Nota res eſt (vt vrbium obſidiones taceamus) Henricum IV. & Fredericum I. amplius ſexagies manum in acie conſeruiſſe, vt contra hoſtes quos in eos concitarant Romani Pontifices ius ſuum tuerentur. At dici non poteſt, quanta per id tempus vis ſanguinis effuſa ſit. Nonne Papa, licet ſatis gnarus, quàm parum poſſint in meo regno Papiſtæ, eos tamen ad rebellandum incitat, & ne ſacramentum fidelitatis mihi dicant, vetat? attrahens in eos, quantum in ipſo eſt, omnia mala, tanquam in rebelles; eorúmque vitam facili admodum pretio exponens? hæc omnia exempla demonſtrant non metu malorum aut perſecutionis cohibitos fuiſſe Pontifices, ne in Reges & Principes ſua fulmina iacularentur, quoties per ea virium augendarum ſpes erat.

Denique vel eos non recuſo Iudices quos affectus præter cæteros agit, annon doctrina hac, quæ Regibus infidelibus aut hæreticis hactenus iubet parere donec ad eos pellendos & abdicandos vires ſuffecerint, incitentur Imperatores Turcici & infideles, vt Chriſtianos omnes è ſuis finibus eijciant, vt qui nil niſi rebellandi occaſionem captent, & nunc pareant inuiti? Obſignabimus hoc Hoſij ſententiâ ad Imperatorem, Conſtantinum, Arianum: *quemadmodum, qui tuum imperium inuaderet diuinæ ordinationi reſiſteret, ita & tu caue, ne quæ Eccleſiæ ſunt ad te trahens magni criminis fias reus.* vbi vir ſanctus exceptione Cardinalis non vtitur, videlicet, niſi quando potens fuerit Eccleſia iugum excutere. Neque hos aut illos alloquitur, ſed omnibus hominibus legem proponit.

Apud Athanaſium in Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes.

Si ratio hæc quæ ab Eccleſiæ debilitate petitur valde eſt debilis, certè iſta à Cardinale ſubiuncta nihilo erit firmior: *Multum differre ait Imperatores Paganos qui Chriſto nullum præſtitere obſequium, nec ea lege à ſubditis ſuis recepti ſunt vt viuant ſub Chriſti imperio, nec iureiurando obſtricti ſunt, aut mutuo pacto; à Principibus Chriſtianis qui in Apoſtaſiam inciderent,*

Pag 77.

Secunda ratio.

aut

aut Arianis aut Mahumetanis accederent. hos quia iuramento & voto se obligarunt, quod cum primo eorum iuramento & voto dum inaugurarentur plane pugnat, adeoque cum ea conditione qua sceptrum à Patribus acceperunt; hos, quia religionem Catholicam oppugnant censet exui posse maiestate: per quem non addit sed intelligendum relinquit, per Papam. De Regibus quibus propter stupiditatem abrogatum est imperium, vt Childerico; aut propter nuptias vt Philippo primo Franciæ Regi; aut propter Ecclesiasticorum beneficiorum collationes, vt Philippo Pulchro, nihil dicit. alto hos silentio tegit, metuens ne vel Pontificem vel auditores offenderet.

Hac ratione vti perinde est, ac si fatereris Pontificem dum Reges deijcit Ecclesiæ bono & incolumitati non studere. Princeps enim qui semper fuit Ethnicus & Persecutor non minus nocet Ecclesiæ, quàm si olim fuisset Christianus. & quod ad grauitatē delicti attinet ego pauxillum video discriminis. Princeps enim non iuratus in Christi obsequium, æque tenetur Christo obsequi ac si iurasset: haud aliter ac filius qui Patri morem non gerit, æqualiter peccat siue iurauerit se morem gesturum siue non iurauerit: quia ea obligatio est naturalis. Præceptum de osculando filio, quem pater Regem Regum constituit, omnes Reges æqualiter obligat, siue Christianos siue Ethnicos. E diuerso quis dubitet quin Imperator Constantius in principio dominationis iurauerit se fidem Orthodoxam conseruaturum, eaque lege imperium acceperit à patre? Eum nihilominus Romanus Pontifex solio non detraxit: at ille Pontificem deiecit sede. Quod si Iurisiurandi coronationis tempore præstiti violatio causa sit, propter quam Pontifex Regem Apostatam regno priuet, consequens est vt eum quoque Regem regno exuat, qui cum neque Hæreticus neque Apostata sit, negligit tamen suo populo ius reddere. Promiserat enim eodem iureiurando se suis subditis ius redditurum: id quod Cardinalis Pontifici non permittit: nouas enim leges Papę audet prescribere, & potestatem eius circumscribere, indulta solum auctoritate Christianos Reges abdicandi, sed qui iam Apostatæ facti sint, non qui semper Ethnici fuere: immemor Regi Peruuiæ Attabalipæ abiudicatum à Papa imperium, translatúmque in Hispaniarum Regem: quamuis miser ille Rex nunquam alius fuerit quàm Ethinicus, nec vllam conuersionis oportunitatem illic habuerit. Ipse nos paulò pòst monebit, *vt vt terras Christia-* Pag. 77.
norum bello ereptas diutissimè possederent Turcæ, nullo tamen temporis tractu posse eos Christianis vel hilum præscribere, id est, semper esse eos malæ fidei possessores, & iuste posse exui imperio. nihilominus Turcarum Imperatores Christiani nunquam fuere. Quod si numerentur Reges à Pontificibus deiecti, vix vnus inuenietur in Apostasiam incidisse, aut iuramentum iurasse illi iurámento contrarium, quo se Christo Iesu subiecerat.

Et

Et ſanè omnibus rectè expenſis falſum eſt Regem Franciæ eâ lege receptum fuiſſe à ſubditis, vt Ieſu Chriſto ſeruiret, quum antequam conſecratus eſſet aut quicquã ſubditis promiſiſſet, Rex fuerit. nam in regno hæreditario è veſtigio per ipſam deceſſoris mortem ſucceſſori acquiritur regni poſſeſſio. Nec ad rem facit ſi regeras Principem in deceſſorum ſuorum perſona iuraſſe: quia iuramenta ſunt perſonalia, & nemo poteſt Deo iurare filium ſuum aut hæredem fore virum bonum. promittere quidem poteſt ſuaſurum ſe ſucceſſori, quantum poteſt, & hortaturum vt Deum timeat. Iuramento parentum, ſi bona quidem fuerint, obligantur filij ſeu iurati ſeu iniurâti: ſi mala, tenentur facere contrariũ: ſi fuerint de rebus adiaphoris, quæ poſtea tamen noceant aut fieri nequeant, poſſunt ſucceſſores rebus præſentibus & vtilitati publicæ leges ſuas accommodare.

Omnia hæc expendens cogor dicere Cardinalem neque ſenſum néque vim illius iuramenti intelligere, quo Rex Galliæ dum conſecratur ad tutelam Eccleſiæ & conſtantiam in fide obſtringitur. Nec enim cogitandum eſt Clodonæum, poſtquam quindecim annis regnaſſet Ethnicus, Chriſtianum hac conditione fieri voluiſſe, vt ſi à fide aliquando deficeret per Eccleſiam priuaretur regno. Et vt vel maximè ita pactus fuiſſet non intellexiſſet Papæ eſſe eum priuare, ſed illorum qui ipſum ad regnum euexerant. At profectò Reges Galliæ eiuſmodi iuramentum nunquam iurarunt, nec ab ijs ſubditi id ſtipulati ſunt. Quod ſi Princeps aliquis ſic iurauerit, *regnum aut vitam meam amittam ſi quando à Chriſtiana religione defecero*, his verbis Deum appellat vindicem, & ſibi ipſe imprecatur; non autem Pontifici aut Eccleſiæ aut populo ſe mancipat.

Monetæ inſcriptio, & Chriſti nomen in ea (de quibus obiter Cardinalis) non mutant naturam monetæ, quæ vna eſt è iuris regij notis. Hac inſcriptione diſcunt ſubditi, ſe Chriſto parere dum parent Regi, non fatetur Rex ab Eccleſia poteſtatem ſuam pendere, aut à Pontifice poſſe abrogari, vt nobis perſuaſum cupit Dominus Cardinalis: Ieſu Chriſti verba inuertens, qui ex imagine monetæ impreſſa non ſubiectionem, ſed maieſtatem Cæſaris diſertè probauit. Quòd ſi Princeps Deo bellum indixerit, meretur ſane cœleſti regno priuari à Deo, at penes populum vel Papam non eſt eum temporali faſtigio deijcere.

Addit Dominus Cardinalis *eos, qui putant Reges à Papa regnis priuari poſſe, mandatum S. Pauli, quo omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubmittitur, ita interpretari, vt nihil aliud ſit, niſi cautio quædam & prouiſio ad tempus, donec ſcilicet Eccleſia creſcente penes Chriſtianos ſit impedire, ne alij Principes* RECIPERENTVR, *quàm Chriſtiani; iuxta legem Denteconomij. Tu tibi Regem conſtitues de fratribus tuis.* & vide rationem cui innituntur: *hoc eſt, quòd D. Paulus 1. Corinth. 6. ait pudori eſſe Chriſtianis in cauſis, quas inter ſe ha-*

Digitized by Google

ſe haberent, iudicari ab infidelibus : id quod Iuſtinianus poſtea in legem conuertit, quum ſanciret nullum neque Paganum neque hæreticum ad Reipub. adminiſtrationem admittendum.

In hac ratione Cardinalis obſeruanda eſt vox RECIPERENTVR, qua ſtatum controuerſiæ dextrè mutauit. nec enim quæſtio eſt de Principe recipiendo, aut conſtituendo, aut eligendo (quod in regnis electiuis hodie obtinet) ſed de obedientia Principi præſtanda, quem Deus ipſe conſtituit & ſucceſſionis iure populo commendauit. non enim eſt hodiernus Galliæ populus cui dictum eſt, *Tu tibi Regem conſtitues*: quandoquidem ab eorum electione hoc non pendet. Sic non magis ad rem facit hoc teſtimonium, quàm lex illa Iuſtiniani, qua nos libenter fatemur Chriſtiano Principi ſedulò cauendum ne penes infidelem Magiſtratum ſit iuris diſpenſatio. verum hic non agitur de magiſtratu inferiore ſed ſummo, nec de eo qui à Principe electus ſit, ſed de Principe ſui iuris, qui naturæ & ſucceſſionis beneficio præeſt populo : quæritur an Pontifex poſſit hunc deijcere quem non erexit ? & regnum quod non dedit auferre? idque aut quia arguitur hæreſeôs, aut notatur ſtuporis, aut monaſterij alicuius priuilegia infregit, aut Deum nuptijs offendit?

Quod autem mandatum Apoſtoli, quo omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubijcitur, non ſit prouiſio aut cautio ad tempus aliquod, inde patet, quia rationes quibus mandatum illud innititur nullo non tempore neceſſariæ ſunt, videlicet, quia poteſtates ordinatæ ſunt à Deo; & qui illis reſiſtit reſiſtit ordinationi diuinæ; quia magiſtratus iuſtitiæ causâ gladium gerit; quia neceſſe eſt illi obedire non ſolum propter iram (id eſt pœnæ formidine) ſed etiam propter conſcientiam. Eſt igitur lex conſcientiæ, non cautio humanæ prudentiæ, quæ ad tempus aliquod obtineat. Præcepta Apoſtolorum de moribus non mutantur cum tempore. Qui ita loquitur, in duo grauiſſima mala incidere eum neceſſe eſt. Imprimis ad impietatem & totius ſcripturæ inuerſionem prona ſternitur via, ſi hominibus fas ſit perſuadere mandatum Dei cautelam eſſe. deinde paſſiones Martyrum martyrij nomine indignæ fiunt, ſi Ethnicorum violentiæ ideo ceſſerint, non vt diuino mandato neceſſario & certo, ſed vt cautioni cuidam & prouiſioni ad breue tempus factæ obedirent. Hinc eſt quòd nullo colore opinionem hanc fucare valuerit Cardinalis, niſi ſacras literas adulteraret, Paulum aiens dixiſſe Corinthijs pudori eſſe Chriſtianis ab infidelibus iudicari, quum S. Paulus ijs dicat πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν, ad veſtrum hoc dico pudorem; non ait pudori eſſe Chriſtianis iudicari ab infidelibus, ſed pudere eos vult, quòd cæptam inter ſe litium cognitionem ad infideles iudices deferrent. Pudor erat diſceptationem interrumpere, & Chriſtianorum vitia apud Infideles cum Eccleſiæ ſcandalo proſtituere.: pudor non erat iugum ferre cui illos Deus ſubiecerat. hoc igitur manifeſtum eſt

crimen

crimen falsi. Quod si Rex propter hæresin iure exuitur diademate, quidni mereatur Cardinalis propter hunc sacrarum literarum abusum exui galero?

Interea iudicet æquus Lector quàm sit damnosa hæc doctrina Christianis, qui sub Principibus infidelibus aut hæreticis viuunt. Nam si Imperator Turcicus intelligeret inter Christianos suos mandatum illud diuinum obediendi Principibus quos illi Infideles vocant, nihil esse nisi cautionem & prouisionem ad tempus, dum scilicet detur occasio iugum excutiendi; è vestigio omnes eijceret. Si vero addideris quod suprà à Cardinale dictum est, nimirum, quantumuis diuturna fuerit penes Turcam earum terrarum, quas Christianis bello eripuit, possessio, nullo tamen temporis tractu posse illum vel hilum præscribere; dices eum docere Turcam, vt in Christianos suos se vindicet, & omni in eos sæuitia grassetur. Certè parum ei debent miseri illi in Græcia & Syria Christiani. Et vt de meipso loquar & de subditis mihi Papistis qui me appellant hæreticum, nunquid Cardinalis hac doctrina vim infert ingenio meo, vt clementiam vertam in seueritatem, siquidem Papistæ è subditorum meorum numero non sint (si illi credimus) nisi per quandam prouisionem, & donec ijs oblata fuerit occasio, qua me malè perdant? Præsertim cum eiusdem notæ homines apud eum sint Turcæ, infideles, hæretici, & horum omnium pessimi hæretici; quique iustius regnis exuantur à Pontifice, quia iusiurandum violarunt? En vt mecum agatur. In ordinem infidelium relatus sum, infráque illos positus, meorúmque regnorum insessor, & prædo iudicatus sum, cui subditi nullum debeant nisi coactum obsequium, ex cautione quadam, donec causam nacti fuerint iugum excutiendi, & potestatem mihi abrogandi, quæ salua vita mihi auferri non potest.

Quod ad bella, quibus gerendis Angli, Franci, Alemanni Hierosolyma profecti sunt, exitus docuit Deo grata non fuisse. Erat hic vnus è gradibus, quibus Pontifex ad alienorum regnorum dominationem conscendit. Nam omnes Franci & Alemanni qui se cruce notabant, fiebant subditi Pontificis: latrones, adulteri, homicidæ, obærati, vt primum se cruce signauerant profectionémque vouerant in Orientem, sæculari potestate exempti nullum forum nisi Ecclesiasticum agnoscebant. Eo tempore regiones integræ optimatibus & viris bellicosis iussu Papæ nudabantur, ideo tantum, vt consumerentur à Saracenis. Cogebantur nobiles latifundia sua pretio pene nullo diuendere Ecclesiæ, vnde patrimonij Ecclesiastici pars hodie non exigua. Omnibus qui illud iter susceperant, donabat Pontifex peccatorum indulgentiam, & quod amplius erat, gradum gloriæ ili Paradyso supra vulgus. Laudem meretur militaris virtus, modò seruiat iustitiæ, & natiua animorum fortitudo Italico dolo non circumscribatur.

Vide Bullam Innocentij tertij, in fine Concilij Lateranensis.

In

Digitized by Google

In vniuersa hac dissertatione aduerte Cardinalis prudentiam, qui è sacris literis speciosiora testimonia seligere contentus cætera reiecit, quibus tota hæc potestas Reges deijciendi, regna transferendi à Pontificibus ipsis eorúmque fidissimis patronis olim fulciri solebat, cuiusmodi sunt hæc quod *S. Petro Christus dixerit, ecce duo gladij, Petrus autem respondit, satis est.* quod S. Petro dixerit Christus, *Mitte gladium tuum in vaginam tuam.* quod Deus dixerit Ieremiæ, *Ego te constitui super gentes & regna.* quod S. Paulus 1. Cor. 2. dixerit *hominem spiritualem dijudicare omnia.* quod Christus dixerit Apostolis, *Quicquid vos solueritis.* Ergo Papa potest soluere iuramentum fidelitatis. *quod in principio Deus creauerit cælum & terram.* quibus testimonijs Bonifacius VIII. cum Philippo Pulchro litigans temporalem suâ potestatem suffulcit extrauagante [*vnam sanctam.*] Nec minus lepida sunt quæ ab alijs adferuntur, quod scriptum sit, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, &, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Item *Si ejcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.* quod Iesus Christus dixerit discipulis suis, *inuenietis pullum asinæ ligatum, soluite eum ac ad me adducite.* quum ex his constet Iesum Christum in rebus temporalibus sua vsum fuisse potestate: quid vetat quo minus idem faciat eius vicarius? quæ verò sequuntur validissima sunt. dicitur in Psalm. 45. *loco parentum erunt filij tui, præficies eos Principes in tota terra.* Item Iesus Christus præcepit Petro non tantum vt agnos eius pasceret, sed mactaret quoq; & comederet. quod nobile Baronij inuentum est. Iohannis 12. scriptum est: *Cum ego fuero exaltatus, omnia post me traham.* quid impedit quo minus hoc in Papam quadret? & Paulus dicit Corinthijs, *an nescitis quod iudicabimus Angelos?* quanto magis res sæculares? & paulò post, *an non habemus potestatem edendi?* hæc sunt testimonia quibus temporalem Sanctitatis suæ potestatem trecentis aut quadringentis abhinc annis fulcire conabantur, quæ Dominus Cardinalis, ne fortè concioni risum excuteret, in partium subsidium non est ausus aduocare, etsi argumentum eius à lepra petitum nihilo sit illis gratiosius.

Quòd si inter se comparemus Iesum Christum soluentem tributum, & Papam à Cæsare tributum exigentem: Iesum Christum, vt Imperatori Ethnico tributum soluerent, Iudæis suadentem, & Papam obedientiæ sacramento, quod Christianis Principibus dixerunt, subditos absoluentem: Iesum Christum hæreditates inter duos priuatos hercisçundæ arbitrium à se amouentem, Papam regnorum omnium irrefragabile arbitrium sibi arrogantem: Iesum Christum confitentem regnum suum non esse de hoc mundo, & Papam mundanum sibi stabilientem imperium: Apostolos sua dimittentes bona vt sequerentur Christum, Papam rapientem bona aliena: Apostolos ab Imperatoribus vexatos & afflictos, Pontificē Imperatorum ceruicibus pede insultantem, & imperiale diadema conculcantem: apperebit facilè Scriptu-

Ieremi. 1.

1. Cor. 2.

ram. S. à Cardinale in Pontificis gratiam citari, magis vt Iesum Christum irrideat, quàm auditores erudiat, id quod ipse clarè satis testatur, quando post adducta Scripturæ testimonia & Neotericorum suffragia pro hac Pontificis in Reges potestate, fatetur tandem neque Scripturæ neque Ecclesiæ veteris auctoritate definitam esse hanc quæstionem, destruens vno verbo quod multis astruxerat, & suæ conscientiæ prodens anxietudinem.

Vna restat obiectio, quam conatur soluere Cardinalis: *Partis* inquit *negatiuæ Patroni ad iudiciorum Ecclesiasticorum analogiam confugiunt, affirmantes neminem bonis suis propter hæresim excidere, Reges igitur regnis suis multò minus.* ad hoc eos facit respondere, qui potestatem Papæ in Reges asserunt, quod publicæ pacis causa sileant ad tempus aduersus hæreticos latæ leges. alibi ait conniueri propter eorum multitudinem, siquidem pars sint Reipub. bene magna. Ex charitate profectum credo, quòd eos quos hæreticos vocat præmonitos velit, quæ illos maneat tractatio, quum leges aduersus eos latas ad tempus tantùm innuat silere. Qua in re mihi spondeo Regem Galliæ, fratrem meum, alio vsurum consilio, & potius vicinorum amicitiam & sui regni tranquilitatem quæsiturum, memorem ab ijs hominibus, qui diuersam ab ipso sequuntur fidem, patri suo celebris memoriæ regnum fuisse conseruatum. & intellecturum eum confido multùm esse illos dissimiles Catholicis Romanis in Anglia, transmarino scilicet Domino obnoxijs; quibus per literas vetitum est sacramentum fidelitatis mihi dicere. Nunc iuxta placita, quæ Lutetiæ in Comitijs ipsis pro Pontifice defenduntur, necesse habent credere non esse me legitimum Regem; nec aliud esse mandatum Apostoli vt subditi sint potestatibus superioribus, nisi cautelam quandam ad tempus, donec nimirum iugum excutiendi occasio se obtulerit. Ego nihilominus omni in eos clementia vsus sum, quod reapte læsæ maiestatis crimen erat ægritudinem interpretatus. Spero etiam non immemorem fore fratrem meum, quantum Cardinali obstrictus sit. Reformatæ religionis professores incolumitatem suam secundum Deum regiæ prudentiæ & benignitati adscribunt. En nunc Antistitem, qui hanc illis fiduciam conatur excutere, diserte monens ne putent aliam ob causam saluos se esse, nisi quia multi sunt, & sine pacis publicæ periculo nequeunt euerti.

Quòd si (addit Cardinalis) *tertia in Gallia secta emergeret, illius sanè professores & bonis & vita priuari oporteret; vt Genevæ factum est aduersus Seruetum, & in Anglia contra Arianos, &c.* Respondeo, hæreticorum qui legitimè conuicti sunt supplicia, iussu Magistratus, non Pontificis infligi. addo iniquissimè ab eo fieri, quòd Ecclesias reformatas Seruetо aut Arianis assimilet, propterea quòd eius generis hæretici ex Dei verbo & in Oecumenicis Concilijs, vbi ipsi pro se causam dixerunt,

olim

olim conuicti & damnati fuere. At religio, quam ego vnà cum meis profiteor, in nullo Concilio vbi nos auditi ſumus, fuit iudicata. Quodcunque autem nobis Concilium oblatum fuit, in eo extra controuerſiam ponebatur Pontificem, qui pars erat, eſſe litis arbitrum : locus deſignabatur, quò ſecurè & tutò conuenire non licuit, præſertim cum ijs hominibus, quorum placitum eſt, Iohanni Huſſo & Hieronymo Pragenſi infælici experientia compertum, non teneri ſe ad fidem hæreticis ſeruandam.

Vt igitur ad rem reuertamur, quum Pontifex neminem in Gallia priuatum ad hoc vſque tempus pronunciarit bonis ſuis excidiſſe propter hæreſin, cur tentaret, obſecro, ſuorum regnorum poſſeſſione Reges deijcere ? cur plus ſibi arrogat in Reges quàm in Priuatos ? cur rudiùs tractantur ſacræ Regum perſonæ, quàm fex plebis ? quum ad hoc ſine circuitione reſpondere debuiſſet, citat Cardinalis alienà à noſtro inſtituto exempla hæreticorum, quibus Magiſtratus ciuilis non Pontifex ſupplicium inflixit. Liberiorem ingreſſus eſt viam Bellarminus, qui cap. 27. contra Barclaium defendit temporalia mundi bona ad vnum omnia ſubeſſe arbitrio Pontificis. *Securus* (inquit) *affirmo potuiſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum tempore mortalitatis ſuæ diſponere de temporalibus omnibus : & Reges ac Principes regnis dominiſque priuare : & hanc poteſtatem Vicario ſuo ſine dubio conceſſiſſe, vt ea vtatur, quando neceſſarium iudicauerit ad animarum ſalutem.* Ex hac ratione ſatis apparet ab eo nihil excipi. Certum enim eſt potuiſſe Chriſtum, ſi ſua poteſtate vti voluiſſet, non minus de Priuatorum poſſeſſionibus, quàm de regnis ſtatuere. Ergo Pontifex eandem iam habet poteſtatem. Concilium Lateranenſe poſterius Seſſ. 9. Laicum nobilem blaſphemantem prima quidem vice viginti quinque ducatis multat, ſecunda autem quinquaginta ; pro confeſſo ſumens nihil præter ius facere Eccleſiam, ſi Priuatorum loculos rimetur, & de eorum bonis pro libito ſtatuat. & Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 19. (ſanciens *vt Imperator Reges, Duces &c. qui locum ad Monarchiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo iuriſdictione & dominio ciuitatis, caſtri aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, priuati intelligantur ; & ſi feudalia ſint directis Dominis ſtatim acquirantur. Qui verò pugnam commiſerint, & qui eorum Patrini vocantur, omnium bonorum proſcriptionis pœnam incurrant.*) extra controuerſiam ponit ius eſſe Eccleſiæ in omnia Chriſtiani orbis latifundia & feuda, ſiue ea ſubſint Eccleſiæ, ſiue Dominis ſæcularibus: ſiquidem poteſt vni ea adimere, alteri donare, & de Priuatorum bonis proſcriptionis ſententiam dicere. Secundum hunc canonem poſſet regnum Neapolitanum propter vnam monomachiam confiſcari. Romanæ Eccleſiæ enim acceptum fertur hoc regnum, eſtque é Romanæ Eccleſiæ feudis. Neque eſt in Gallia prædium vllum, quod hac ratio-

ne non posset Pontifex nouo Domino transcribere. Quanto igitur melius feciſſet ſi miſſis effugijs quæ tam ſollicitè quærit, aperte defendiſſet Cardinalis poſſe ſuo iure Pontificem, non minus de Priuatorum bonis quàm de regnis ſtatuere? Nam incredibile eſt Pontifici ius eſſe in totum non in partes, in ſyluam non in arbores, in continens non in contenta.

Ratio quam ſubiungit nihilo melior eſt; *non exiguum* (inquit) *diſcrimen eſt inter poteſtatem Dominorum in rem ſuam, & Principum in Rempub. Nam propter Dominos ſunt res ſuæ, at Principes ſunt propter Rempublicam.* Ego verò aio, ſi hac ratione euincere poſſis Regem propter hæreſin regno excidere, Priuatum domo ſua non excidere; ſequi quoque patremfamilias propter hæreſin excidere poteſtate in liberos, Dominum verò bonis ſuis non excidere: ſiquidem bona ſunt propter Dominos, at Paterfamilias eſt propter liberos. Nec dubitari poteſt quin Reges, qui Dei vices gerunt, firmius longè ſua ſceptra poſſideant, quàm priuati ſua patrimonia. hæc enim ad nouos Dominos leuiſſimas ob cauſas quotidie videmus tranſire. illa autem Regibus eripi non poſſunt ſine grauiſſima Reipub. concuſſione, qua priuatos innumeros neceſſe eſt inuolui; quemadmodum annoſæ quercus ruina obteruntur frutices. Et vt vel maximè ponderis alicuius foret ea ratio, habent tamen Reges præter ius regnandi etiam regia patrimonia, propter quæ nemo illos factos dixerit: at vnà cum iure regnandi illa quoque amittunt. Finge denique Reges propter illam cauſam iuſtius regiâ ſorte exui, quàm priuatos priuatâ; non tamen inde efficitur Pontificis eſſe eos exuere, qui quod non dedit auferre non poteſt.

Ecce tibi aliud inter regna & Priuatorum bona lepidum diſcrimen. *Bona* (inquit) *non habent animam nec per vim Dominorum, aut exemplum, aut conſilium eò redigi poſſunt, vt æternam vitam amittant, quemadmodum poſſunt ſubditi per Principes.* Reſpondeo ſeruos ab hero & liberos à patre hæretico facilius longè ſeduci, quàm ſubditos à Principe; nec tamen Patribus liberi aut heris ſerui religionis prætextu auferri ſolent. Teſtatur hiſtoria ſub Principibus diuerſæ religionis florentiſſimas ſæpe fuiſſe Eccleſias. Quod ſi hæreticorum arbitrio res inanimas magis permittere oporteat, permittenda quoque eſt Regi hæretico corona ſua, cum munere, vectigalibus, tributis, quoniam eiuſmodi res non habent animam. Nec quicquam vetabit quin furioſo gladium permittas, quia gladius non habet animam. Ego autem dicerem plus eſſe periculi à rerum irrationalium, poſſeſſione penes improbum Dominum, quàm rationalium, quia quæ intellectu & ratione vacant cauere nequeunt, ne fiant inſtrumenta malitiæ. fateor equidem damnoſum eſſe ſubditorum animabus hæreticum Principem: ſed vnum malum non eſt declinandum peiore, nec errori obuiam eundum perfidia, nec hereſis, vindicanda

canda eſt rebellione aduerſus Deum & Regem. Deus qui probat & exercet Eccleſiam eam non deſtituet : nec malorum Chriſtianorum perfidia ad eam defendendam opus habebit. Itaque eam ſimilem facit rubo ardenti, vt in medio perſecutionis igne non conſumatur, quia Deus eſt inmedio eius. Et licet iuſta foret Francorum in ſuum Regem rebellio, non tamen inde euincitur iuſſu Papæ faciendam illam eſſe, qui politicis negotijs ſe immiſcere non debet. Hæc ſunt quæ à Domino Cardinale de ſecundo incommodo dicta ſunt : quæ hac confeſſione obſignat, *quæſtionem hanc neque in ſcripturis neque à vetere Eccleſia deciſam eſſe. Vnde colligit opprobrium eſſe & ſcandalum, & portam omnibus hæreſibus apertam, quod homines Laici eam doctrinam in articulum fidei tentent conuertere.* At ego aio opprobrium eſſe & ſcandalum & crimen rebellionis, quod homo ſubditus tantis ornatus beneficijs, in tenera hac ſui Regis ætate, pænè adhuc calente patris ſanguine, Hiſpanicis nuptijs geminis imminentibus, in conſeſſu tam celebri, coronam Regis ſui voluerit alteri mancipare; & de abdicationis cauſis verba facere; in ſenectute ſua ſe turpiter dans, vt Problematici Martyris Prouerbiali nomine traducatur, dum ſe paratum oſtendit ſuo ſanguine & vita id cõfirmare, quod tantùm tractat problematicè, cuiuſque contrarium ait Gallis à Pontifice permitti, ſed ea lege vt habeant non pro neceſſario ſed problematico.

TERTII INCOMMODI EXAMEN.

SEquitur tertiũ incommodum, quod ex recepta populi rogatione oriri ait Cardinalis : *manifeſtum nempe hinc naſci ſchiſma & ineuitabile, aduerſus Papam & reliquum corpus Eccleſiæ; quia ſic pro impia & deteſtabili haberetur ea doctrina, quam Papa cum reliqua approbat Eccleſia: & Papa cum reliqua Eccleſia crederetur etiam in ijs errare quæ pertinent ad ſalutem.* Pag. 87. hinc plenis velis in ſchiſmata eorúmque auctores inuehitur.

Hoc certè eſt ex muſca facere elephantem. fallitur ſi credit cæteras gentes ſeceſſionem ideo facturas à Gallis, ſi Reges ſuos à Pontifice abdicari non poſſe defenderent. Nam in omni ſchiſmate eſt ſeceſſio & communionis diuortium. Illuſtriſſima Venetorum Reſpubl. hanc quæſtionem aduerſus Papam excuſſit & obtinuit; illis nihilominus non perijt eorundem ſacramentorum cum vicinis ſuis communio. nec à reliqua Eccleſia Romana iam diuiſi ſunt. Et Cardinalis ipſe, quum

Digitized by Google

aduerſus ſæcularem Papæ ambitionem ſtabat pro ſuo Rege, in ea tamen mente non erat reliquas Eccleſias ſchiſmaticas eſſe, aut membra Antichriſti. & paulò poſt nobis dicet licere per Pontificem hanc quæſtionem tanquam Problematicam defendere. atqui nunquam Pontifex eos ſchiſmatis damnabit, qui ea in re tantum ab eo diſſentiant, quam ipſe illis permiſit eſſe problematicam. Nec Rex Hiſpaniarum qui vulgo audit *dextrum brachium Pontificis*, aut verbo aut facto vnquam profeſſus eſt ſe propter hæreſin, aût tyrannidem, aut ſtupiditatem à Pontifice poſſe regno exui. Sed cùm illum magis metuat Pontifex quàm ille Pontificem, hac quæſtione non commouetur. Proſcripſit tamen intrepidè è regno ſuo, & damnari fecit librum Cardinalis Baronij, in quo ſcriptum erat regnum Neapolitanum regnum non eſſe, ſed Romanæ Eccleſiæ feudum. Qua de re non eſt conqueſtus Pontifex, nec Regem declarauit Schiſmaticum, reſeruans nimirum ſe & doctrinam illam in ea tempora, quibus regnum Hiſpaniarum agitabitur tumultibus, & Regis offenſa vacabit periculo. Et notior eſt Domino Perronio Chriſtiani orbis indoles & conſuetudo, quàm vt neſciat in Hiſpania, & in ipſa vrbe Roma, reperiri quàmplurimos, qui aut ringuntur aut rident quoties de hac Papæ in Reges poteſtate verba audiunt fieri; iam præſertim, poſtquam lite cum Venetis conteſtatâ Pontifex cecidit cauſa.

Nihil igitur habuit quod ageret, niſi vt de ſchiſmatum horrore paratragœdiaret. Nemo non intelligit quantum ſit piaculum non tunicam Chriſti, ſed corpus ipſum, nimirum Eccleſiam diuidere. at ibi non oportuit metum ſchiſmatis oſtentare, vbi nulla eius cauſa ſuberat vel veriſſimilis, vel poſſibilis.

Pag. 89. Schiſmati Cardinalis hæreſin adnectit: *nam* (inquit) *in manifeſtam hæreſin præcipitat nos hic articulus, nos cogens fateri ante multa ſæcula deſiiſſe in terris Eccleſiam Catholicam. Nam ſi partis aduerſæ defenſores impiam defendunt doctrinam & deteſtabilem, & diuino verbo contrariam; ſequitur Pontificem iam olim non eſſe caput Eccleſiæ, ſed hæreticum & Antichriſtum. adde excidiſſe Eccleſiam titulo Catholicæ, nec eandem manſiſſe in Gallia, quandoquidem omnes Galliæ Doctores multis abhinc ſæculis contrarium defenderint. Nec de nobis vllum concedi hæreticis trophæum glorioſius quàm ſi affirmemus iam à multis ſæculis periiſſe de terra viſibile Chriſti regnum, nec Dei templum nec Chriſti ſponſam fuiſſe, ſed prorſus regnum Antichriſti, Synagogam Satanæ, ſponſam Diaboli. Et quas machinas optent fortiores ad Tranſubſtantiationem euertendam & confeſſionem auricularem, &c. quam ſi Eccleſiam, quæ illa ſanxit, ſine authoritate ſanxiſſe dicamus?*

Pag. 89. Videtur mihi Dominus Cardinalis his ſermonibus ſuæ Eccleſiæ & religioni labem & infamiam inurere. nimis enim facilè concutitur, ſi huius articuli ſanctione corruat, & ſynagoga Satanæ euadat. longè autem

tem miſerrima ſit Regum conditio ſi non poſſit eorum poteſtas agnoſci ſumma, & Pontificis exempta arbitrio, niſi eâdem operâ Eccleſia peſſum eat, & Pontifex cui ſubſunt habeatur pro Antichriſto. Ipſe Cardinalis hoc non credit. ſiquidem concedit articulum illum nec ab antiqua Eccleſia nec in ſacris literis eſſe definitum. præterea quibuſdam Gallis à Pontifice indulgeri ait, vt hac in re opinionem ſuæ contrariam tueantur, ſi eam modò habeant pro Problematica non neceſſaria. An tantarum rerum certitudo (*quòd Papa non ſit Antichriſtus, quòd Eccleſia Romana non ſit Satanæ ſynagoga*) pendet ex articulo quodam neque in ſacris literis neque à Vetere Eccleſia definito? & de quo bona Pontificis venia in vtramque partem ſentire liceat? Nobis ſupra oſtenſum eſt non modo Dei verbum, quod in paruo prætio eſt, & totâ antiquitatẽ huic de Regibus abdicandis opinioni aduerſari; verumetiã Eccleſiã Gallicam, quo tempore Pontificis authoritas ad culmen venerat, ſemper animosè reſtitiſſe; nec tamen ideo credebat Eccleſiam de terris perijſſe. Qui Pontificis auctoritatem in rebus fidei credũt ſupremam, nullam ſibi neceſſitatem putant incumbere vt Pontifici hoc in negotio fidem habeant: quia non credunt hoc eſſe de fide, ſed de imperio, & monarchia, Papæ temporali, cui non errandi priuilegium in eiuſmodi rebus conceſſum non eſt. Negant illi in cathedram tam ſublimem poſſe irrepere errorem, ambitionem eò ſcandere non negant. nec in re tam fructuoſa, quæ Papam Regem Regum facit & regnorum diſtributorem, factu æquum exiſtimant, vt ipſemet ſit Iudex. Denique hebeti cum eſſe ingenio neceſſe eſt quiſquis ſibi perſuaſerit non eſſe illis in regno cælorum locum, qui in manu Pontificis eſſe negant Reges deijcere ſceptra dare & auferre.

Vide quod his peius eſt. Videtur enim ab ijs, quos hæreticos vocat, conductus præuaricator, vt diceret hoc articulo poſito tolli penitus tranſubſtantiationem & confeſſionem auricularem. Ratio eius eſt, quòd articuli de poteſtate Pontificia Reges abdicandi, de tranſubſtantiatione, de confeſſione auriculari Scripturæ ſacræ aut veteris Eccleſiæ authoritate non ſint definiti, ſed authoritate Pontificis & recentium Conciliorum. Vnde non iniuria colligit non poſſe eam Papæ poteſtatem infirmari, quin eadem opera concutiantur tranſubſtantiatio, & confeſſio auricularis. Fatetur igitur non eſſe illos articulos aut ſacræ Scripturæ aut veteris Eccleſiæ authoritate deciſos. Nam ſi eſſent, Pontificiæ illius poteſtatis ruina non traheret vna ſecum eos articulos, qui maiore & antiquiore niterentur fundamento. Scio ego dum ita loquitur ſuſpicionem vitare non poſſe, quin nonnulla ex ijs adhuc retineat, quæ piæ memoriæ pater eius ſacroſancti Euangelij Miniſter olim illum docuit.

Interea parum candide cum ijs agit quos dicit hæreticos, dum fingit

git eos pro inuiſibili Eccleſia digladiari. hoc abeſt à vero, quum illi viſibilem agnoſcant Eccleſiam. quamuis enim electorum cætus oculorum iudicio non ſubſit, illud tamen docemus, ſemper fuiſſe in terris viſibilem Eccleſiam, ſed ijs tantum viſibilem qui in ea ſunt. qui foris ſunt homines quidem vident ſed non vident eos eſſe Eccleſiam. Credimus etiam Eccleſiam Catholicam viſibilem ex pluribus Eccleſijs, quarum aliæ alijs puriores ſunt, componi; nec ſemper contingere vt numeroſior ea ſit & magis conſpicua quæ purior eſt.

QVARTI INCOMMODI EXAMEN.

ANtequam agat de vltimo incommodo, quod ex tertij ordinis articulo recepto naſcitur, præfatur nonnulla Cardinalis de vita ſua & ſeruitio Regibus præſtito, Henrico III. & Henrico IV. De Henrico IV. ſic loquitur: *Ego illum reduxi per Dei gratiam, vel Dei gratia per me ad Catholicam religionem. Ego illius abſolutionem Romæ à Clemente VIII. impetraui & Sanctæ ſedi illum reconciliaui.* Quod ad prius attinet, occaſio & tempus & rerum neceſſitas ſatis indicant Regem illum religionis propoſitum mutaſſe longe alias ob cauſas, quàm Theologicas, & Domini Cardinalis facundia multò fortiores. Poſtquam illi ſententia ſtetit religionem mutare, inſtitutio ad ſpeciem quæſita eſt, quemadmodum in eiuſmodi rebus fieri cõſuetum eſt. Quòd verò ad abſolutionem, quam ſua opera impetrauit à Clemente VIII. eam & Regis & regni & ſua cauſa æterno debuit inuoluere ſilentio. Nam in ea reconciliatione neminem latet, quàm fædè Regis ſui dignitatem proſtituerit, perpeſſus verbera & fuſtigationem; & humi abiectus, nimirum pœnitentiam agens pro Rege, illiúſque perſonam repræſentans. vt in Apologiæ meæ Præfatione antehac notaui. quam ignominiam viſum eſt ſuæ Sanctitati quibuſdam munuſculis ſpiritualibus rependere, donatis Epiſcopo Ebroicenſi benedictis granis & crucibus & tabellis, quas qui oſcularetur veram centum annorum conſequeretur indulgentiam: id quod prædicto Regi incredibile, ſcilicet attulit ſolatium. Inſuper nec decenter ſatis iactitat ſe à Pontifice Regis abſolutionem impetraſſe. Nam Dux Niuernenſis, qui iam diem ſuum obijt, eandem ob cauſam paulò antè profectus Romam re infecta reuerſus fuerat; propterea quòd res regiæ tum videbantur deploratæ. vt primùm verò intellectum eſt Regi ſuccedere pleraque ex animi ſententia, ſacri fœderis virtutem marceſcere, validiſſimas Galliæ vrbes cum Rege tranſigere; ilico ſpiritus ſanctus

ctus Papæ ſuggeſſit, vt errantem ouem intra ſeptum Eccleſiæ reciperet: metu, ne Gallia Sanctitatis ſuæ pertinaciâ irritata tandem id faceret, quod ſæpe fuit minata, id eſt, Patriarcham ſibi præficeret. Quod ſi Cardinalis ſuam conſcientiam tangeret, fateretur ſe priuſquam è Gallia pedem efferret, de ſui itineris exitu certum fuiſſe.

Conciliatis hoc exordio auditoribus demonſtrat *per illum tertij ordinis articulum, quia certa cum incertis miſcet, irrita fieri, quæ pro regia incolumitate oſtentat remedia*: ratio eius hæc eſt: *quia ad parricidia auertenda opus eſt anathematum diris & ſupplicijs poſt mortem, quæ vt certa fide credantur ab auctoritate infallibili proficiſci ea neceſſe eſt. hæc certa fides à nemine expectari poteſt, ſi in anathematis ſententia res non conteſtatæ, & de quibus in Eccleſia non conuenit cum conteſtatis miſceantur*: PER RES CONTESTATAS illud intelligit quòd Reges occidere nefas ſit. Per NON CONTESTATAS hoc quod Papa non poſſit Reges regno exuere.

Oratio hæc nec argumentationis nec probationis vim habet, ſed conſilij quædam imago eſt: cui ego reſpondeo incertitudinem, ſi qua eſt in tertij ordinis articulo, à Papa eiúſque adulatoribus profectam eſſe, quorum opera illi detracta eſt veritas quæ publica authoritate reſtituenda eſt. Nec alia ratione reddi poteſt ijs rebus, de quibus contra rationem dubitatur, ſua certitudo, quàm ſi cum alijs eiuſdem naturæ, id eſt rebus certis vniantur.

Non poſſum hic pati quin Lectorum conſcientijs manum inijciam vt ſiſtant ſe, & quanta ſit vis veritatis mecum conſiderent. Fatetur Cardinalis has duas propoſitiones (*iure occidi Reges, eoſque à Pontifice regnis poſſe exui*) ita eſſe inter ſe affines, vt qui de vna dubitat dubitet quoque de altera. Qua in re fontem mali quaſi digito indicauit, veriſſimam nempe Regicidiorum cauſam. quiſquis enim crediderit Reges non poſſe regnis ſuis exui à Pontifice, eadem quoque certitudine credet non licere Reges occidere: quia Regicidæ dum id faciunt ſe ſuæ Sanctitati credunt gratificari. Illud igitur certiſſimum eſſe oportet ſi Regum incolumitati conſultum volumus eos à Pontifice regnis exui non poſſe.

Confirmatur hoc ex eo quod ſubnectit Cardinalis; ſi infernalia illa hominum monſtra, quorum ſcelere duo proximi Reges è medio ſublati ſunt, leges Eccleſiaſticas legiſſent, ſuam in Concilio Conſtantienſi damnationem expreſſam inueniſſent. Quibus verbis Papam condemnat, qui naſcente ſacræ illius confœderationis bello, vbi publicandæ erant leges Eccleſiaſticæ, fulmina vſurpauit, vnde mors Regis ſequuta eſt. Condemnat Clericos qui vbi leges hæ Eccleſiaſticæ prædicandæ erant quibus Regum cædes interdicitur, rebellionem prædicauere. & cùm populus accederet confeſſionum arcana Sacerdotum auribus depoſiturus, Sacerdotes viciſſim auribus populi cædem & ſanguinem inſtillarunt.

Digitized by Google

ſtillarunt. Vnde bella ſequuta ſunt & Regis interitus.

Videamus tamen has Eccleſiaſticas leges, quibus Regum cædes & parricidia prohibentur. Cardinalis cæterarum omnium vice adfert Concilium Conſtantienſe, in quo tamen nihil eiuſmodi habetur. Ita autem res geſta eſt. Iohannes Dux Burgundiæ immiſſo percuſſore Ludouicum Ducem Aurelianenſem occidit Lutætiæ, & cum factum probari vellet, ſubornauit quendam Magiſtrum Iohannem Paruum, qui *propoſitis in Academia Pariſienſi nouem propoſitionibus defendit licitum eſſe & iuſtum & honorabile, cuiuis ſubdito aut priuato, per inſidias, per vim aut quauis alia ratione, tyrannum occidere, qui contra ſuum Regem & ſuperiores aliquid eſſet machinatus: Regis præterea eſſe cædis authorem præmio ornare, vt qui hominem perfidum & hoſtem Regis occiderit.* Verba primæ propoſitionis Gerſon. hæc ſunt: *Licitum eſt vnicuique ſubdito abſque quocunque præcepto, vel mandato, ſecundum leges naturalem, moralem, & diuinam occidere vel occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, ſortilegium, aut malum ingenium machinatur contra ſalutem corporalem Regis ſui & ſuperiorum pro auferendo ſibi ſuam nobiliſſimam & altiſſimam dominationem.* In tertia verò propoſitione: *Licitum eſt vnicuique ſubdito honorabile & meritorium occidere, vel occidi facere ſupra nominatum tyrannum, proditorem, & infidelem ſuo Regi.* & in ſexta: *Rex debet præmiare vel remunerare illum, qui occidit modo qui dictus eſt, vel occidi fecit tyrannum ſupra nominatum.* hæ propoſitiones Iohannis Parui à Concilio Conſtantienſi vt impiæ & ſcandaloſæ damnatæ ſunt. Iam certum eſt tyranni nomen eodem modo accipi à Concilio, quo à Iohanne Paruo. non igitur hæc fuit Concilij mens eum damnare qui Regem occideret aut ſummum Principem, ſed eum qui ſubditum rebellantem & contra Regem ſuum aliquid machinantem per inſidias & iniuſſu Principis occideret. Nam id voluit Iohannes Paruus Ducem Aurelianenſem iure cæſum fuiſſe, quem ille, quum ſummus Princeps non eſſet, Tyrannum tamen appellat Et prius citata verba non alium innuunt tyrannum, quàm hominem ſubditum, Domino ſuo rebellem. Ita ſi Concilij Conſtantienſis ſcopum & mentem propius inſpexeris, Regum ſecuritati non conſuluiſſe ſed nocuiſſe arbitraberis, ſiquidem vetat ſubditum occidi qui vitæ regiæ inſidiatur.

Fingamus tamen Concilium Conſtantienſe contra Regum percuſſores ſententiam dixiſſe (nec enim dubito, ſi de ſummorum Principum cædibus quæſtio mota fuiſſet, verè & ſanctè Concilium fuiſſe reſponſurum) quid illud, obſecro, ad regiæ vitæ ſecuritatē facit? quandoquidem Cardinalis Ieſuitarum vtitur præſtigijs, qui Regum nomine eos ante monuit intelligendos, qui Reges manent, ſuóque iure necdum exciderunt. Si ergo Papa eis poteſtatem abrogarit, non ſunt amplius Reges, ſed iure ſuo excidunt; & quod hinc efficitur, Regem non occidit

cidit qui horum aliquem occiderit. adeò volubiles ſunt iſti verborum artifices, & poſticam apertam ſemper relinquunt, qua effugiant.

Obſeruet interea Lector verè prodigioſam & malignam aſtutiam. Cardinalis vult legibus Eccleſiaſticis coerceri Regum parricidas. crederes hîc pro legibus Eccleſiaſticis, quibus Regum vitam ſecuram facit, adducturum illum ſacræ paginæ verba, & ponderis & authoritatis causâ. at ille legem citat è Concilio Papis improbato, & quod illius rei de qua ipſe agit omnino non meminit: aut ſi meminiſſet, Cardinali tamen non deeſt nobilis diſtinctio, qua omnia eludat. Nulla falsæ opinionis ſtabiliendæ melior ratio, quàm ſi eam falſis & ridiculis argumentis oppugnes: nec veritatis labefactandæ certior via, quàm ſi eam rationibus & authoritatibus ſtramineis confirmes; quemadmodum Plato ait, inde apparere animarũ immortalitatem, quia olor canit moriturus. Ita fides habenda eſt ſacris literis, quia à Pontifice authoritatem habent. hæ ſunt rationes quibus vitæ regiæ ſecuritati proſpectum cupit Cardinalis. Plato in Phædone.

Eodem artificio videri vult Regum cædes grauiſſimè odiſſe, quum eos per ſententiam Pontificis rectà ducat ad interitum. Nec enim dubium eſt, quin Rex à Pontifice deiectus omnem moturus ſit lapidem, vt dignitatem ſuam ſarctam tectam defendat. & aduerſus rebelles ſubditos, quibus iuramenti ſui gratiam fecit Pontifex, ſeipſum tueatur. Dum miſcentur hoc tumultu humana omnia diuináque, fieri non poteſt quin Rex multa adeat diſcrimina, vitâ eius non ſolum expoſitâ bellorum periculis, verumetiam mille proditorum inſidijs: quia Rex legitimè deiectus, ſi Reipub. gubernacula nolit dimittere, pro tyranno & vſurpatore habetur, & impunè à quocunque occiditur, quum ipſæ leges omnibus permittant tyrannos & vſupatores è medio tollere. *In reos maieſtatis & publicos hoſtes omnis homo miles eſt*, ait Tertullianus. Aufer Regi legitimi Regis nomen, & vnà auferes omne vitę ipſius preſidium, auferes tutelam omnibus ſatellitibus firmiorem. hos enim deſperatus quiſpiam ſicarius facilè medios peruaſerit, iam regiæ vitæ dominus quia contempſit ſuam. Qui ſimulant igitur diſplicere ſibi Regum cædes, & nihilominus regnis eos cenſent exuendos, ita prorſus videntur dicere: Ne occidamus Reges, ſed exarmemus eos vt occidantur. Vitam ne eripiamus, at vitæ defendendæ inſtrumenta eripiamus: ne tollamus è medio dum ſunt Reges; horrendum enim id ſcelus foret & abominabile: at eos omni poteſtate regiâ exuamus; ſic quiſquis occiderit, Regem non occidet. hæc de eo Rege dicta ſunt cui per Papæ ſententiam poteſtas abrogata eſt, vires autem idoneæ ſuppetunt quibus ſe tueatur. Apolog. c. 2.

Quod ſi Papæ ſententia obtinuerit, & Rex verè regno exciderit, valde erit ei difficile amiſſo ſceptro vitam conſeruare: nec enim Reges

ſunt

ſunt felibus ſimiles, quæ ex alto præcipitatæ ſemper cadunt in pedes. Pauci Imperatores & Reges imperio fuere ſuperſtites. nam quibuſdam gradibus aſcenditur ad regnum, nullis deſcenditur. Nimium eius intereſt, qui alienum inuaſit regnum, ne viuat ille quem poſſeſſione eiecit. & ſi qui euaſerunt, illi apud exteros fugitiuorum vitam vixerunt qualibet morte triſtiorem. Dionyſius Siciliæ Tyrannus ludimagiſter factus eſt Corinthi, electo vitæ genere cui aliqua ineſſet regni ſpecies. Huic ſoli datum fuit poſt regnum amiſſum ridere. In meo hoc Angliæ regno multi Reges regno deiecti ſunt, Edouardus II, Richardus II, Henricus VI: qui omnes in carcere crudeliter enecti ſunt. Regnante Edouardo III. proditores decreto Ordinum declarati ſunt, quicunque imaginarentur (hac voce vtitur Lex) aut machinarentur Regi interitum. quo decreto freti Prætores Angliæ ex eo tempore illos Proditores Reip. pronunciauere, qui de Regis depoſitione loqui auderent. credebant enim Regi non eripi coronam, niſi & vnà vita eriperetur.

Pag. 95. Ludibrium igitur merum eſt quod addit Cardinalis, *Eccleſiam niſi in foro Eccleſiaſtico non abſoluere ſubditos à Regis obſequio. nec aliam Regibus infligere pœnam quàm excommunicationis & illius abſolutionis; tantúmque abeſſe vt velit eorum vitæ quos ſuis coercuit cenſuris inſidias ſtrui, vt omnes cædes deteſtetur, præſertim verò inopinatas illas & ſubitas, quæ corpus & animam vt plurimùm interimant.* Nam nobis monſtratum eſt non abdicari poſſe Regem, quin mors, aut quod morte grauius eſt, ſequatur. Quid prodeſt non iuberi ab Eccleſia Regum cædes, ſi id iubeatur vndè cædes neceſſariò ſequantur? His adde quod Cardinalis iniquè & reclamante ratione inter fori Eccleſiaſtici pœnas numeret *abſolutionem illam à iuramento fidelitatis.* Eſt enim ciuilis pœna non Eccleſiaſtica; & quod hinc efficitur Eccleſiaſtico foro adiudicari non poteſt ſine iniuria ciuilis. Magis abeſt à ratione quòd negat Eccleſiæ non eſſe cordi inſidias aduerſus eos, in quos cenſuræ emiſſæ ſunt. Nam Papa Vrbanus in Can. *excommunicatorum* ita loquitur: *Non enim eos homicidas arbitramur, quos aduerſus excommunicatos zelo Catholicæ matris Eccleſiæ ardentes aliquos eorum trucidaſſe contigerit.* Quod ſi Regum parricidia non approbet, Papa, cur à Marianæ libro in quo Regicidæ laudibus efferuntur cenſuram ſuam abſtinuit, quum in alijs eiuſdem libris cenſendis labori ſuo non pepercerit? cur Pariſienſis curiæ ſententiam aduerſus Caſtellum cenſura notauit? Cur paſſus eſt Romæ Garnetum & Oldcornium, coniurationis noſtræ puluerariæ artifices, tum per libros ſcriptos, tum per effigiatas imagines in numerum Martyrum referri? Cur poſtquam duos Reges maximos continenter vidiſſet occiſos, nullo planè indicio quid ſentiret aperuit, nec vllam tulit legem, qua Regum ſecuritati in poſterum conſuleretur? Becani librum, fateor, perſtrinxit ſed languida & captioſa cenſura, vt accuratiorem illam Sor-

Can. 23. Quæſt. 5.

bonæ

bonæ & rigidiorem præueniret. Nam cenſura Papæ aduerſus Becanum eſt generalis, & de Regum vita nihil habet proprium. & duobus admodum menſibus elapſis idem liber recuſus fuit, & Nuncio Pontificis in Germania inſcriptus, mutatis tantum duobus articulis, quibus populo ſuprema in Reges poteſtas dabatur. Ad illius iacturæ compenſationem tres aut quatuor articuli inſerti fuere, eandem poteſtatem deferentes Pontifici, contumelioſiores & nequiores in dignitatem regiam, quàm de quibus antea inſtituta erat querela. Quod ſi antiquiorum Imperatorum exempla libeat recolere, vt Henrici IV. cuius exanime corpus ſæuitiæ Pontificis exemptum non fuit, Frederici II. aduerſus quem concitauit Sultanum. Elizabethæ Reginæ glorioſæ memoriæ, quam Roma miſſi percuſſores tentarunt occidere, & aliorum, quorum mea pro ſuramento fidelitatis apologia meminit; luce meridiana clarius apparebit, quantum à veritate abſint ea Cardinalis verba, *quod nemo Pontificum eo vſque progreſſus ſit, vt Regum cædibus aut conſenſum aut conſilium dederit.* Vel hoc ipſo quod tractamus argumento ſatis euincitur contrarium. nam Reges ad mortem rectà ducit, dum eos regno exuit. Pag. 97.

Cardinalis ipſe quadamtenus hoc videtur agnoſcere, *dum ait cædes improuiſas & ſubitas valde eſſe Eccleſiæ exoſas*: quaſi ſponte fateretur non ita improbari illas, quæ per manifeſtam vim fiant. & paulò poſt ſignificat *Reges à Pontifice deiectos manifeſto bello petendos eſſe.* Ex quo efficitur in bello iure occidi eos. inſignis ſanè clementia. mitius enim cum Rege agitur ſi in caſtris plumbea traijciatur glande, quàm ſi in cubiculo confodiatur ſica; ſi in vrbis obſidione ſulphureo puluere è cuniculo diſſipetur, quàm ſi in pace cuniculus hic ſubter domum eius agatur. En tibi rationem eius. *quia per improuiſam cædem ſæpe anima interit cum corpore.* hæc eſt eorum, qui Parricidas extrudunt, clementia, vt quorum corpora curant interimi, eorum animas ſollicitè cuſtodiant. Nec multum abludit à Marianæ Ieſuitæ conſilio, qui non vult tyrannorum cibos miſceri venenis, ne fortè dum ipſi venenum ſumunt ſuæ mortis comperiantur rei; ſed monet exemplo Regum Mauritaniæ eorum cathedras tantùm, aut veſtes inficiendas veneno, quo ſcilicet miſeræ tyrannorum animæ abeant è corporibus innoxiæ. O peſtifera & Satanica ingenia! nec vnquam auderent talia dare conſilia, niſi viderent Regibus parum ſupereſſe animi, populo nihil libertatis. Et illi quos Deus ſuos *Vnctos* appellat patientur etiamnum, vt in ipſorum facies deſpuant vermiculi, quos ſolo ſpiritu poſſent diffiare, atque ita Maieſtas diuina in ipſis ſpreta iaceat? Pag. 95.

Nec minus habet irriſionis ſequens illius cauillus, *vbi negat ſibi placere prophanas illas Ethnicorum leges, per quas licet eorum tyrannorum vitam per inſidias aut coniurationes appetere, qui ſui imperij adminiſtratione non alieni vſurpati-* Pag. 95. & 96.

ſurpatione tyranni eſsent. hæc enim duo tyrannorum genera diſtinguit. *Nam poſt abrogatum illis imperium, manet tamen* (inquit) *aptitudo quædam ad dignitatem regiam; & quaſi characteris politici ſpecies aliqua, quæ eos à priuatis ſecernit, remotoque obſtaculo ad legitimum regiæ poteſtatis vſum reducit.* Fieri non poteſt vt ex animo hîc loquatur. fingamus enim Regem ſolio deiectum euitare poſſe mortis periculum, & priuatam vitam viuere in pace, tantum abeſt vt illi dignitas aliqua aut character politicus ſuperſit, vt contemptior & infælicior futurus ſit quàm ſi Rex nunquam fuiſſet. eſt Pauo auium pulcherrimus, at plumis nudatus monedula ineptior eſt. Proletarius artifex qui ſua libertate fruebatur Romæ, beatior erat Valeriano Imperatore apud Saporam Perſarum Regem captiuo. Quòd ſi Dominus Cardinalis honore omni & munere Eccleſiaſtico excideret, paruo, vt opinor, deputaret ſolatio, quòd aptitudo quædam ipſi ſupereſſet ad amiſſam dignitatem, & character aliquis Cardinalitius: nec talis cogitatio (vt opinor) efficeret vt minore cum moleſtia pedibus deinceps incederet.

Ecce autem quo ſe haud dubiè ſolentur Reges à Pontifice propter hæreſin deiecti. *Nam amoto obſtaculo* (id eſt, quum ſe correxerint & emendarint) *aptitudo iſta, & character illis ſuperſtes ad legitimum regiæ poteſtatis vſum reducet.* Nam extra controuerſiam ponit Reges deiectos, ſi pœnitentiam egerint & boni Catholici euaſerint, reuocandos eſſe ab eo qui illos deiecit, ob eorum conuerſionem plurimum ſcilicet lætante; & priſtinæ dignitati bona fide reſtituendos. At hercle metuerem ego, ne nouus ille Rex annos ſaltem aliquot poſtularet, quibus deiecti Regis pœnitentia examinari poſſet, ingenuane eſſet an ſimulata. nec enim eorum verbis ſemper habenda eſt fides qui ſe aiunt pœnitentiam agere. Fortè etiàm perſuaderi poſſet Papæ in aliquam aliam hæreſin poſtea lapſum eſſe Regem illum; aut à priori hæreſi characterem animo eius infixum magis indelebilem illo, qui eſt à regia dignitate. Qua in re longè duriſſima eſt Regum conditio & miſerabilis, quibus poſt abdicationis pœnam nullus pœnitentiæ locus relictus eſt, tanquam eorum peccata eſſent in Sp. ſanctum, aut ita lethalia vt omnem deprecationem excluderent. Reſtitui poteſt homo priuatus: Regi deiecto ſua pœnitentia inutilis eſt. Præterea priuato ſeruos ſubtrahere non licet, niſi ipſe & conſenſerit & permiſerit; at penes Papam eſt ex noſtris ſubditis facere non ſubditos, dum illos citra noſtrum conſenſum recipit in Clerum ſuum. Quid ſi Rex ipſe hæreticus fiat & filius eius maneat Catholicus, quis tunc occupabit locum deiecti Regis? an peregrinus? at ſic filij innocentia opprimeretur iniuriâ. an filius? at ille ſi Deum timet non pellet patrem: nec Henrici V. Imperatoris exemplum imitabitur, qui Papa auctore patrem ſenem expulit imperio. Nec à Doctore Suareſio Ieſuita conſilium petet, qui libro aduerſus me ſcri-

pto

pto multorum Doctorum teſtimonio confirmat, *ſi Papa Regem deponat ab illis tantum expelli poſſe vel interfici, quibus ipſe Papa id commiſerit.* id eſt ſi Papa Regi imperium abroget, non poſſe illum legitimè expelli aut interfici niſi ab ijs, quibus id in mandatis dedit Papa. ſubiungit autem, *ſi Papa Regem declarauerit hæreticum, & à regno depoſitum, & de executione nihil amplius declaret* (id eſt nemini diſertis verbis iniungat vt eum occidat) *tunc ſolus legitimus ſucceſſor eius habet illam facultatem, ſi Catholicus ſit, vel ſi ipſe negligat vel nullus ſit, communitas regni in illo iure ſuccedat ſi ſit Catholica.* Notatu ſanè digna ſententia. Nam legitimus Regis ſucceſſor eſt filius, qui ſi huic auſcultet, patrem ſuum, vt primum à Pontifice deiectus fuerit, debet interimere. Quod eò obſeruatione dignius eſt, quia peſtifer hic liber contra me ex profeſſo ſcriptus eſt; & quod hinc ſequitur filio meo conſilium dat, vt ſi Catholicus euaſerit & Pontifex mihi propterea poteſtatem abrogauerit, ſuum parentem interimat. Eiuſmodi profitentur doctrinam hi ſancti Patres, Pontificij defenſores imperij, quibuſcum ſi veterem Paganorum impietatem aut hodiernam Cannibalum feritatem compares, meram dices humanitatem & clementiam. In his potius verſari debuit Cardinalis oratio, quàm in *habitudinibus & characteribus politicis*, quos populus perinde intelligit, ac ſi nihil diceret.

Sed parua ſunt iſta ad ſermonis epilogum, vbi perſuadere conatur, *recepto tertij Ordinis articulo, quo iſta Pontificibus in Reges poteſtas negatur, periculum Regibus & damnum adferri: propterea quod inde naſceretur ſchiſma, & ex ſchiſmate ciuilia bella, & Regum contemptus, inque eorum vitas inſidiæ, &, quod his maius eſt, diuina ira.* Valde hoc admirabile eſt & paradoxum, & hominibus occæcandis oportunum, quòd nos credere oporteat Regum vitas non eſſe in tuto, niſi penes Pontificem ſit eos maieſtate exuere: quòd honoratiores futuri ſint, ſi alteri ſua ſceptra ſubmiſerint: quòd ſummam poteſtatem abdicare debeant vt viuendi ſecuritate fruantur: quòd penes alterum eſſe oporteat coronis ſuis eos exuere, vt diu illas habeant: quaſi diceres ponendam eſſe ſummam poteſtatem, vt eam retineant. Ego putarem firmiorem eſſe mearum rerum poſſeſſionem, ſi meo ſolius non alieno ſubſint arbitrio. Verùm hunc nobis errorem peperit ingenij noſtri tarditas, vt verendum ſit ne Pontifex eadem cum bono Childerico fraternitate nos beet. Quùm igitur ſupra captum meum ſit admirabilis hæc ratio, fugio ad experientiam; nec enim vnquam comperi tumultum aut ciuile bellum ideo contigiſſe, quia negarunt homines penes Papam eſſe Regibus imperium abrogare. Ex eo verò, quòd hanc Pontifici poteſtatem aſſertum iuerint, conſtat in Anglia ſub Henrico II. & Ioanne & Henrico III. mille rebelliones & ingentes vaſtitates exortas. Eandem ob rem Europa ſub Henrico IV. & Frederico I. madebat Chriſtiano ſanguine,

dum Saraceni in Oriente Christi nomen abolerent. Nec alia causſa nouiſſimum fœderatorum bellum in Galliam inuexit, vnde eà regio in peregrinæ gentis ſeruitutem tantum non redacta eſt, & duo Reges è medio ſublati. Ita Cardinalis, dum hæc Satanica axiomata pro regiæ ſalutis præſidijs nobis commendat, haud aliter loquitur ac ſi nobis conſuleret ſiccari in aqua, aut calefieri ad Lunam.

EXAMEN EPILOGI ORATIONIS.

RAtionibus exhauſtis ad preces hortationeſque deſcendit, *adiurans auditores ſuos, ne dum temporali Regum ſaluti conſulunt, auferant illis æternam. ne rumpant vnionem Eccleſiæ, in ſæculo præſertim hæreſi infecto, cuius tot ſunt in Gallia propugnatores, quæque ex Catholicorum ſchiſmate vires ſumat, & latius ſerpens religionem nequeat opprimere ſine Regum pernicie. Non alium ſibi propoſuiſſe finem, qui hunc offenſionis lapidem primi mouerunt, niſi vt Eccleſiam diuiderent. nec hunc articulum eſſe à tertio Ordine excogitatum; ſed ab ijs, qui iampridem à Romana Eccleſia diuiſi quorundam hominum vtuntur opera, qui ſe Catholicos imo Eccleſiaſticos dici volunt, vt ſpecioſo prætextu Regi ſeruiendi ſimpliciores illaqueent: Iulianum apoſtatam imitati, qui ad idolorum cultum ducturus Chriſtianos, Veneris & Iouis ſtatuas miſcendas curant cum ſuis.* Et poſt floſculos aliquot Rhetoricos articulum hunc *monſtrum vocat in piſcem deſinens, quòd ex Anglia tranſnatarit. nihil enim ab Anglicano iuramento differre niſi quod Anglicanum paulo mitius ſit & modeſtius. Hic ob ſcientiam & varias virtutes ciuiles me commendat, quódque in hanc arenam Theologicam cum eo deſcendere non fuerim grauatus, neque me aliud facere dum Romanam Eccleſiam ſchiſmate conor diuellere, quàm quod rectum & honeſtum putem: ſed æquum non eſſe, vt quod in Anglia ſit vigorem legis in Gallia obtineat: aut Catholici, & nominatim Eccleſiaſtici, quò ſuâ in Gallia libertate & ſecuritate fruantur, in ea cogantur iurare & credere, quæ Angli, vt reſpirandi vel potius ſuſpirandi veniam conſequantur, credere & iurare neceſſe habent. Quod ſi in Anglia reperti ſint, qui maluerint omnia ferre ſupplicia, quàm ſuo illud ſuffragio comprobare, an in Gallia deerunt qui idem faciant? Non decrunt profectò (ait) ſi res tulerit: & nos Epiſcopi quotquot ſumus ad Martyrium potius accincti ſumus.* Denique ad probitatis ſuæ cumulum me cum ſuo Rege committit, de quo gratias agit Deo quòd nullam in Martyribus faciendis voluptatem ponat.

Ampulloſa hæc omnia & ſubdola inuenies ſi propius intueare. Nec enim

Digitized by Google

enim credidit tertius Ordo, dum Regis sui vitæ & securitati prospicit, æternum illi exitium creari. neque ita sunt illi obtuso pectore vt credant animam Regis sui saluari non posse nisi ipse mancipetur Pontifici.

Quod ait hæreticos in Gallia suam ex hoc dissidio rem gerere, pro confesso sumit hæreticos esse qui Christianam religionem illam Reformatam, & à Papismo repurgatam profitentur. quod tum demum probabit, quum aliud nobis Euangelium cudet, & aliam scripturam. Me aliquando hac in re erudiendum suscepit, sed nihil adhuc præstitit. Tres iam annos est, quum ad scriptum quoddam meum paucorum sanè dierum opera confectum responsionem parat, quam vereor ne nimium fingendo refingendoque tandem ad nihilum contraxerit. At persona Regis qui ad eum amice scripserat, & ipsius negotij grauitas mereri videbantur vt responsum aliquod in lucem emitteret. neque ego illius ingenio, quod scio quàm sit eximium, sed causæ iniquitati, cuius probe conscius erat, id adscribendum puto.

Vt igitur ad eos hæreticos reuertamur, qui ex Catholicorum dissidijs sua quærunt commoda, eorum officium non erat lites & dissidia spargere, sed suam Regi fidem præstare; quod dum faciunt si his quidem placuerint, illis vero displicuerint, dolere debent quod Regis causam agentes & veritatem defendentes non omnibus placuerint. Nec erat cur latere cuperent, si primi erant illius articuli authores; quin potius glorioſum illis fuerat, quòd soli essent de Regis vita & potestate solliciti. Sed delegati tertij Ordinis non habebant necesse id aliunde discere, quod in historia Gallica tam tritum est: nec opus erat vt vltramarinum hoc (vt illi placet) doctrinæ monstrum ex alio orbe excirent, cùm oculis obuersarentur duorum Regum cædes, tot ciuilia bella, tot Curiæ decreta, quibus eadem aduersus hoc malum tentata est medicina. Non est opus externo monitore cum sentitur molestia. Et mihi videtur in tertij Ordinis delegatos, quibus adblandiri vult, contumelioſus, quasi parum illis aut prouidentiæ foret aut charitatis in Regem, nisi monentibus reformatæ religionis hominibus. Quòd me autem inter dissidiorum artifices connumerat, testor fidem nihil mihi vnquam eiusmodi in mentem venisse. liberalioribus & apertioribus assueui consilijs, nec cuiusquam metu necesse habeo latere. Nec vlla in re Iulianum mihi proposui imitandum: ille à Christiana fide defecit, ego eam constanter profiteor. ille strophis vsus est, à quibus ego abhorreo. ille ciues suos ad infidelitatem impulit contra Iesum Christum: ego meos induco, vt fidem mihi præstent quam iniunxit Iesus Christus. dissimilitudinis rationes fusius pertracto in refutatione Bellarminianæ ad Blakuellum epistolæ; ex qua quum hoc exemplum transcripserit Cardinalis, inde quoque nostra illi discenda erat responsio.

Quod ſi vana ea eſt qua me tangit ſuſpicio, nec laudibus illis quas tribuit me patiar conſopiri. Nam ſcientiæ laudem alicui tribuere, & Dei timorem auferre perinde eſt, ac ſi in milite pulchram cæſariem extolleres, ipſum vero hominem ignauum diceres, & nihili. Scientia in hæretico nulli rei eſt, niſi vt culpam aggrauet. Virtutes omnes degenerant in vitia, quum famulantur impietati. Ancillæ quas ad ſe vocat Sapientia 9. Prouerb. ſunt virtutes & ſcientiæ humanæ, quæ tum pernicioſæ euadunt quum relicta Domina ſe Diabolo mancipant. homo intelligens & ciuili virtute præditus hac re ſolum præſtat imperito & improbo, quòd elegantius intereat; & maiore dexteritate properet ad inferos. At his euadit inteſtabilis, ſi ad vexandam Eccleſiam ſua abutatur virtute: ſi illi vt Cæſari exprobari poſſit illud, quòd ſobrius acceſſerit ad euertendam Rempubl. interfuiſſet enim Reipub. ſi ebrius fuiſſet. Vt verbo expediam, nihili facio laudes illas, quibus nihil ineſt quod non verè de Maroccenorum Regum aliquo dici poſſit: quibus mihi acceſſionum quarundam minutiæ non negantur; at quod præcipuum eſt detrahitur, timor & cognitio Dei, cui ego ſceptrum & gladium & pennam & vigilias meas omnes conſecraui; memori animo illius gratiam recolens, qua me errore ſæculi, & regna mea graui Pontificis iugo liberauit: vbi iam caſtè ſeruitur Deo, & lingua populo intellecta, vbi leguntur ſcripturæ ſine priuilegio, & eadem libertate qua ab Epheſijs, Romanis, Corinthijs epiſtolæ ad ipſos à D. Paulo conſcriptæ. vbi remiſſio peccatorum non amplius redimitur tributo, quod ante centum annos viritim exigi ſolebat: neque iam vltra maria & montes petendæ ſunt indulgentiæ, quæ ſubditis meis ex Euangelica doctrina repræſentantur domi. Si ob hæc miſeras vocat Cardinalis noſtras Eccleſias, nolumus cum illius fælicitate mutare hanc miſeriam. Quod ſupereſt ego vitam meam per Dei gratiam ſic conabor tranſigere, ne quis eam ſine calumnia poſſit reprehendere. non ego de me tam acerbè ſtatui, vt de ſeipſis Papæ, quorum opinio erat *Paparum neminem poſſe ſaluari.* Duo Papæ ijque melioris notæ, Adrianus IV. & Marcellinus II. profeſſi ſunt *non videre ſe, quomodo qui locum illum tenerent ſaluari poſſint.* ego diuinis in Euangelio promiſſionibus fretus per fidem in Ieſum Chriſtum, & peccatorum meorum pœnitentiam, ſpero me eorum remiſſionem & veniam impetraturum in eius nomine; nihil verens ne ſim extra Eccleſiam, dum capiti Eccleſiæ Ieſu Chriſto adhæreſco: hodie ſanctiſſimum Eccleſiæ nomen humanis inuentis prætenditur; nec ſignificat amplius eorum cœtum qui in Ieſum Chriſtum credunt iuxta verbum eius, ſed temporalem monarchiam, cuius Cæſar eſt Papa. Quod ſi Cardinali innotuiſſent horrendæ illæ in meam vitam, meámque familiam coniurationes, Eccleſiaſticorum hominum periuria multiplicia, & proditiones; haud ille criminaretur non licere Catholicis

Onuphrius in vita Pauli IV. Aliquot annis poſt, Apoſtolicæ ſedis nuncius in Angliam ad colligendum S. Petri vectigal miſſus. vide & Mat. Pariſ.

Onuphrius in vitis Marcellini II. & Hadriani IV.

Digitized by Google

tholicis me regnante ſuſpirare, vel reſpirare, nec diceret omnia illis infligi ſuppliciorum genera. miraretur potius me adhuc viuere, aut poſt tot pericula vlla nunc vti clementia. Si Rex Galliæ in ſuo haberet regno, qui ſummam eius poteſtatem negarent, quod multi in meo regno faciunt Catholici; anne obſecro ei ſuaderet Cardinalis vt manſuetè & benignè cum illis ageret? an eorum laudaret conſtantiam qui tormentarij pulueris ſcelus machinati ſunt? an ferendum crederet oratorem, qui quod ille nunc facit cæteros hortaretur ad ſubeundum infandi exempli martyrium, adque eorum imitandam conſtantiam, qui patriæ proditores & parricidæ comperti ſunt. En quo deuenerint recentes, quibus me ornabat, laudes, vt nempe à ſubditis meis ad mortem compellar; ſiquidem Martyres dicuntur qui meam vitam petunt, & in exemplum proponitur eorum conſtantia, qui ſcelus proditionis vltimo luerunt ſupplicio. Illud verè poſſum dicere neminem in meis regnis vel mortem vel tormentum religionis cauſa vnquam pertuliſſe; ſed quia in me & in Remp. aut coniurarunt, aut aliquod nobile ſcelus admiſerunt: & nuper in Scotia Ieſuita quidam meo iuſſu ſuſpenſus eſt, qui mordicus defendebat mihi in meum regnum nihil eſſe iuris, niſi quod Papæ per vim eripuiſſem. Cardinalis igitur dum Catholicorum Anglicorum exemplo, qui omnia ſuppliciorum genera perpeſſi ſint, ſe offert Martyrio, proditorum & parricidarum imitatorem ſe facit, eóſque homines Gallicanis Epiſcopis in exemplum virtutis proponit. O quam prophanatum eſt ſacrum illud Martyrum nomen! O Sancti Apoſtoli, qui teſtimonio diuinæ virtutis veſtrum impendiſtis ſanguinem, quales iam conſortes nacti eſtis? Parricidas nempe & ſicarios, aut vt mitius dicamus eos Martyres, qui temporali Pontificis Romani imperio vitam ſuam impenderunt; eos Epiſcopos qui ſe offerunt problematico Martyrio, & quod maius eſt propter rem incertam, neq; Scripturarum neque veteris Eccleſiæ authoritate deciſam: de qua ipſimet non niſi problematicè & hæſitanter loquuntur. Ego Domini Cardinalis ſapientiæ & acumini iniuriam facerem, ſi eum ex animo hæc loqui exiſtimarem: ſed inuitus (vt ipſe fatetur) ad hanc cauſam agendam propulſus, ſuccubuit neceſſitati, vt contra conſcientiam loqueretur, & multa affirmaret à vanis accepta authoribus: vt quum ait multos in Anglia Catholicos omnia maluiſſe pati ſupplicia, quam huic articulo ſubſcribere. Nam in Anglia crimen læſæ maieſtatis quodcunque ſit non niſi vno ſupplicij genere vendicatur, vt in Præfatione noſtra monitoria prolixius oſtendimus.

Nunc ſi illis, quibus me ornat, elogijs, (*quod ſcilicet Eccleſiam perſequar & omni cruciatu Catholicos affligam*) ſi eius ad martyrium cohortationi iuxta Parricidarum & proditorum apud nos exemplum; & hoc adiunxeris quòd Reges Angliæ Papæ feudatarios faciat eorúmque regnum

num ciuili obsequio Papæ mancipet, facilè videbis nihil esse aliud laudes illas quas mihi tribuit, nisi plurimo felli tegendo pauxillum mellis aspersum; latente acerbitate longe maiore quàm apparet humanitas.

Pag. 10. Postquam enim in principio Orationis de quibusdam Regibus loquutus esset, qui sunt feudatarij Pontificis, nec summam habent in regnis suis potestatem ciuilem, postea se explicat & Reges Angliæ illis

Pag. 30. accenset his verbis: *Quum Iohannes Angliæ Rex tum temporis nullo obsequio ciuili Papæ obstrictus eiecisset Episcopos*, &c. Intellectum hinc voluit postea illum fuisse obstrictum: quod perinde est ac si me tyrannum vocaret, & alieni regni insessorem. Nam vasallus amittit feudum si Domino homagium, aut pensitationem soluere intermiserit. Cui opprobrio hoc addit Bellarminus, quòd Pontifex Reges Angliæ Hibernia donarit; quis tamen Pontifici dederit Hiberniam non meminit.

Quòd ad Iohannem Regem Angliæ, is susceptа in se lite, quam pater eius Henricus II. diu multúmque agitauerat de beneficiorum Ecclesiasticorum collatione, aduersarios habuit nonnullos Episcopos, quos eam ob rem loco mouit. Martyres interim & confessores appellabantur, qui temporalem Papæ authoritatem defendentes quicquam pertulerant. His motus Pontifex Regem excommunicauit, Barones aliàs infestos in illum concitauit; regnum verò eius Philippo Augusto Regi Galliæ donauit, sed ea lege, vt gladio sibi acquireret; remissionem deinde peccatorum mercedem laboris pollicitus est: in summa tot molestijs Iohannes Rex afflictus fuit, vt earum authorem Pontificem nulla alia ratione valuerit placare, quàm seipso Vasallo eius facto, & regno ei mancipato in feudum; vt corona in posterum vectigalis fierit Pontifici, vnà cum omnibus ciuium capitibus. Ea demum ratione peccatorum impetrata est remissio: an deuotionis zelo facta ista fuerint hinc facilè iudices, quòd Rex Iohannes, vt seruitutem hanc excuteret, regnum suum in clientelam dare voluerit Amirali Murmelino, Mahumetano, Granadæ & Barbariæ Regi. Post id tempus missus est à Pontifice legatus in Angliam, cui Rex homagium præstitit, & auri summam abiecit ad pedes eius, quam venerabilis ille legatus in dominationis signum calcauit; in festis autem solennibus regio in throno locari se passus est. Hîc ego à Cardinale peto iustáne hæc fuerint an iniusta, si iniusta æstimet, cur attulit pro exemplo? si iusta, quæro vnde liceat Pontifici summam sibi regnorum potestatem petere vel accipere, in quæ nihil iuris vnquam habuerat? Hoccine eius sanctitatem decuit regnum miscere seditionibus, & regem redigere ad incitas, quo faciliùs summam regni potestatem sibi arriperet? Vnde huius origo iuris? Quando cæpit obtinere in Christiano orbe? Num antiqui Canones (nulla est enim in hac re Scripturarum fides) eam iniungunt peccatori satisfactionem, vt se Pastori suo è Principe faciat Vasallum?

seque

Digitized by Google

seque & ciues suos vectigales reddat Episcopo, qui regnum argento exhauriat, & à rege vt vasallo clientelare poscat obsequium? an peccator à pastore peccatorum veniam non prius impetret, quàm suum illi dederit patrimonium, & permiserit prædia sua & possessiones pœnitentiæ specie expilari? Si Pontifex quod vni Principi aufert daret alteri, tyrannicum tamen esset in res alienas sibi ius arrogare, & quod suum non esset in alterum transferre: at sibi ipsi omnia rapere & peccatorem spoliando absoluere, vt aliena bona faciat sua, id verò multis modis est intolerabilius. Ita enim spiritualis Episcopi potestas in terrenam monarchiam transformatur; & pœnitentia abit in laqueos & fraudum decipula; Petri denique lagena fit verriculum, quo exhauriantur regnorum opes. Principes verò (quod pessimum est) ea coguntur facere quæ factu prorsus sunt nefas. Nec enim licet Principi potestatis suæ rationem mutare, aut successoribus dignitatem relinquere minorem, multò minus infamis pacti turpitudine posteros suos debilitare, & ciues suos peregrino homini stipendiarios facere, præsertim Sacerdoti, quem nefas est ciuilia tractare negotia, aut regum sceptra attingere.

Vnde factum est vt Papæ nuncio (qui ad Philippum Augustum Galliæ regem ideo venerat, vt eius filium Ludouicum ab Angliæ regno auerteret) responderit Philippus, referente Matthæo Parisiensi, *Nullum regem vel Principem posse dare regnum suum sine assensu Baronum suorum, qui regnum illud tenentur defendere. Et Papam si hunc errorem tueri decreuerit, perniciosissimum regnis omnibus dare exemplum.* Idem historicus testatur Regem Iohannem inuisum fuisse subditis, quòd indignissima seruitute regnum implicuisset. Igitur ius illud Pontificis quum nihil aliud fuerit quàm ridicula vsurpatio, sponte sua & absque gladij ictu euanuit, in fumumque abijt. Nam potestas Papalis humano errore vt fundamento subnixa, architectante superbia, fulciente superstitione, ad primum veritatis adspectum facilè corruit: quum nemini ignotum esse queat eam potestatem in regnum Angliæ si in verbo Dei fundata esset pariter quoque ad cætera regna necessariò pertinere, quum omnia regna Dei verbo pariter subsint, nisi hanc Gallia prærogatiuam habeat, vt minùs quam Anglia subdatur Deo: vel fortè eò conducat ista Anglorum seruitus, vt facilius quam cæteri æternam vitam consequantur, dum illi sua in Pontificem transferunt patrimonia, Pontifex verò eorum promptitudinem spiritualibus donis compensat. hisce ineptijs etiam cogitatu pudendis suos auditores pascit Cardinalis.

Hinc ad Hæreticos relabitur. *Nulla est*, inquit, *ministrorum Synodus quæ hunc articulum subsignet in quem nos volunt iurare.* qua in re nimium quàntum hallucinatur. In Britannia, in Gallia hoc approbant vno ore Ministri, etiam pro concione: nec quisquam eorum sat scio suo chirographo renueret confirmare. Pag. 105.

Ait

Ait præterea *nullum esse eorum Consistorium, quod non iudicet exemptum se fidelitatis iuramento in Catholicos Principes, quoties ipsorum conscientijs infertur vis. hinc illæ sunt in eorum ore frequentes restrictiones* [*Si modo Rex vim nullam inferat conscientijs nostris: Si modo Dei Opt. Max. summa potestas maneat intacta.*] Ego certè non videò quo pacto ex his effici possit Reges à Pontifice posse regnis exui. Vt vt enim eiusmodi tenerentur errore reformatæ religionis professores, non tamen inde excusari possent Romano-Catholici, qui Regibus suis aduersarentur. Verùm in his, quæ à Cardinale allata sunt, nihil est quod cum articulo tertij Ordinis & obsequio Principi debito non optimè quadret. Nec enim aiunt se Regi, si quicquam illis contra conscientiam iniungeret, structuros insidias, subtracturos tributa aut seruitia in bello, vel abrogaturos illi imperium, vel iuramento fidelitatis exempturos populum; id quod in quæstione iam versatur, & est malum illud cui in Articulo suo obuiam ire voluit tertius Ordo. multum inter se differunt non obedire Regi in re vetita à Deo, sic tamen vt in omnibus alijs obedias; & illum non amplius pro Rege agnoscere, aut penitus abdicare. Si quid diuinæ legi contrarium Cardinali mandaret Pontifex, charitas iubet credere non obsecuturum illum; haudquaquam tamen, vt opinor, intermitteret Papam pro Papa habere.

Vlterius rem vrget his verbis: *hinc arma ab ijs sumpta sunt aduersus eos Reges, qui libertatem religionis illis ibant ademptum. hinc ab ijs excitatæ seditiones in Flandria aduersus Regem Hispaniarum, in Suecia aduersus Regem Poloniæ Catholicum.* Deinde Iunium Brutum, Buchananum, Barclaium & Gersonem nobis obijcit. Nescio ego quid ista faciant ad Pontificiam illam potestatem reges abdicandi. affirmat interim quæ procul absunt à vero. Nec enim hactenus intelligere potui, reformatos in Gallia Christianos arma sumpsisse contra Regem. In primis turbis contenti erant se defendere. Priusquam armis experirentur gladios ignésque vbique fuerant experti. nec à religione origo litis erat, sed quia in Francisci II. pupillari ætate seruierant Principibus regij sanguinis, pulsis aula; nominatim huius regis & Principis Condæi auis, qui quo se verterent nesciebant: quo nomine apud Regem Galliæ debent nunc esse fauorabiliores. Alia præterea seditio inuenitur nulla. Contrà verò, nonne illi Henrico III. periclitanti auxilium tulere, quanquam ille missis exercitibus eos antè iussisset exterminari? Nonne in Turonibus eius vitam é præsentissimo exemerunt discrimine? nonne cum omnia miscebantur tumultibus, & maior Galliæ pars Papa & Clero authoribus rebellaret, & ipsi & eius successori semper adhæserunt? nonne Regi in omnibus prælijs adfuerunt, fulcientes dignitatem sceptri quæ tum ad ruinam proximè spectabat? Nonne qui nuperum Regem omni odio persecuti fuerant, hodiè eorum

Digitized by Google

rum præmijs fruuntur qui reformatam religionem profitentur? qui non ideo nunc inuiſi ſunt quòd de religione diſſentiant, ſed quia, ſi illis haberetur fides, Reges Galliæ à Pontificibus amplius non penderent; nec viueret in Gallia qui ſe Regis ſubditum negaret; nec Romam euocarentur lites de matrimonijs & beneficijs Eccleſiaſticis; nec maneret Gallia Pontifici ſtipendiaria, prætextu annatorum & tributorum eius generis. Ipſe Cardinalis hac criminatione eos eximit, dum fatetur dogma illud de ſæculari Pontificis in Reges poteſtate obtinuiſſe vſque ad tempora Caluini; tectè innuens priores malè de regibus meruiſſe, hæreticos verò, quos vocat, ſacras literas aperiendo effeciſſe vt poteſtas Regũ anteà oppreſſa caput emergeret. Quòd ad Belgas & Suecos aliena ea res eſt à noſtro negotio. Illi ſuas habent rationes à religione diuerſas & politicas, quæ non ſunt noſtri arbitrij.

Quem nobis obijcit Iunius Brutus author eſt ignotus, & fortè Romanenſis Eccleſię emiſſarius, vt per illum Reformatæ religionis Chriſtianis apud Principes conflarent inuidiam.

Buchananus Poeta fuit non Theologus. eius verba aliquando intemperantiora violento ipſius ingenio & temporum iniuriæ, non religioni illius imputanda ſunt.

Barclaius quem citat non vult Reges priuari poteſtate, ſed tantum non agnoſci pro Regibus poſtquam ipſi poteſtatem regiam depoſuere. qui cenſet poſſe fieri vt Rex deſinat eſſe Rex, non cenſet continuò poſſe Regem à Pontifice priuari regno.

E Gerſone quod adfert ſupra diſcuſſum fuit; vbi oſtendimus adulterari ab eo & corrumpi mentem authoris. Sed noſtrum non eſt quæcunq; ab his vel illis dicta ſunt defendere. id ſufficiat, nullum reperiri in noſtra religione conſilium rebellandi, nihil quod fidelitatis iuramento ſubditos eximat; nullam denique eſſe noſtrarum partium Eccleſiam, quæ peſtifera hæc dogmata vnquam admiſerit.

Si quis hodie in Gallia ſtat contra Pontificem pro Regis dignitate qui olim aliter ſenſerat, laudem is meretur quòd iniuſtam ſententiam mutauerit: & melius quàm Cardinalis feciſſe cenſendus eſt, qui priorem opinionem ſuam, licitam illam & ſanctam, eiurauit. Ille enim malum bono, at Cardinalis bonum malo commutauit. Richerius.

Finem facit in laudibus Galliæ Regis, qui nunc regnat. Illum vocat *primogenitum Eccleſiæ filium, & propaginem lilij, cui Salomon in gloria ſua par non erat.* Et ad hiſtorias nos remittit, è quibus diſcere liceat, *regnum Galliæ, quoties cum Apoſtolica ſede bene illi conueniret, nempe cum Eccleſiæ ſponſo inter lilia gregem paſcente, toties bonis omnibus affluxiſſe, terrenis, cæleſtibus. at facto diſcidio, lilia continuò inter ſpinas omnibus fuiſſe malis & incommodis obſeſſa.*

Reſpondeo ego malè eum mereri de Rege, quòd verborum lenocinijs

nijs eum demulceat, dignitatem verò regiam fædissimæ mancipet seruituti: Testatur historia, testatur experientia illud cum Pontifice dissidium rebus Galliæ prosperis nihil nocuisse. Paparum iniuriæ haudquaquam impedierunt, quò minùs alta pace & bonorum affluentiâ frueretur Philippus Pulcher. Ludouicus XII. Iulij secundi, Pontificis exercitum prælio fudit, ipsum vero Papatu excidisse pronunciauit, & in coronatis aureis pro Romę nomine scribi iussit Babylonem: ille tamen subditis suis vixit charissimus, & communibus populi suffragijs PATER PATRIÆ meruit appellari. Nec magis vnquam vel cælestibus donis, vel pace & opibus floruit magna Britannia, quàm ex quo Pontifex hîc desijt aurigare, & ad S. Petri tributum colligendum legatos mittere, regesque acceptum illi ferre ius sceptri, & eo obtentu expilari. Et quid, obsecro, fuere Zelandia, Holandia, Frisia, ante accensam Euangelij facem, ad eas quas nunc à Deo nacti sunt deuitias & fælicitatem? Num miserior vel ærumnosior facta est Venetorum Respublica, ex quo vnum è duobus gladijs Pontifici extorsit é manu, sæcularem eius tyrannidem? At Reges Galliæ pro ampliss imis in Italia territorijs, quæ donarunt Pontifici, proque Auenionensi Comitatu, quàm inhumanam receperunt mercedem? ficta fuit ab ijs donatio Constantini, vt Caroli Magni & Pipini munificentiam supprimerent. atque vt Reipub. Gallicæ statum affligerent cum filijs Ludouici Pij coniurarunt in patrem, cuius vita merum fuit innocentiæ exemplar. regnum emunxerunt argento per innumeras fraudes, quibus obuiam ire Reges Galliæ pragmatica tentarunt sanctione. sæpe populum territarunt interdictis, deiecerunt Reges, regnum exposuerunt vicinis in prædam, conspirarunt cum subditis aduersus Principes: vnde ærumnę infinitæ & parricidia sequuta sunt. Hanc reddidit Rauallacus causam sceleris, *quia Rex*, inquit, *arma voluit sumere aduersus Deum: nam contra Papam bellare voluit: Papa autem est Deus.* Nec satis mirari possum, quomodo nouissimas Gallię calamitates, in quibus malè conueniebat Pontifici cum Gallis, exempli loco adferre ausus fuerit Cardinalis, quum earum omnium author fuerit ipse Pontifex. Si rege vel populo Papam vexante Deus famem in eos misisset vel pestilentiam, potuisset ea res accipi pro vindicta iniuriæ Vicario suo illatæ. iam verò quum ab ipso Pontifice fuerint hæc omnia, non est Deus qui eius vindicat iniurias; sed ipse suus est vltor, &, quod pessimum est, nulla ante lacessitus iniuria. Dum igitur per præteritarum calamitatum memoriam hortatur, ne se à Pontifice seiungant; non hortatur vt ament Pontificem, sed vt mala multa quæ dedit Pontifex in memoriam reuocent, fulminaque eius & minas timeant: quæ profecto nihil nocent nisi timentibus, imo vero meas ditiones maxima mactarunt prosperitate.

Quòd si Gallia, quo tempore amica erat Pontifici, egit prosperè, inde id fa-

Digitized by Google

id factum eſt quia Pontifex eorum ambit amicitiam, ex quorum rebus ſecundis quæſtum faciat. nec Principum res ideo proſperæ ſunt quia illis fauet Pontifex, ſed Principibus fauet Pontifex quia eorum res proſperæ ſunt. Nam vt hirundines ver comitantur, non faciunt; ita Pontifices fælicitatis Regiæ conſortes ſunt, non authores. Ingruente infortunio, aut ciuili bello vnde periclitetur rerum ſtatus, è veſtigio Papa animarum ſcilicet ſtudio ſe rebellibus applicat, accurritque ad oues vt eas ſeruet. Quòd ſi Dominum tum mutauerit Reſpublica, cauebit ille vt nouus inſeſſor regni Apoſtolicæ ſedi, vnde adiutus fuit, omnem ſuam poteſtatem referat acceptam. Sin vetus poſſeſſor debellatis hoſtibus, irriſo Pontificis fulmine, triumphârit, tum verò ſua Sanctitas omne genus indulgentiarum largâ in eum manu effundet, miſertus ſanè illius quem miſerum facere non potuit.

Euenere hæc omnia iuſto Dei iudicio, qui reges ignaros officij ſpiritu vertiginis corripuit, vt religionis obtentu regna ſua facerent vectigalia, & ius ſceptri alienæ poteſtati fædè manciparent. Deus Opt. Max. in cuius manu ſunt corda Regum vt fluenta aquarum, ſolus poteſt illos ex alto ſopore excitare, & debilia hæc ſcrupulorum vincula, quibus eorum poteſtas conſtringitur, quemadmodum taurus exiguo funi duci ſolet, tandem aliquando diſrumpere. Ego meum ſceptrum cum corona ad eius pedes abijcio, qui eſt Rex Regum, paratiſſimus illi in cauſa tam iuſta meam operam nauare, omnique ope id defendere, nos Reges, quos in ſolium euexit, illius Maieſtati vni ſolique regiam dignitatem ferre acceptam, quam ego ipſius ſeruitio do, dico, conſecro.

Digitized by Google

ORATIO

HABITA

IN CONVENTV ORDINVM

XIV. KALEND. APRIL. 1603.

QVI DIES PRIMI CONVENTVS

PRIMVS FVIT.

Digitized by Google

ORATIO PRIMA.

T primum Deo Opt. Max. viſum eſt inflictæ pœnæ acerbitatem lenire, & Angeli hanc vrbem aſſumentis violentiam retundere; ſtatui continuò tribus præcipuè de cauſis hunc conuentum ordinum indicere: quarum prima non ſolum ad eam rem videtur ſufficere, ſed etiam neceſſitatem comitiorum imponere; vt vos ſcilicet, qui Rempubl. omneſque in ea hominum ordines refertis, auribus hauriatis, ego voce exprimam quantum veſtræ alacritati & beneuolentiæ debeam, quorum communi lætitia & pleniſſimo applauſu in eum locum receptus ſum, quem ſanguinis mei & propinquitatis iure Deus ſuo tempore mihi deſtinárat, idque nullâ interiecta morâ, ſed vt primum Regina veſtra celebris memoriæ, ſatura æui ſed ſaturior honoris, ex hac fragili & caduca in æternam vitam recepta eſt: Non quod mihi ea ſit eloquentiæ vis, quæ hoc tantum grati animi debitum pari verborum dignitate exæquet; ſed tantùm, vt me meis ipſius verbis ad eam gratitudinem obligem, quæ veſtris meritis meiſque viribus & moribus reſpondeat. Vnquamne ego inexpectatam illam animorum promptitudinem, & ſingularem conſtantiam obliuiſcar, quâ me Regem veſtrum legitimum & gubernatorem vno ore pronunciaſtis, vno pectore conſenſuque recepiſtis? Patiarne è memoria excidere, vt omnes hominum ordines mihi primò aduentanti in occurſum non exierint, ſed quaſi euolarint? ex oculis nihil micabat niſi mixta amore lætitia, & ex ore nihil audiebatur præter gratulationes: pedum manuumque & reliqui corporis geſtus Regis ſui videndi amplectendíque vehemens deſiderium ardoremque teſtabantur. Quid ergo retribuam? Numquid in meipſo id probabo quod in alio ferre nunquam potui? Minimé gentium, quin vobis audientibus fatebor, ſemper mihi ſuſpectos fuiſſe homines lin-

gua nimis officiosa & volubili; qui creditoribus suis tanta profusione refundunt verba, quasi alio monetæ genere non statuerent sua nomina dissoluere. Vt igitur rebus ipsis gratum animum vobis exhibeam, duæ huius conuentus indicendi causæ mihi aperiendæ sunt; ambæ quidem eodem fundamento nixæ, nimirum factis, quibus volente Deo dum vixero, vobis mea constabit gratitudo; at hoc discrimine, quòd in priore causa facta, quæ gratum animum testantur, indiuiduo quasi nexu mecum cohærent, & à me separari nequeunt: quæ ad posteriorem verò spectant fieri possunt vel omitti; quanquam fauente Deo sperem eorum tædio nunquam me captum iri.

Priora igitur ea sunt, quæ Deus in vos per me contulit beneficia: quibus ego (mihi credite) vestri boni quàm mei honoris aut commodi gratiâ magis soleo gloriari.

Inter illa autem munera, quæ vnà mecum ad vos misit diuina benignitas, primum sibi locum vendicet Pax hæc æterna cum omnibus vicinis gentibus. Mihi in Deo gloriari liceat, quòd nemini vnquam fecerim, à nemine acceperim iniuriam. cum omnibus Christianis Principibus & Rebuspub. fœdus amicitiæ hactenus colui. & quam indiuidua mihi comes Pax data sit, vos ipsi, quos longo & difficili bello implicatos inueni, satis estis conscij. Meo aduentu disparuerunt arma, infestíque animi constantem in gratiam redierunt: quæ certè non minima est Christianæ Reipub. fælicitas. Pace enim vrbes florent, mercatores ditescunt, negotiatio crescit, & publica ciuium securitas: quum sine periculo, aut remora quisque suum viuendi sequitur institutum. non quod ita alligatam mihi pacem existimem, vt mihi vobisque propriam perennemque spondere ausim: sed in hoc meam vobis fidem possum obstringere, nunquam à me fore primam amicitiæ publicæ rupturam. Nulla mentis meæ perturbatio aut ira efficiet, nulla priuata iniuria, vt aurei huius sæculi cursum vobis interrumpam: tum demum paci nuncium mittam, cum honos Reipublicæ læsus, aut imminens periculum bellandi necessitatem imponet. quibus temporibus turpi paci præstant honesta arma, & sagum toga securius habetur. eam tamen mihi creat fiduciam præteritæ pacis experientia, qua me Deus vsque ab incunabilis beauit, vt de eius benignitate in posterum nullus dubitem: dulcè pacis donum in me porro conferret, nec bonitatis suæ pœnitentia capietur: quamque olim sententiam de suis ex bello victorijs vsurpauit Dauid, eam ego ad pacem meam transferam nempe, *eundem Deum; qui me ab hiante Vrsi & Leonis rictu expedijt, eosque mihi tradidit; nunc quoque ex incircumciso illo Philistæo mihi daturum spero victoriam.*

Etsi autem ingens sit externæ huius pacis beneficium; tantum nihilominus cedit internæ, quantum bellis ciuilibus atrocitate & fœuitia

læuitia cedunt externa. Secundum itaque diuinæ liberalitatis pignus, quo meum aduentum vobis commendauit, est hæc ipsa interna pax; & quidem, si rectè expenditis, gemina. In primis enim per rectam illam ab Henrico septimo stirpis meæ lineam Rosarum vnio, quam illj Regj fæliciſſimæ memoriæ acceptum ferre oportet, in me redintegratur. eo etiam authore alterius pacis, de qua mox dicturus sum, fundamenta iacta sunt. Ciuilis belli inter familias Eboracensem & Lancastrensem tam lamentabilis & recens fuit calamitas, vt vestras hîc refricare memorias nihil opus sit. Sedata fuere in illo omnia, in me firmata; in illo vnio animorum facta est, in me refecta. Ego ex illa beatissima coniunctione genus legitimum, rectaque linea, traho; necnon sæpe ante ex vtriusq; familię stemmate. Sed hęc ipsa familiarũ vnio cum duorum veterum illustriumq; regnorũ vnione nihil habet cõparandũ, quæ altera est interna pax in me coalita, mihi adhęrescens.

Et hîc vestra mihi patientia pauxillum exoranda est, vt beneficia illa, quæ in meo vnita sanguine in vos redundant, paulò articulatiùs commemorem: siquidem meum est de ijs dicere, in quo, vt in capite, vastj huius corporis membra concrescunt. In primis, si supra naturam & rationem humanam non attollas oculos, facile tamen ex hac vnione totius Insulæ commoda perspicias. nam si validus est è viginti millibus exercitus, nonne erit duplo validior è quadraginta? Nunquid Baro qui prædiorum possessiones geminauit duplo ditatus est? Scimus docente natura ex atomis constare vastos montes, & quæ nunc ingentia regna sunt prius fuisse in exiguas dominationes diuisa, tyrannis vt poterant occupantibus vrbeculas aut pagos, quibus parj iure inter se coeuntibus successu temporis factæ sunt Respub. & aspirante Deo Monarchiæ, satis validæ vel vt hostibus, duce Rege, obuiam irent; vel domj ciues suos in officio continerent. An nobis excidit Angliam olim, exempta Cambria, subditam fuisse heptarchis? an nescimus heptarchiarum vnione vires eius septies geminatas? quis nescit Cambriæ coniunctione ingens accessisse rebus vestris præsidium? quę licet satis potens antea fuerit & valida Respublica, cum veterj tamen & illustrj Scotiæ regno conferrj non potest? Sed quorsum opus est naturalibus niti coniecturis, quum diuina prouidentia ita iam olim constitutum sit? Nonne linguæ & religionis & morum vnio cælesti benignitate jam conciliata est? Nonne sedes ambabus gentibus facta est eadem Insula, eodem marj circundata, & ita difficulter diuisa in duo regna, vt qui ad limites vtrinque coluerunt vix terminos vtriusque internoscant? non mare interluit, non ingens fluuius dispescit, non montium prærupta aut alia naturæ diuortia discriminant, sed exigui riuulorum cursus, sed vallorum incerta rudera, &, vt semel dicam, facilius est cogitatione quam reipsa terminos iltos describere, nunc omnino

omnino indiuiduos & confuſos; vtriuſque regni iure poſt legitimum tempus in me deuoluto, in quo Regius vtriuſque gentis ſanguis coaluit. Nunc huius Inſulæ paruus orbis, naturali Oceani foſſa à magna diuiſus, aduerſus quamcunque exterorum vim validiſſimè munitur, & prior ille huius gentis pauor hac vnione requieuit. Nam Septentrionalis Inſulæ pars non modo huius Reipublicę hoſtibus ſtatio fuit & portus, ſed eorum conſilijs & illecebris in ditiones veſtras excurrebat prædabunda, & importunis aggreſſionibus vos à veſtris, quas in manibus habebatis, retrahebat victorijs, vt veſtras fortunas vxoreſque & liberos domi defenderetis, & Scotię, vt tum temporis dicebatur, poſticam relinqueretis ſecuram: qua nulla maior Angliæ Regibus maioribus meis illuſtrium victoriarum remora iniecta eſt. Igitur, *quæ Deus coniunxit, homo non ſeparet*; Ego maritus ſum, coniux mea eſt hæc Inſula: ego caput, illa corpus: ego paſtor, illa grex. Spero neminem eſſe ita à ratione auerſum, qui me Chriſtianum Regem & ſub Euangelio natum velit eſſe polygamum, duarumque vxorum virum; aut caput vnum corpori diuiduo aut monſtroſo annecti; aut formoſi pecoris cuſtodem, cuius ouile quadruplicis Oceani macerie cingitur, bipartito præeſſe gregi. Sed vt mihi perſuaſiſſimum eſt neminem inueniri meorum ciuium, cuiuſcunque demum ordinis, cui de beatiſſima hac vnione idem mecum non oboriatur gaudium; ita certum eſt friuolas eorum hominum rationes facillimè diſſolui, qui id nunc eunt impeditum, quod Deus in me iam conſummauit. Hi ſunt homines aut inſcitia cæci, aut malitia peruerſi, aut, cum in pacata beneque inſtituta Republica viuere deſperent, nouarum rerum ſtudioſi. Nam ſi dignitatem ſuam & priuilegia obtendant, nonne, obſecro, vtriuſque gentis regimen ſemper fuit monarchicum, vbi corpus ſine capite cui ſemper adhæret æſtimari abſurdum eſt? quemadmodum igitur vtriuſque gentis honor, & priuilegio à Regibus ſeparata nunquam erant; ita nunc in me, vtriuſque capite, iſta omnia iure ſuo cenſentur vnita. Nonne enim, dum in heptarchias diuiſa erat Anglia, neceſſe erat vnam partem ab alia exedi, donec omnes coaluere? An tamen Wiltonij, aut Deuonij, & cæteri Saxones Occidui dicti, quorum regnum maxime diuturnum, cætera ferè contriuit, Eſſexijs, aut Suſſexijs, alijſue Angliæ populis in ditionem ſuam redactis de prærogatiua loci hoc tempore intentent litem? Nonne idem in Gallia vſu venit, olim in Ducatus diuiſâ, nunc vnius regni iure contentâ? Nam vt minores fluuij in maioribus amittunt nomen, & eorum vis omnis cum appellatione perit in Oceano, ita, minutis Dominationibus in maioris regni potentiam coeuntibus, omnia quæcunque priuata diſcrimina & quæſtiones abſorbentur. Quod ſi Saxonum regnis Bellonę haſta in vnum compulſis ita fauerit fortuna, quem niſi fæliciſſimum his duobus ſucceſſum pollicebi-

pollicebimur ſponſali Aſtreæ annulo conciliatis? Et cùm Deus Opt. Maxim. Scotiæ, Britanniæ dimidio, cunas meas & priorem deterioreḿque vitæ meæ partem, vobis autem poſteriorem melioremque conſecrarit; neminem mihi adeo iniurium fore ſpero, qui mihi mei dimidium cupiat auulſum. Sed de hac re ſatis, cùm ſciam omnes votis animíſque huic ſermoni applaudere.

Quanquam autem hæc externæ internæque pacis beneficia ingentia ſunt; quia tamen in rebus bonis, ſi diuturnæ non ſint, ipſa bonitatis æſtimatio minuitur, diuinæ benignitati inſuper viſum eſt non orbum me ad vos mittere, ſed bonæ ſpei prole auctum; vt perennet ius illud, quod in me contulit, & ſub poſteris meis vnionem illam & pacem, quæ mecum in hanc terram inuexit, propaget in ſæcula.

At neque vtraque hæc pax, nec commoda ex vtraque nata, nec ſpes perpetuitatis in ſobole idoneum eſt imbecillitatis humanæ fulcrum, ſed fragilis putriſque arundo, niſi Deus benedicendo robur addat donis ſuis & æuum. *Fruſtra enim vigilum excubiæ, ni Deus ſit vrbis tutela: Fruſtra domus ædificatur, ni Deus ſucceſſum indulſerit; Fruſtra plantat Paulus, aut irrigat Apollos, ni Deus dederit incrementum.* Humana omnia tranſeunt vt vmbræ, marcent vt flores, præteruolant vt paleæ, ni Deus vero ſui cultu, & ex eo nata vitæ ſanctimoniâ Regum ſceptra fuerit tutatus. Et quanquam à meo introitu non ſemel Eccleſiaſticos viros ipſe conuenerim, & meam de religione ſententiam edictis ſæpe publicarim, volo tamen in hoc ampliſſimo conſeſſu vobis animi mei nonnulla recludere arcana. Nullo enim vnquam tempore erubeſcam religionem profiteri, ne Deus erubeſcat coram hominibus & Angelis me agnoſcere: quod eò nunc facio libentius, ne qui fortè, eius rei ignorantiam prætexentes, importunitate ſua huic noſtro conuentui moleſti ſint. Aduenienſ, vnam in Anglia religionem publicam & probatam lege, quam & ipſe profiteor, offendi: at altera in eius viſceribus latere mihi viſa eſt, præter ſectam quandam occultam. Prima vera eſt & orthodoxa religio, quæ mihi ſemper cordi fuit, & iure regni meruit ſola obtinere. Secunda eſt quæ iniuſtè nomen vſurpat Catholicæ, cùm ſit Papiſtica. Tertia, quæ magis ſecta eſt, quam religio, Puritanorum eſt & Nouatorum, qui non tam fide diſtinguntur à nobis, quam politiæ ſpecie; nempe ochlocraticæ paritatis ſtudio, & poteſtatis ſuperioris impatientiâ, præſentíſque Eccleſiæ regiminis odio. vnde fit, vt in bene conſtituta Republ. intolerabiles ſint. qua ratione erga hos me geſſerim ex meis edictis ſatis conſtat. Ad Papiſtas quod attinet, multum ſane differt fides mea, & via ſalutis propriæ, à publica illa regiminis & politiæ formâ, quam boni publici cauſâ ſtatui obſeruare. Fides mea vobiſcum eſt communis,

nis, & hîc caput habetis corpori consentiens. nec sanguine vobis hospes sum, nec religione. licet autem hæc mea professio educationi quoque respondeat, cuius beneficio (sit Deo gratia) vna cum nutricis lacte lac cælestis veritatis suxi, nunquam tamen (mihi credite) vel constantiæ studio, vel præiudicio animi in ea hactenus pertitissem, nisi & rationi & conscientiæ inueniſſem [illegible] consonam. At in religione violentiam & peruicaciam semper fugi. Romanam Ecclesiàm Ecclesiarum agnosco matrem, erroribus tamen & corruptelis inquinatam, quales erant Iudæi cùm Christum crucifigerent. & quemadmodum ægrotantis vitæ infestus non est, qui cacochymiam iubet expurgari; ita nec Romanæ Ecclesiæ hostis sum, cum volo eiurari errores. nolo templum destrui, sed sordes euerri. nam qua fronte iubeant nos ingredi, si domum suam nolint prius mundari? Ego nullius boni causa meam ipsius conscientiam, in re quantumuis exigua, vnquam læderem (nec enim hoc scrupuli genere Puritanorum districtissimo olim cessero) nollem tamen ad meas opiniones omnia subditorum trahi corpora simul animasque; displiceret mihi coacta illa Reipublicæ facies. ab acerba ciuium vexatione, & conscientijs hominum nexu & mancipio mihi vendicandis tantum semper abhorrui, vt eorum onera, quantum per leges & tempora licebat, leuauerim, nedum vt cum Roboamo auxerim. quod spero illius religionis sectatoribus post meum aduentum reipsa compertum. Et hoc ipso tempore in legibus contra eos latis relegendis examinandisque curiosior fui, vt in hoc conuentu deliberetis, quo demum pacto rationis luce (quæ legis anima est) dubitatio omnis tolli possit, si forte seuerius quam legislatoris mens erat, hæ leges a Iudicibus fuerint exercitæ, aut ita conscriptæ vt insontibus pariter ac sontibus noceant. Ego sectatores illius religionis, mihi subditos, in duo prima genera distribuo Clericos & Laicos: & hos quidem propter cæcam, & implicitam fidem, solius Ecclesiæ authoritate nixam, magis censeo excusandos, qui doctorum suorum erroribus affines censeri nequeunt, nisi omnia crediderint quæ illis libet affirmare. horum alij moderati sunt & pacis publicæ amantes, qui iam vel senio confecti leuitatis aut incuriositatis notam metuunt, si à teneris hausta eiurent superstitionem. vel iuuenta floridi, qui prauæ educationis vitio eo veneni genere pro lacte nutriti sunt. Ego auctor non essem vt mentis errores, quos diuinæ emendationi par est commendare, luant corporibus. Quod ad factiosos illos, qui aut rerum nouarum studio, aut priuata indignatione ideo facti sunt Apostatæ, vt seditiones concitent, aut Rempublicã turbent; eorum in religione peruersitas magistratum publicum vel nolentem excitat, vt quid agant diligentius obseruet, & peruicaciam coerceat. De clericis vero hoc sine circuitione eloquar ni duas res,

quarum

quarum alterã docent, alterã faciunt, prorſus eiurarint, meritò ex hoc regno exulare. Docendo, faſtuoſum illud Romani Pontificis primatũ citra modum extollunt: illũ non modo eſſe Chriſtiani orbis ſpirituale caput, verum etiam (*ſi Dijs placet.*) in Reges & Imperatores poteſtatẽ habere ciuilẽ planè, & imperatoriã, vt coronas Princip. pedibus conculcet, deq; omnib. regnis & imperijs pro libito ſtatuat. faciendo autẽ, publicũ merentur odiũ, dum ſua aut aliena manu Reges occidũt, ſibiq; laudi ducunt, quòd in ſuos quoq; Principes, Pontificio damnatos anathemate, nihil hoſtile omittũt; ſubditos ab omni fidelitatis ſacramento liberant, & regna [illegible] Monarchæ vel monſtro potius ipſorum capiti, in iuſtam prædam exponunt. Pluribus hic opus non eſt: vtinam niueus ille dies mihi luceat, quo omnes Chriſtiani poſita pertinacia ab extremis recedant, & in medio, perfectionis centro, dextras coniungant; nihil mihi prius foret vel antiquius, quàm beatiſſimæ illius vnionis membrum cenſeri. Certè ſi recentia illa & craſſa commenta quæ nec ipſi poſſunt tueri, & corrigi oportere non negant, tandem aliquando pudore abijcerent, & nouitatis ſtudium hinc indeque ponerent, non dubitarem ego in media via illis occurrere. Nam vt fides mea verè antiqua eſt, Catholica & Apoſtolica, Sacris literis & expreſſo Dei verbo fundata; ſic in rebus ad politiam Eccleſiaſticam ſpectantibus antiquitatem in primis reuereor: qua ratione ſatis mihi cum Deo cauebo, ne vel in fide hæreticus, vel in politia ſchiſmaticus iure videar. Vnum tamen cuperem Papiſtas noſtros monitos, ne ex mea lenitate, quia Perſecutoris nomen fugio, ius ſibi aliquod datum putent, vt numerum ſuum apud nos augeant, aut partes confirment, quaſi, quod me regnante deſperent, ſuam ſub poſteris meis religionem reſtituendam ſperarent. ſciant me ſibi, ſi bonos ſe ciues gerant, hoſtem non eſſe, at eorum erroribus capitales iam olim denunciaſſe inimicitias. Dolerem ſi malis moribus ſe meo præſidio facerent indignos: cæterum peruerſas eorum opiniones, quantum potero, conabor exterminare. Ego ſi eorum religionem paterer repullulaſcere, meipſum in primis proderem, & conſcientiam meam: deinde totius Britanniæ libertatem, reducto acerbæ ſeruitutis iugo, quod ante me excuſſum erat; ſceptri denique, quod ego à maioribus meis ſeruitute vacuum accepi, proderem apud poſteros meos, libertatem. Bonis igitur ciuibus hac ſuperſtitione circumuentis conſilium meum impertiar: ſi quem in ſeipſis ad veritatem ſentiant inſtinctum, eum omni opera foueant, neu gratiam in cordibus ſuis occultè operantem patiantur extingui: ſin nullius interni motus ſibi conſcij ſint, legendo inquirant verum, ſtudioſéque cum doctis conferant, omnia denique experiantur, quibus ad veram animi tranquillitatem perueniant. qui religione à nobis diſtinguntur, dimidia tantum ex parte ſubditi ſunt: & qui meliorem ſui

partem

partem, animam nobis ſubtrahunt, dimidiatum tantum nobis obſequium præſtant. Hic res ipſa me monet, ad vos, Domini Epiſcopi, ſermones conuertam: doctè à Dunelmenſi hodie pro concione dictum eſt, pœnam ſine inſtitutione tyrannidem eſſe; & ſanè veſtrum eſt, totiuſque cleri vobis ſubditi, maiore paulò cura incumbere, vt partim vitæ veſtræ exemplo, partim doctrinâ animas Deo lucrifaciatis. Videtis hoſtium veſtrorum ſollicitudinem, qui labores omnes moleſtiaſque & pericula inſuper habent, dum hominum animas auertant à vero: tam ſedulum agit Diabolus Epiſcopum. Vigilantiores igitur eſtote in veſtro munere; & ex Diui Pauli præſcripto oportunè, importunè, inſtruite, monete, quodque antehac negligentiâ peccatum eſt, nunc noua reſarcite diligentia: ſucceſſum commendantes Deo, cui vt æque accepti ſunt qui diuerſis vocantur horis, ſecundâ, tertiâ, decimâ, duodecimâ, ita & mihi erunt, eius in hoc regno Vicario.

Tertia ratio ordines regni conuocandi, quæ ea in vos gratitudinis meæ opera continet, quæ fieri poſſunt aut non fieri, ſine tædio tamen (volente Deo) dum vixero à me fient, in duobus poſita eſt, nimirum ſanctione legum, quod tantum in conſentu ordinum fieri poteſt, & ſedulo legum exercitio, quod nullo non tempore faciendum eſt. In legibus ferendis hoc vobis ſanctè promitto nunquam mihi meum bonum prælatum iri publico. cùm fælicitatem Reipubl. qua in re iuſto Regi Tyrannus è diametro opponitur, ſummam mihi in terris ſemper duxerim fælicitatem. Vnum verò eſt, quod vos hic moneam, ne multas hoc tempore ſanciatis leges: primò, quia in corruptiſſima Republ. plurimæ ſunt; & præſtat paucas bonas bene exercere, quam hominum memorias numero onerare: deinde ſi multæ vno in conuentu rogandæ ſunt, ſingulis ritè examinandis tempus non ſufficiet, & naſcetur ex multitudine confuſio. Bene monuit hodie Epiſcopus, deliberandum eſſe diu quid ſtatuas, at faciendum celeriter, quod ſtatuiſti. Ad leges verò exercendas prudenter & magnificè, à maioribus meis, idoneis in locis magiſtratus & iudices inſtituti ſunt: ad quos vt aures & oculos meos me conuerto. Nihil vobis dico, niſi quod Ezechias Rex Iudæ ſuis: *Mementote thronos, quibus inſidetis, nec veſtros eſſe, nec meos, ſed Dei*: vt mihi à vobis reddenda ratio eſt muneris veſtri, ita ab vtroque noſtrum reddenda eſt Deo. Non veſtris affectibus ille locus datus eſt, ſed iuſtitiæ: illîc ab amore & odio vacuos eſſe oportet, nec metuere offenſam potentiorum, nec tenuiorum res afflictas miſerari: atque adeo, ne perſonarum videatis diſcrimina oculis eſſe captos; manibus verò, ne munera accipiatis; in omnibus cauſis medium illud prementes, ipſum Iuſtitiæ centrum, vt lances pendeant in æquilibrio, neutrâ ſurſum deorſumúe nutante. Tria præcipuè ego à vobis requiro, cognitionem, for-

Digitized by Google

fortitudinem, ſynceritatem ; primum vt æquum decernatis, ſecundum vt decreta præſenti animo peragatis, tertium vt ſyncerè & candidè vtrumque faciatis. Quod ad me ipſum attinet, coram hoc ampliſſimo conſeſſu ſanctè polliceor nihil omiſſurum me, quod ad leges exercendas faciat. & vt vobis veſtra munia ſine tædio ſuadeo obeunda, ita (quod mei proprium eſt officij) nunquam me tædebit rationem à vobis exigere.

Hactenus tres illas conuentûs indicendi cauſas explicui, omnes in hoc quidem conſpirantes, vt gratitudinem meam vobis exhibeant, ſed alia atque alia ratione; primam quidem verbo, poſteriores duas opere. iam peractis quæ in hac oratione promiſi; fateor (quod in Sacris dicitur) ſeruum me eſſe inutilem. vt enim, cùm Deo ſeruiuimus quantum in nobis eſt, nihil fecimus niſi quod ex officio nobis faciendum erat, qua ratione inutiles eo loco dicimur: ad eundem modum, cùm me vobis totum impendi, nihil niſi debitum præſtiti; Deo etiam vindice, ſi quid contra fecero. Non me latet præcipuam hanc eſſe Regis & Tyranni differentiam; quòd hic populi corpora, & fortunas, & omnia ſuæ putat facta libidini: ille vero ciuium ſuorum bono ſe natum æſtimat, eorumque proſpera ſummæ ſibi ducit fælicitati. Ego vobis opulentis pauper eſſe nequeo, nec beatis miſer, nec fortunatis calamitoſus, nec ſecuris anxius. quod autem ſeruus haberi debeam, longe eſt veriſſimum. Sicuti enim ſingulorum, & hominum, & ordinum præſes ſum, rectorque, & caput, cum auctoritate omnibus imperans, vt ſubditis: ita ſi in vnum corpus populum collegeris, tum profiteor, vt caput gratia corporis factum eſt, non corpus gratia capitis; ita Regem populo natum eſſe, non populum Regi. Quanquam enim Rex & ſubditi ſint relata; Rex tamen abſque populo eſſe nequit, at ſine Rege eſt populos inuenire. ego nunquam erubeſcam magnus ille Reipub. haberi ſeruus, cui nihil vnquam in hac vita, bono publico, carius aut beatius contingat.

Quum autem promptitudinem illam & vnanimem conſenſum, quo in eum me recepiſtis locum, quem mihi diuina præparauerat benignitas, non horum aut illorum beneuolentiæ adſcribere oporteat, ſed omnium: nemini certè peculiari iure à me debetur gratia, ſed omnibus. Nam vt in delictis, quod à multis peccatur, impunè peccatur; ita eius, quod omnibus conſpirantibus bene factum eſt, nemo ſibi gratiam priuatim vendicet. Vnde, quòd eorum, qui à me præmia expectabant non omnium ſatisfecerim votis, perfacilis mihi apologia eſt. Ex quo regnum hoc inij peti à me ſolebat aut dignitas in Republica, aut officium in mea familia, aut prædiorum aliarumue rerum commoda. ſi cunctis mandaſſem honores publicos, mandaſſem nemini. nec enim aliter conſtant honorum gradus, niſi

Digitized by Google

quorundam præter cæteros ratio habeatur. omnes verò in conclaue aut cubiculum admittere fruſtra tentaſſem, cum neutrum ſit omnium capax. ſi prædiorum aliarumque rerum præmia, omnibus vulgaſſem, exaruiſſet liberalitatis meæ fons, nec iam ſuppeteret quo quenquam munerarer. Non tamen (vt ſpero) ita parcus fui horum trium diſpenſator, quin tam exiguo tempore pluribus notam fecerim liberalitatem meam (quod ſine iactantia dictum velim) quàm vllus ante me Regum Angliæ. Quin potius veniam tantæ munificentiæ à vobis peto. nam, regni patrimonio diſſipato, ciuibus meis grauis eſſe cogerer; quod ego omnium Regum inuitiſſimus facerem. quanquam enim (vt modo dixi) non ſinguli fuerint, ſed vniuerſi, qui de me bene mereri ab initio ſtuduerunt; erant tamen qui ratione officij, aut gratia ad populum, aut aliqua alia de cauſa & ante & in ipſo aduentu meo conati ſunt ſui in me armoris aliquod edere documentum. non quod ego vllus dubitem, quin alij, ſi eorum tenuiſſent locum, mihi eundem præſtituri fuiſſent affectum (tam concors erat aduentanti omnium applauſus) veruntamen, quando hæc mihi beneuolentia à certis hominibus delata eſt, eos ſine ingratitudinis nota negligere non potui. quoſdam igitur ad publicos honores euexi, quoſdam in familiam recepi: partim vt bene meritos, ſed tenues, viribus inſtruerem ad prouincias obeundas, quarum à me cenſebantur capaces: partim vt nihil meritos, ſed honore dignos auxilio meo, ſine quo honorem mandatum gerere nequibant, non deſtituerem. Duæ me præcipuæ cauſæ munificum fecerunt, altera honeſta & cum ratione coniuncta; altera (nec pudebit fateri) ex mea orta infirmitate. Pati enim non potui, quin, toti ſic deuinctus Reipublicę, ex beneficientiæ fonte quoſdam riuulos emitterem, ad eius partes irrigandas, ad eius membra recreanda, fouendaque: & hæc honeſta fuit ratio. Altera meæ imbecillitati imputanda, numerus erat petentium & petendi importunitas. Ratio nobis infunditur, ſed experientia tempore & labore acquiritur; quæ me hanc donandi facilitatem dedocebit, & patrimonio meo & (quod inde efficitur) regno damnoſam; quæ res etiam ciuibus meis perſuadebit aliquando, vt hanc petendi importunitatem dediſcant. Indicatis igitur cauſis, propter quas hunc conuentum indixi, nihil aliud videtur ſupereſſe, niſi vt vobis me purgem, ſi in mea oratione non inueneritis, quam fortaſſe expectaſtis, facundiam. Poſſem hic negotiorum quibus diſtrahor grauitatem & aſſiduitatem obtendere, per quæ non licet de dicendis cogitare antequam ad locum dicendi veniam. Poſſem etiam ea impedimenta caulari, quæ mihi ex primo huius ampliſſimi conuentus aſpectu naſci potuerunt: ſed his miſſis, cauſam eius rei non minus ingenuè quàm liberè vobis expediam. Ego in ea ſemper mente fui optimam Regis eloquentiam eſſe ſimplicitatem,

Digitized by Google

tem, & candorem. nam ſermonem regium ambiguum aut perplexum eſſe non decet, vt inſtar veterum oraculorum, quæ à Dijs edebantur, in contrarios ſenſus rapi queat & diſtrahi, & hæc eſt ſimplicitas. Candoris nomine generoſum illud honeſtum intelligo, quo eius orationem vitamque omnem incoctam eſſe oportet; vt quantum dignitate reliquos ſupereminet, tantum etiam candore præcellat, & linguam faciat veracem mentis nunciam. Hoc autem facundiæ genus iugiter à me expectabitis.

ORATIO

HABITA

IN CONVENTV ORDINVM

EX ORE DICENTIS

QVANTVM POTVIT FIERI

VERBATIM EXCEPTA.

PAtres, Proceres, Equites, Ciues, huius ampliſſimi Concilij; Res, de qua nunc apud vos dicturus ſum, mihi nihil eiuſmodi cogitanti, paulò antequam ad vos accederem, oblata eſt. Ita accidit, vt, qui in præcedente conſeſſu præcipuam dicendi materiam mihi propoſuerim vobis & Reipub. quam repræſentatis gratias agere, quòd me in ſolium diuina benignitate ſanguiniſque & naturæ iure debitum mira & incredibili alacritate receperitis; nunc neceſſe habeam longè ampliorem gratiarum agendarum materiem ſuſcipere, quanto nimirum vobis altior eſt Deus ille Opt. Max. qui hoc tempore mè, & vos, & Rempub. à præſentiſſimo internecionis periculo admiranda bonitate liberauit.

Quare ſermonis initium mihi erit vetus illud diuinæ veritatis oraculum *Miſericordia Dei ſupra omnia opera eius.* Neque enim ex creato mundo tantum ſplendoris acceſſit diuinæ gloriæ, quantum ex redempto: neque microcoſmi generatio, in primo Adamo, iuſtitiam & miſericordiam diuinam ſic extulit, vt eiuſdem regeneratio, in ſecundo. Nunc verò liceat mihi veſtra bona cum venia (quando Dei nomen Regibus vt Vicarijs ſuis Deus ipſe tribuit, eiſque diuinitatis ſcintil-

Digitized by Google

ſcintillas aliquas inſeruit) aliquantum immorari in collatione Dei operum erga vniuerſum orbem, cum ijs, quæ tum in me, tum in paruum hunc dominationis meæ orbem, à reliqua terra Oceano diuiſum, exeruit. Vt enim in prima ætate mundum ſcelere & flagitio luxuriantem, Dei filijs hominum filias depereuntibus, quum impietatis omnigenæ cumulus ſummum apicem attigiſſet, aquarum diluuio mundum immerſit Deus, non vt abluerat, ſed vt diſſolueret, vno Noacho cum familia excepto, qui Dei minis perſuaſus fide & pœnitentia commune periculum declinauit. Eodem modo in hoc mundi veteraſcentis ſenio, vbi nequitiæ & deploratæ in Deum hominesque perfidiæ nihil deerit, Deus pœnas iterum ſumet de mundo, non aquis vt olim, ſed igne; nec vt expurget, ſed conſumat, illis tantum exceptis, quos fides ſubtrahet exitio, & labe purgatos ſaluti vindicabit. Gemino huic rerum omnium exitio aſſimilare mihi liceat duos illos nefaſtos dies, in quibus & mihi & vobis huius parui orbis incolis, quorum mea ſalus maximè intereſt, Deus minitatus eſt interitum. Tametſi enim omnes homines & in primis Reges, velut celſæ arbores, aut ſcopulorum montiumque ardua, innumeris viuant expoſiti periculis, quibus & ipſe ego ſi quis Regum alius inde vſque à tenerrima ætate, & priuſquam ex matris vtero prodijſſem, fui obnoxius; inter omnia tamen diſcrimina quæ pertuli, duo præcipua & maxima fuere.

Prius in patrio meo regno contigit, vbi vitæ meæ prior pars tranſacta eſt, poſterius, quod & atrocius, hîc inter vos. in priore baptizandus eram meo ſanguine; nec tantum in præſens ad populares meos, ſed in futurum ad vos quoque peruenisſet mei interitûs ſenſus. Ereptus ſum tamen ſingulari Dei munere è faucibus mortis, à mucrone pugionis; vt tantum beneficium agnoſcerem, & velut è fornace exploratior exirem. Poſterius autem, quod nuper adeo contigit, quo non mihi tantum, ſed vobis quoque omnium ætatum & ſexuum & ordinum promiſcuo exitio pereundum erat, non infamia ſanguinis, ſed fragore, flammâ, & ſulphure, à quo tamen diuina clementia nec ſine miraculo omnes incolumes facti ſumus. Quid hic loquar neſcio, immo potius quid non loquar? cum horrore animi illud Poetæ vſurpandum eſt —— *vox faucibus hæret.*

In hac autem dira & tartarea machinatione, qualem nulla nouit hiſtoriarum memoria, tria admiranda, vel prodigioſa potius obſeruo; atrocitatem ſceleris mauditam, cauſam eius audendi leuiſſimam, rationem detegendi inexpectatam.

Ad primum quod attinet, nemo vnquam ſatis miretur infandam huius machinationis ſæuitiam, non ſolum in vitam meam, vxoriſque, & liberorum, verumetiam ad Reip. interitum, ad patriæ vaſtitatem, qua

qua vniuerſis pariter erat intereundum ſenibus, infantibus, iuuenibus, nobilibus, ignobilibus, viris, fœminis. deſignabantur ad perniciem maior nobilitas cum clero, Epiſcopis nempe & potiore concionatorum parte, tum equites cum minore nobilitate, quin &, qui in hoc cœtu futuri erant Pontificiæ ſuperſtitionis fautores, communi fato inuoluendi erant, omnes præterea Iudices cum Iuriſconſultorum maxima parte & ſcribis. Ideo verò in hac curia tam atrox ſcelus patrandũ erat (quemadmodũ ipſe iam in carcere incendiarius fatetur) vt quo in loco aduerſus ſe & ſuam religionem duris (vt aiunt) legibus ſæuitum erat, ibi homines & parietes ipſi vindicibus flammis ſimul & ſemel tanquam fulmine diſploſi è medio abolerentur. Porro videte mihi trucem exequendi facinoris modum. Mortis per vim illatæ tres omnino ſunt differentiæ: prima cùm homo hominem interimit; quod genus violentiæ minus in ſe habet terroris; vim enim vi licet repellere, & ſi iniuriæ arcendæ facultas deſit, quis ſcit an in animo aggreſſoris aliquem miſericordiæ affectum etiam in ipſo ſceleris articulo excitauerit Deus? vt plurimas omittam in eiusmodi periculo expediendæ ſalutis vias.

Altera violentæ mortis ratio priore crudelior eſt, quæ à feris animantibus infertur. vt enim minus mouentur miſericordiâ, ſic horribilius eſt in eorum furorem incidere. Fieri tamen interdum ſolet, vt vi oppoſita prohibeantur, vel aliquo clementiæ affectu feritatem remittant, vt Leones erga Danielem antro ſuo inclulum, vel grati ille animi Leo aduerſus Romanum ciuem, pro beneficio accepto, vitâ redonatum.

Tertia & omnium ſæuiſſima eſt à rebus inanimis, & inter has ab aqua & igni, & è duobus hiſce elementum ignis furioſius eſt & implacabilius.

Alterum eſt quam leui vel nulla potius cauſa ad hanc tragœdiam agendam hi artifices prodierint. Nam ſi patrimonia decoxiſſent, vel contumelia aliqua irritati fuiſſent, deſperationi imputari poſſet hoc inceptum, vel vindictæ. At enim (vt de me loquar) vix vllum eorum, ne de facie quidem, noui, neque ipſi vel ſpeciem vllam iniuriæ obtendere poſſint; & ipſe furcifer iam comprehenſus ingenuè fatetur neque ſe, neque ſocios ad hanc mentem vllâ aliâ causâ compulſos fuiſſe, præterquam vno & ſolo religionis ſuæ ſtudio. Mirum & illud eſt, homines (nomine ſaltem) Chriſtianos, & indigenas & Anglos, è quibus vnus peculiari ſacramento in honorato officio mihi obſtrictus erat, ſui Regis, regiæ ſobolis, patriæ, & Reipubl. internecionem eſſe machinatos. In hoc verò ſtupenda elucet cum malitiâ peruerſitas, quod ſacerrimus hic in vinculis nebulo, ad nullam aliam pœnitentiæ ſignificationẽ adigi potuerit, niſi quòd ob rẽ infectã deſijt pœnitere.

Ter-

Tertiò, non leuem meretur admirationem proditio coniurationis; quæ magis vos redderet attonitos, si æque vobis ac familiaribus meis meum notum esset ingenium. qui enim semper existimaui è tyrannorum morbis esse suspicionem, tantumque semper in contrariam illam, securitatis partem propendi, vt vel seriò admonitus omnem conspirationum metum procul reiecerim, in præsenti negotio tantum à me ipso mutatus fui, vt lectâ per Secretarium meum epistolâ, qua subiti ictûs periculum hoc tempore futurum indicabatur, statim animo conceperim sulfurei pulueris dirum & tremendum ictum designari: idque contra communem loquendi rationem vel Theologis, vel Iurisconsultis, vel denique Grammaticis vsitatam. Inde rem totam diligenti scrutinio volui explorari: statim in lucem venerunt insidiæ: minister etiam sceleris apprehensus est. quod si verba deflexissem ad aliud quoduis periculi genus, frustra in prudentia humana salutem quæsissemus.

Porrò, in eo mirabilis diuinæ prouidentiæ effectus apparuit, quòd vix dum è cella egressus est incendiarius ab incepto opere, quum deprehensus est vnà cum ignitabulo in pera, quo infernalem illum ignem susciteret: nec erubuit fateri sibi omnino constitutum fuisse, si paulò citiùs (in cella nempe) comprehensus fuisset, & se & suos captores eadem flamma, ijsdem ruinis obruere.

Ego autem in propria causa ingentes Deo gratias debeo; quòd si ob peccata nostra nefarios eorum conatus ad exitum perduci passus fuisset, intellexissent tamen posteri me vitæ meæ exitum inuenisse non in popina, non in lustro, non in alio infami hominum cætu: verum in ampliſſima illustrissimorum virorum corona, eoque dignitatis loco, vbi Regem esse ad obeunda regia munia imprimis decet; idque ad beneficij cumulum multum addit. quo magis nobis omnibus incumbit Deo sospitatori gratias agere, mihi autem præter cæteros, cui semel adhuc concessum est (quicquid postea de me fiet) vos in ampliſſimum hunc locum conuocare: vt vbi omnibus struebatur exitium, ibi ex omnium ore audiatur diuinæ laudis præconium, & mihi id de meis vestrisque hostibus vsurpare liceat, quod Dauid in Psalmo ait, *Inciderunt in foueam quam fecerunt.* Quum autem Romanus ille Scipio naturæ solo ductus lumine à Tribunoplebis post secundum bellum Punicum repetundarum accusaretur, iniecta subitò mentione de parta eo ipso anni die contra Hannibalem diuinis auspicijs insigni victoria actionem interrupit, & sic ciues omnes vltrò gratulantes, relicto tribunali, ad agendas Deo gratias in Templum deduxit: quanto iustius nos Christiani inæstimabile Dei beneficium gratis animis, & linguis hoc tempore & hoc loco celebrare debemus, etsi huius conuentus nulla alia foret occasio. qua in re si oratione magis

Theolo-

Digitized by Google

Theologica, quam fert loci huius consuetudo, vsus videar, res ipsa pro me loquetur. Cum enim pro inusitato clementiæ suæ & amoris pignore Deo gratiam redditurus accesserim, quo sermonis genere aptiore vti possim, quam ipsamet diuini verbi formula; vt clarius ex opposito eluceat tam Diabolicæ coniurationis turpitudo. quapropter vnde cæpit ibi desinat oratio, *misericordia Domini supra omnia opera eius.*

Superest vt paucis aperiam quid deinceps in casu tam inopinato ac detestando vobis agendum censeam. Scio equidem vobis omnibus, subditis meis, fidei & amoris integritate mihi probatis, vsque adeo animos pio huius negotij zelo ardere, linguas ita promptas esse animorum interpretes, manusque & pedes tam pronos esse amborum ministros (quo nomine neque incitandi à me, nec merita vestra laude fraudandi estis) vt forsan pietatis affectu in voces temerarias sitis erupturi, & ad eorum contumeliam, quos non attingit huius facinoris conscientia. Verum cogitate non sine meo dolore posse accidere, si quis innocens, siue alienus, siue domesticus, nominis aut rei detrimentum incurrat. Etsi enim negari non possit, quin auctores eo impulerit cæca superstitio & religionis erroneæ amor, non inde efficitur omnes Pontificiæ religioni addictos huic sceleri fuisse affines. quanquam enim satis constet nullam vnquam extitisse sectam, Mahumetana illa fuerit, Iudaica, Pagana, aut Calecutensis, vbi Diabolo defertur cultus, quæ licitum esse statuerit, nedum (vt Papistæ loquuntur) meritorium Reges religionis zelo occidere, Respublicas euertere: quanquam etiam in omni secta inueniantur fures, & homicidæ, & proditores, nullique vnquam ad supplicium perducti culpam à se in suam religionem reiecerint, præter hos Romanæ religionis cultores: non dubium tamen est inter Papistas quoque viros probos & honestos reperiri; qui etsi de præsentia corporis Christi, de numero Sacramentorum, alijsque eiusmodi Scholasticis controuersijs prauè sentiant, horrenda tamen illa & sacerrima Papatus dogmata, verum iniquitatis mysterium vel nesciunt vel non credunt. Quamobrem & Papistas maiores nostros, si qui sub vitæ finem in vnius Christi crucifixi merito spem fidemque collocarunt, fatemur æternæ vitæ factos compotes; & Puritanorum crudelitatem, qui omnes Papistas citra exceptionem ignibus adiudicant, flammis censemus expiandam. firmum apud nos maneat & indubitatum multos notæ probitatis homines papisticis deceptos erroribus integra esse in Regem fide, & amore. at nemo certa cognitione eius superstitionis principia intelligit, ijsque constanti fiducia adhæret, qui veri Christiani vel boni ciuis nomen tueri queat. Quantum verò ad exteros Principes attinet & Respubl. eo securiùs & ipsos, & eorum legatos, & ministros ab omni tam prodigiosi

digiosi sceleris conscientia absoluo, quo certius ex meo ipsius sensu de Christianis Principibus iudico, neminem eorum tam esse abiecti animi, vt de eiusmodi perfidiâ bene sentire aut possit aut velit. Vt igitur mihi cum omnibus Christiani orbis Regibus fælix & syncera intercedit amicitia (vt grauiter modo Cancellarius) sic & vos decet hac in re bene de illis iudicare, bene loqui. Ego quidem cum illo Philosopho pellucidas in meo pectore optarim ex crystallo fenestras, quibus meo populo nudæ animi mei cogitationes vel penitissimæ apparerent, tum etenim perspectum vobis foret nullam ex hoc casu in animo meo factam esse mutationem, nisi in hisce duobus: primò, quòd curam intendere & cautionem diligentiorem adhibere statuerim, vt vniuersæ coniurationis arcanum funditus explorem: secundò, quòd rebus maturo consilio expensis seuerius in reos & conscios decreuerim animaduertere. quod si subitæ dictionis tumultuario apparatu fortè fuerim vestris auribus importunior, cogitate, in subito atque inexpectato casu sermonis genus conuenire improuisum, & perturbatum.

Porrò, quòd conuentum hunc in post natalem Domini diem distulerim, duæ fecerunt causæ; nam nec mihi nec meis consiliarijs vacabat vtrumque negotium, & coniurationis & comitiorum, pro dignitate simul curare: & vestra omnium domi necessaria erat, ad muneris vestri functionem, præsentia. rebelles enim isti qui vniuersam penè huius insulæ gentem hoc tempore sperauerant delere, quo singuli ad negotia tum publica in comitijs; tum priuata in foro procuranda conueniunt, nunc procul hinc in agris cursitant, & tempus nacti quo non aliud erat ad fugam aut nequitiam oportunius, velut in solitaria & deserta prouincia grassantur. Fieri etiam potest, vt proximo consessu huius criminis arbitrium vobis deferam: Nam inaudito sceleri non vulgare debetur iudiciũ; quod illi in nos intentauerant; ipsi lege talionis sufferant: vt eodem in loco ijsdemque iudicibus, quibus exitium meditabantur, iustas prodigiosi parricidij pœnas luant. Sed quoniam nondum certò statui proximo Ordinum conuentui interesse (nam neque id nunc necesse erat, nisi quòd vnionis articuli, de quibus conuenit, hîc coram Principe & populo exhibendi erant) visum mihi est paucis apud vos de Comitiorum natura differere, quæ, memori in mente reposita, vobis dehinc vsui esse queant.

Quanquam enim, in primis statim post meam inaugurationem comitijs, me de vestris legibus & Republ. disceptare non decuit (omnis enim scientia aut diuinitus infusa est, aut studio acquisita, illa cum Prophetiæ dono iam pridem è terris abijt; hanc nouus hospes, vestrarumque rerum adhuc inexpertus, habere non potui) post triennalem nihilo-

Digitized by Google

nihilominus regni huius administrationẽ, tempus quidem alijs breue, Regi verò ad multarum rerum obseruationem idoneum, ea potui percipere, quæ ad regium pertinent officium: præsertim cum alio in regno, in quo leges obtinent vestris simillimæ, diu Regem egerim. Cæterùm quid de vnione & vltima Delegatorum sententia censendum sit, vestræ permitto prudentiæ: qua in re verè testari possum nihil à Delegatis statutum, quod non ex æquo cedat vtriusque gentis bono, & illi de mea sinceritate testimonium vicissim perhibebunt: tantum enim abest, vt me auctore quicquam statuerint, quod in huius populi detrimentum vergat; vt potius omnem eiusmodi Vnionem dissuaserim, quæ alterutri populo vel damnum vel offensionem crearet.

Quod verò ad hæc Comitia attinet, certum est nihil aliud esse quam supremum Regis concilium, eius iussu ad leges rogandas, abrogandas, explicandas conuocatum; vt sceleribus pœna, virtuti præmium decernatur. Quatuor hic summa capita consideranda veniunt; primum, ex quibus hoc Concilium constat; secundum, de quibus rebus hîc agi debeat; tertium, quis sit huius Concilij finis; quartum, quibus modis ad illum finem perueniri possit:

Ad primum quidem constat hic cætus capite, nempe Rege, & corpore, seu membris; Superiore scilicet & Inferiore domo. Superior Domus constat partem Nobilibus, quibus ordinis sui & dignitatis iure hæreditarius in hoc Concilio locus est; partim Episcopis, qui eo honore fruuntur ad vitam. Inferiorem domum constituunt equestris ordinis homines, missi è singulis Regni partibus, & ciues ex vrbibus & oppidis. Quorum numerus domi cùm sit innumerus, quidam ex omnibus electi ad Comitia mittuntur, totum ciuium, vnde electi sunt, ordinem repræsentaturi.

Negotia autem in his comitijs tractanda publica esse debent; & talia quidem, quæ non nisi in comitijs possent expediri: nec plura, quam ipsa iubet necessitas. Vt enim in corruptissima Republica plurimæ sunt leges, ita vis legum non est in numero, sed in recta earum interpretatione, & diligente obseruatione. Velim itaque vos cogitare non esse turbulentis & hîc temerarijs hominibus locũ, vt quicquid primo animi impetu concipiant, id statim sanciant lege: meminerint potius illam Spartanorum consuetudinem, vbi si quis nouam legem rogaret, prodiret coram populo collum laqueo circundatus; vt, si non probaretur quod rogaret, statim suspendio temeritatis pœnas lueret. Tanta est in nouis legibus proponendis cautio, præsertim amaris, & acerbis, vnde inter Regem & populum offensiones oriantur. Neque verò hic priuatis hominibus locus est, vt publicarum legum obtentu suis satisfaciant cupiditatibus, interdum cum vicinorum

Digitized by Google

rum ſuorum, interdum cum Reipubl. damno; qualia multa ſpecioſis nominibus concedi ſolent, & furtim obtinere, ideo tantum impetrata, vt aduerſario creetur noxa, aut publici boni ſpecie expiletur plebs, & paucorum loculis farciendis tributum omnibus iubeatur.

Quum verò germinus comitiorum finis ſit, Dei gloria, Regiſque & populi bonum; minimè hic decebit priuatos homines, proprijs ſenſibus addictos, vel curioſitatis nimium ſtudioſos, vel denique eloquentiæ laudem affectantes inutili elaboratę orationis ſtrepitu tempus terere. Si illis Dei gloria cordi eſt, Regiſque & patriæ bonum, hoc vanitatis genere erubeſcent; memores ſe Regi ſuo, cuius bono & patriæ omnem ſuam prudentiam debent impendere, eſſe velut ſacramento obſtrictos Conſiliarios.

Poſtremò, vt labores veſtros ad optatum finem fæliciter perducatis, meminiſſe oportet, vos à Rege huc eſſe conuocatos, vt in rebus ab ipſo propoſitis ſalutare conſilium exhibeatis; vbi vos maturo iudicio expendere, atque ex imo conſcientiæ ſenſu decernere oportet, quatenus illa & Principis & patriæ commodis, quæ ſeparari nequeunt, inſeruiant. Quod ad meipſum attinet, nihil (teſtor fidem) vnquam proponam, quod non æque in publicum vergat commodum ac meum, neque vnquam intercedam, ſi quid in Reipubl. cui natus ſum emolumentum à quopiam videro proponi. Vt verò ſententiam veſtram liberè dicere, ſic & proponere ex officio vobis incumbit, ſi quid re bene explorata ad fines iam dictos faciat, vel etiam ad latentes regni morbos Regi adhuc ignotos detegendos. Quòd ſi in hoc ampliſſimo loco tanta opus eſt grauitate, pudeat tandem homines leues oſtentandi ingenij cauſâ hic argutari, Principi & Reipub. detrahere, ſe inuicem ſubſannare: quæ omnia rectius in popinis & ganeis, quàm in Senatu tam venerando peragerentur.

Quando autem hic cætus iam nobis ſoluendus eſt, quotquot alicubi magiſtratuum munere funguntur hortatos velim, properè domum redeant, & perduellium conatus reprimant, eorumque corpora comprehendant. Eo in negotio vt proſperum à Deo exitum precor, ſic etiam rei fæliciter geſtæ nuncium non tardum, quin & vos ipſos cum publica omnium lætitia breui reuerſuros, expecto.

Hic poſtquam Cancellarius de Comitijs differendis paucula interfatus eſſet, Rex, ſermone reſumpto, ſequentia ſubtexuit.

CVm Deo ita viſum fuerit gemino Martis die, qui ſui menſis erat quintus, gemino me expedire periculo, vt inde diſcerem aduerſus

ſus eundem hoſtem Diabolum eundem mihi ſemper fuiſſe defenſorem Deum, non alienum eſſe ratus ſum, ſi in primum & vigeſimum diem Iannuarij, qui Martis erit, proximum huius concilij conuentum remittamus certâ ſpe & fiducia, cuius beneficio tanto periculo erepti ſumus, eiuſdem auſpicijs proſperum fore nobis horum comitiorum exitum; quæ non abſque Dei Opt. Max. conſilio hucuſque arbitror protracta. Etſi enim nunquam mihi propoſitum fuerit, meis rebus aut commodis ſtudere, niſi quatenus cum publica vtilitate ea eſſent coniuncta, vitio tamen vobis vertere non poſſum, ſi in horum Comitiorum principio, recentiſque meo aduentu, multa fueritis ſuſpicati & in deteriorem partem interpretati, de quibus nunc poſt idoneam noſtri moris & ingenij, & regiminis experientiam, nullus, vt ſpero, ſcrupulus vobis relictus eſt.

ORATIO

HABITA

IN CONVENTV ORDINVM

IN PALATIO ALBAVLÆ

PRID. KALEND. APRIL.

M. DC. VII.

VIri Nobiles, Equites, Ciues, *In principio conuiuij generosius exhibetur vinum, sub finem deterius*; ait Architriclinius ille in Cana Galileæ, vbi Christus primo illo aquæ in vinum conuersæ miraculo innotuit. Mihi quoque in præsenti negotio non Christi, sed Architriclinij illius sequendum est exemplum, vt vltimo loco vappam vobis exhibeam. Nam toto huius diuturni consessus tempore exquisitissimas illas sermonum delicias pæne habuistis ad fastidium; Vos imprimis de Domo Inferiore, quibus aures ita suspicor præmeditatarum orationum suauitate permulsas, vt ægrè nunc sub finem, tumultuarij sermonis acorem admittant; quo rem ipsam sine pompa, veritatem sine lenocinio, naturam sine fuco vobis constitui exponere: quanquam sanè, si dicentis auctoritatem, & audientium grauitatem, & negotij vtilitatem respiciatis, multò satius opinor rem ipsam verbis anteferre. Elaboratæ orationes quibus multum inest facundiæ, rei parum, Rhetorum scholis magis conueniunt; vbi non rerum pondera sed dicentium ingenia expenduntur. at in Comitijs, vbi quæritur negotiorum expedi-

tio, non dicentium commendatio, nihil magis decet quàm rerum vbertas, verborum frugalitas. Vt castæ matronæ maximum ornamentum est natiuæ pulchritudinis simplicitas, offuciæ meretricum, quæ facie non sua videri volunt, insignia sunt. Et in actuoso hoc meo munere, quod securæ meditationis luxuriem præcidit, omnesque meas cogitationes publico bono deuincit, non solum expedit ita facere, verumetiam necesse est; quum vestrum vnusquisque, sola sui districtus cura, præmeditatis orationibus liberrime vacare possit. Itaq; quas res, velut dissolutas scopas, coram vobis adfero, vos, quibus maius otium est domi, pro arbitrio colligite, disponite, connectite. Verùm ad negotium ipsum me accingo; de quo ego tot linguis loqui possem ac vos omnes (vt Diuus Paulus ait) sed malo tria verba fructuosè loqui, quam diem otioso verborum sonitu extrahere. *frustra* (ait Psalmista) *ædificatur domus, aut custoditur ciuitas, nisi Deus omnia secundet.* idemque Paulus, ait se plantare, Apollon rigare, sed soli Deo deberi incrementum. Hæc mihi expressit diuturnum nimis huiusce Vnionis negotium; quod quum primum ad vos retulissem, tam facile & procliue arbitrabar gemella regna vnire, quàm mihi expeditum erat huius regni hæreditatem adire. Verùm nunc ex iectis obstaculis, & prolixæ disceptationis ambagibus, & nouarum quæstionum scrupulis, omnibusque nullo successu tentatis, quid aliud mihi cogitandum relinquitur, quàm aut non rectè vobis negotium intellectum, aut me vobis arbitrum suspectum, ideoque morâ moræ nexâ, auctâque controuersiæ difficultate nihil definitum. neque possum vobis huiusmodi suspiciones vitio vertere, necdum ingenij mei & morum ita gnaris, vt suo tempore fore confido; neque ita mihi familiaribus, vt quotidiano colloquio meam de toto negotio audiretis sententiam.

Quod autem moras vestras & scrupulos iniquo animo ferre videar, nolite, obsecro, ita accipere, quasi horæ spatio cupiam decerni, quod menstruam exigit deliberationem. nemini enim vestrum ignotum est, Regem esse legem loquentem; ideoque eius voluntatem luce clariorem esse oportere; quæ vobis de Domo Inferiore ex literis meis nuperrime ad vos missis satis innotuit, quibus perspicuum feci nihil mihi esse antiquius, quàm vt omnes omnium possessiones collocarem in tuto. Itaque vt de sensu meo vobis constet, ingenuè iam fateor lentæ huius deliberationis causas vobis idoneas non defuisse. Nihil temerè in rebus magnis definiendum; sed deliberandum est diu quod statuendum est semel: lentoque pede consulendum est, sed vbi consulueris, maturè facto opus est. Si quid promouetis, nihil refert quam testudineus sit motus. sed scrupulus in via quærendus non est, nec nodus in scirpo. Ego medium vrgeo in rebus omnibus: & est inter præcipitem stultitiam & summam tarditatem, via media, [illegible]. Quod

rectum

Digitized by Google

rectum est exquirite, vana, superflua, curiosa negligite; alioqui in optimis consultationibus frustra quæritur finis.

Verùm ne nimis hærere videar in communibus, propriè iam de præsenti negotio dicturus, omnia, memoriæ vestræ causâ, ad hæc quatuor reuocabo. Primò edisseram quid petam; deinde quomodo petam: tertiò, quæ commoda ex ea re in vtrumque populum redundent: vltimò, quæ incommoda videri possint moram facere.

Quod ad primum attinet, Deum appello qui cordium recessus scrutatur, & vos ipsos, apud quos mentiri mihi foret religio, quicquid à me petitur id saluo contractus nostri iure peti, quo vos mihi obsequium & fidelitatem debetis, ego vobis amorem, præsidium, & tutelam. neque vllam mihi vnquam fælicitatem optarem, quæ cum populo non foret communis. Summa voti est, vt, absolutissimâ legum personarumque vnione, quæ nunc duo regna sunt sub vno Rege in vnum coalescant: cuius Regis posteri (si ita Deo est visum) vsque ad consummationem rerum vobis præsint: qualiter olim in Scotia Picti Scotique, in Anglia verò Heptarchiæ concreuerunt. Ego Scotiæ nomine eiusmodi spondeo vnionem, qualem vos ipsi victores & iure belli faceretis; sed per amoris coagulum, quo solo amicitia & fides continentur: vt sicut vtriusque regni vnus Rex est, ita etiam grex vnus sit, & lex vna. Nec enim vni Regi facilius est duobus regnis contiguis præesse, quorum minus ab opulentia maioris, velut ferrum à magnete, attrahitur, quam vni capiti duobus corporibus prospicere, aut vni marito duas vxores regere, qua de re Christus ipse dixit, *ab initio non fuit sic.*

Verùm in vnione ipsa, duo notanda sunt: volo enim mentem meam vobis constare, euidentiæ magis quam eloquentiæ studiosus sum: ideoque cum antiquis illis Philosophis vitreas optarem meo pectori fenestras prætendi, nequid mearum cogitationum vos lateret; tùm verò nihil diffiderem vobis placere. Nam cum mihi absolutissima vnio in ore est, procul à mente est omnium rerum confusio. Non est suis priuilegijs exuenda Scotia, quæ non magis vnioni aduersantur, quàm propriæ quorundam locorum, vt Cantij, & Palatinatus Cestrensis consuetudines iuri Anglico. Singulis enim territorijs & locis suæ sunt consuetudines, quas populorum moribus natura ipsa aptauit. Sed ego eiusmodi legum Vnionem intelligo, qua possit dici vterque populus sub vno Rege & vna lege viuere. Nam transacti inter vos temporis experientia, quam ratio quoque ipsa confirmat, iam edoctus sum Ius Anglicum Anglis maximè conuenire; nec ciuile Romanorum, nec municipale alius gentis posse cum eo contendi. Sed quum duæ sint iuris virtutes, perspicuitas & integritas, alijs in partibus obscurum est ius nostrum, in alijs tam imperfectum, vt varietate

casuum cum ingeniorum solertia in dies crescente, Iudices non ex legibus sed præiudicijs & exemplis ius dicere necesse habeant. cuius generis incertitudinem ipsi Iurisperiti non negant, viri autem ingenui & generosi, quibus aliud placet vitæ institutum, hoc studium fastidiunt. Vbi enim cum varietate incertitudo coniuncta est, vir iustus quidem ab officio non declinabit; at iniusto ad peccandum fenestra aperta est; &, qui iniusto successerit, vir probus iniustas decessoris sui sententias defendere necesse habebit. Nolite igitur iudicis arbitrio leges permittere, sed ipsi eas probate & excutite. neque ego illas volo antiquari, sed obscuritatis rubiginem, quæ adhæret, abstergeri; & Ordinum auctoritate in linguam populo notam transferri: quin & minùs noceret omnes hosce casus ex decreto ordinum pro legibus haberi. Quanquam enim in quibusdam errores sint à Iudicum iniquitate profecti, præstat tamen certas leges, licet alicubi iniquas, quàm arbitrarias omnes & incertas, quales quales sint, habere. nam *satius est*, quod apud nos vulgo dicitur, *ferre incommodum quam perniciem.* emendandarum autem legum nunc luculentissima est occasio, cum earum imperio Scoti quoque nunc tenendi sint; quibus, quòd suas leges non cupiant nisi melioribus & clarioribus mutare, vitio nemo potest vertere.

Verùm ad hanc rem præparato opus est. Naupegus ad nauem ligna, architectus ad domum ædificandam materiam, Rex prudens ad bellum nummos præparat, & vt verbo expediam, nullum opus memorabile sine præuio apparatu suscipitur: quo respectu deliberationem hanc Vnioni volui præmitti. quæ cùm instar habeat coniugij, rem sane absonam faceret quisquis inter duos sibi charos nuptias conciliaturus, cum ambobus ageret, vt lectum simul inirent, & genialis thori officium facerent. nunquid thorum præcedere debuerat adspectus, familiaritas, consensus parentum, sponsalia, dotalia pacta, & id genus alia, quæ extremo coniugij complemento præmitti solent? Vnio est reditus in gratiam post diuturnas inimicitias, & cruenta vetustissimarum gentium bella. Optima odiorum inter priuatos componendorum ratio est, si ad dextras iungendas, & ad osculum primò inuitentur; deinde verò ad tecti, aut, si fieri possit, ad lecti communionem; vt stomacho mitigato, conciliatisque paulùm affectibus, patiantur faciliùs mentionem fieri præcipuæ iniuriæ, viamque tentari concordiæ? Nemo non Vnionem desiderat honestus: sed qui sibi placere aiunt vnionem, quum nulla placeat ratio ad eam ineundam; ijs profectò mel in ore est, fel in corde. Post tam prolixum examen, si in consessu hoc vestro tam diuturno nihil inter vos conuenerit, quid aliud dicent vicini Principes, qui negotij huius exitum auidissimè expectant, quàm manifestâ repulsâ genti inustam notam

Digitized by Google

notam, & regiam maieſtatem diminutam? Quantum verò ab Vnione Scotorum animos abſterrebitis, quum rem ipſam ludi, ſe traduci intellexerint? Vnâ re lætor non plures vno homine ſic deliquiſſe: vnitas autem non eſt numerus. at è Scotis nemo adhuc repertus eſt, neque, me regnante, reperietur vobis in Comitijs aut vllo publico iudicio maledicus: quo humanitatis genere ab ijs victi eſtis. Expendite, an non potius prudentiæ veſtræ foret quibuſcunque rationibus Scotos ad vnionem inuitare, vnde tot vobis redundant commoda. Nonne inter vos Rex ipſe cum aula & familia manſurus eſt? Nonne iuris & ſceptri primus hic futurus eſt, & propè vnus locus? Nõne illi alij legum Anglicarum agnoſcent iugum; ac Cumbris demum, & Northumbris, alijſque ad Septentrionem remotis, ſimiles euadent? vos maritum repræſentabitis, illi vxorem. vos quaſi victores, illi victi; non iure belli ſed amoris. Rariùs quoque viſentur illi à Rège, vt & cæteri Boreales; nec id niſi raptim & quaſi in tranſitu.

An igitur cauſam habeant, cur regnum ſuum antiquiſſimum in formam prouinciæ redactum cupiant, vos ipſos ſtatuo iudices. quam quæſtionem vt faciliùs decidatis, fingite vos eſſe, in quos eiuſmodi ferenda ſit ſententia. Præparationem igitur eiuſmodi deſidero, quæ fælici initio ſpem ſaltem aliquam faciat ſucceſſus. Scio præiudicata opinione multorum animos eſſe occupatos, & geminâ omninò aduerſus me ſuſpicione medius fidius iniquâ nimis & falſâ.

Ominanimi enim in vnione hac ad Angliæ miſeriam & Scotiæ fælicitatem fore criſin: & Scotorum examinibus, qui, peracta vnione; omnium rerum hic arbitri actoreſque futuri ſunt, Angliam aperiendam. deinde verò, ſuſpecta eſt vobis nimia illa mea in Scotos liberalitas, quibus omnia poſt vnionem æſtimatis largienda, vobis quoque, ea, quæ habetis, eripienda. Vobis vnicam ſpondetis laborum omnium amaritudinem, illis verò fructuum dulcedinem: meq; meis affectibus tantiſper creditis imperare dum vnio peracta ſit. At quam ſint hæc à veritate aliena, vobis ipſis, non ex verbis, ſed factis meis iudicandum relinquo. Nunquid enim vnionem talem exigo, quæ nullam admittat exceptionem? Nonne ſyngraphâ meâ omnem iudiciorum forique poteſtatem Anglorum in Anglia propriam ſpondeo? Num quicquam meditor, quod non æque cum vtriuſque gentis bono coniunctum ſit? Si quid eiuſmodi in animo habuiſſem antehac poteram feciſſe. Nemo enim eſt paulò Reipubl. peritior, qui neſciat Regi licere omnes Magiſtratus forenſes, alioſque cùm Eccleſiaſticos tum ciuiles, cuilibet, mandare. Verùm ego, literis meis Roiſtonæ datis, Delegatis ſignificaui, paratum me fore, abſolutam illam meam poteſtatem reſtringere.

Exiſtimant nonnulli Scotorum colonias meo iuſſu huc deducendas,

das; ſuauiter delirantes de plantis è ſterili in vberius ſolum transferendis, & macrâ pecude in pinguiora paſcua. Cui enim liceat vos veſtris ſedibus pellere? an ita potentem æſtimatis Scotiam, vt vos veſtris ædibus eijciat? aut me neſcium, plus eſſe in Scotia terræ inculte, & in Anglia hominum. magis conuenit ex veſtris vrbibus, nominatim Londino, otioſæ plebis ſentinam in Scotiam emittere, quam nouis inde colonijs vos grauare. Quod ſi in iure dicendo his magis quam illis faueam, tum, me ipſo teſte, regio inter vos honore indignus habear.

Ego vos iudices non recuſo, an non hactenus ambobus æquus fuerim. quin operam dedi vt maximam apud vos tum promererer laudem, quum maximè poteram vobis nocere. ſi huc vſque nihil in vos tentauerim, multò minùs poſthac tentabo. Si tum non feci, cum nulla obſtaret promiſſi religio, quanto minùs iam conabor, cùm per legem non licet? Non ſum Scotis, quàm Anglis deuinctior. ibi natus ſum Rex, hic iuratus; ambobus nunc impero. Qui ex ea gente præter cæteros de me meriti ſunt, ſpero iam mediocriter compenſatam eſſe eorum operam. nec quiſquam ſupereſt vltra vulgarem beneficentiæ menſuram mihi munerandus, quo in genere regia benignitas prorſus claudi non poteſt. Iuſtitiam & tutelam vtrique genti debeo, quam vtrique æqua lance diſtribuam.

Quod ad liberalitatem meam âttinet, dixi iam vobis tres primos annos Saturnaliorum meorum fuiſſe: tunc Euclionem agere non licuit. dixiſſent enim Ioſephum fratrum ſuorum immemorem, aut me noui regni delicijs inebriatum. Nunc verò non eſt tam vilis Petitionum annona, vt ante, nec tam multiplices ſunt ex maiore ſigillo mercedes. Quod ſi primo meo aduentu Anglis benefecerim, à quibus tanta cum lætitia exceptus ſum, toto illo itinere amænitate quâſi venatoria confecto, nonne etiam Scotos quorum erga me induſtria, fides, conſtantia, perſpectiſſima erant, quadantenus remuneratos oportuit? Periculum mei feciſtis iam quatuor annis, & ſatis notum eſt, quantopere, ſi voluiſſem, Scotos euehere potuiſſem: ſed quo diutiùs viuo, eo minor mihi futura eſt cum ijs familiaritas, ideoque parcior apud eos liberalitatis meæ ſpes. Ex quo ad vos veni vix altera eorum pars mihi de facie nota eſt. euaſere in viros qui tum pueri erant, & à meo digreſſu plures in lucem editi ſunt. Patrimonium verò regium, quod liberalitate mea diminutum ſuſpicemini, non ita attritum eſt, quin magnitudine & ſplendore cum quouis alio Chriſtiani orbis facile poſſit comparari. quod quàm inuiolatum & integrum poſteris meis ſeruare cupiam, vos ipſos non latuit, quum poſſeſſiones meas, & latifundia, omneque eorum ius in ſceptrum volui tranſcribere: quod cur non factum ſit, mihi, vt noſtis, vitio verti non poteſt. Quæſtor ſollicitudi-

Digitized by Google

licitudinem meam, cuius ipſe optimè conſcius eſt, aliqua ex parte vobis iam interpretatus eſt, & niſi ipſe ſperarem triplum illius, quod ſubtraxiſſe videor, prouentibus meis meâ operâ addi poſſe, ne ſomnum quidem in lecto capere poſſem. Sed cùm tanto tamque admirabili omnium applauſu, nec vobis ignoto, ad regnum venerim, & materiam meæ liberalitatis habuerim amplißimam, duarum gentium alacritatem & fidem, quod veſtrorum Principum nemini ante me contigit; iniquum planè ſit meam ex mea hæreditate beneficentiam cum eorum Principum donis comparare, quibus vnius tantum populi cura incubuit; quorumque vniuerſum tempus imperij vix eo longius eſt, quod ego iam tranſegi. Quid quod eorum liberalitas longè fuerit meâ maior, cauſis tamen longè minoribus?

Modus autem vnionis ſanciendæ in tribus eſt. Primò quidem, vt ius hoſticum vtrinque antiquetur: nam cum bellandi ius inter vos ſublatum ſit, certè ius hoſticum quoque nullum eſt. deficiente enim cauſa deficit effectus. Et cùm non poſſit amplius nunc Anglus Scoto bellum indicere, ius illud ipſo iure corruit. Secundò verò, vt communia ſint vtrinque comercia. Ego vobis extraneus non ſum, quem noſtis omnes è veſtrorum Regum ſanguine prognatum: Scoti verò ſubditorum iure vobiſcum fruuntur communi. Qui poteſtis me communem habere Dominum, inter vos inuicem peregrini? an qui eodem fidelitatis ſacramento vobiſcum aſtricti ſunt, nihilo inter vos meliore conditione futuri ſunt, quàm Hiſpani & Galli? cum mea ſit in vtrumque populum æqualis poteſtas, ius commercij neceſſe eſt vtrinque eſſe æquale. Differuntur rumores nonnulla eſſe à mercatoribus Scotis inique facta. Præſtolabuntur iſti in Anglia proximum horum comitiorum conuentum; examen ſubituri, an boni viri haberi debeant, an nebulones. Tertium eſt, vt priuilegio ciuitatis inter vos donentur Scoti; præſertim cum ipſi fateamini non eſſe illos alienigenas. Quod genus prærogatiuæ hic facturi eſtis? Cùm primum ad vos accederem, à Iudicibus & Iuriſconſultis veſtris monitus ſum, inter Ante & Poſtnatos vtriúſque regni ſubditos, latum eſſe diſcrimen; vnde etiam edicto ſanxi, Poſtnatos eo ipſo ciues eſſe quod ego regnum hoc inierim. Non diffiteor Iudices, vti cæteros erroribus eſſe obnoxios, nec in omnia eorum verba iurare vos æquum cenſeo; hoc ſolum vrgeo vtrique genti id nunc conducere. Succurrat quoque non minus credibile eſſe, Iuriſperitos veſtros errare poſſe, quam Iudices. Verùm quemadmodum hoc in negotio vtriuſque populi bono conſultum cupio, ita vobis cauendum cenſeo, ne edictorum meorum authoritatem eleuatum eatis, vel iudicum veſtrorum fidem; qui exactis comitijs de fortunis veſtris & vita ipſa ius dicturi ſunt: ea enim ratione & Regi & legi notam inuritis. Nam quacunque

cunque in re auctoritatem iudicum minuitis, imperij quoque vim diſſoluitis, & Remp. traducitis. Vna mihi præter cæteras ratio perſuaſit diſtinguendos eſſe, imo & anteferendos Poſtnatos: quia ſub communi Domino & Rege nati ſunt, ideoque vobis affiniores. At verò ſi quid magis conueniat expendimus, tum omni dubio procul Poſtnatorum potior habenda ratio eſt. Nam Antenatorum perennis vnio eſſe non poteſt; ſunt enim homines vnius æui, & pauci omnino, ſi cum ſuccedentium ſæculorum poſtnatis conferantur: at Poſtnatorum vnio æterna futura eſt, inter quos quum diſcrimen nullum iure ſtatui poſſit; labefactatæ huius vni[illegible] quam cupimus authoribus, perpetuæ turpitudinis & ignominiæ notam infligi neceſſe eſt: hebeſcent præterea in Poſtnatis, in quorum præcipue gratiam vnio expetitur, hi inuidiæ ſtimuli, quibus Antenati exagitantur; cum eiuſmodi orientur Pharaones, qui Ioſephum nunquam nouerunt; ſucceſſores mei, videlicet, quibus inter vos natis educatiſque non maior cum gente Scotica intercedet familiaritas, quam cæteris Angliæ Regibus ante mea tempora. Nolite igitur adulantium blanditijs abduci à vero, quaſi Antenati ideo præferendi eſſent quia mihi operam nauarunt, & cætera huius furfuris ſophiſmata. Quid enim mea in priuatos homines beneficentia cum vnione habet commune? Vnio enim quorundam merita non reſpicit, ſed omnium bonum. Ius ciuitatis præterea, quod ſolum in veſtra eſt manu, pleriſque omnibus, quibus poſſit conducere, iam à vobis conceſſum eſt: nec vllus dubito, quin benemeritis hominibus, quicunque à vobis id ius petituri ſunt, prompto & liberali animo ſitis conceſſuri. Certum igitur eſt eiuſmodi diſceptatoribus mel eſſe in ore, fel in corde (vti antea dicebam) qui ſpecie tenus vnioni fauere volunt, animitus autem quantum pote eſt aduerſantur. Quod ad exceptiones & reſtrictiones, quas præuia deliberatione æquas & neceſſarias ipſi vos iudicabitis; perſuaſum habete mihi abſque vllo gentis Scoticæ affectu gratiſſimum fore, quod optimum erit. Sum ego natus iuratuſque vtriuſque populi Rex. Liceat hoc ſaltem à vobis petere, vt in proxima diſceptatione alacriores ſitis ad ſoluendas, quam nectendas quæſtiones; vtq; dubiarū rerum clariſſima expoſitione acquieſcere velitis.

Magna futura ſunt & conſpicua huius vnionis emolumenta, Pax, opulentia, mutua charitas, ſocietas, commeatus. Qui mihi ab aduentu meo Reges congratulati ſunt, totius Inſulæ Monarcham me ſalutarunt; longe maiore potentiæ meæ reuerentiâ, quàm ſi vni tantum regno dominarer. & vos ipſi quanta obſecro voluptate Hibernos intuemini, Scotos, Cambros, Anglos, cœlo ſoloque diuerſos, omnes tamen vnius imperio deuinctos, in aularum mearum atrijs, miniſterij cauſâ ſpatiantes? vt nobile illud atque eximium Cōmitatus noſtri

Digitized by Google

noſtri decus præteream, ex virorum ſplendidiſſimorum à varijs cœli plagis affluxu; quo homines peregrini ad nos viſentes in admirationem rapiuntur. Vtriuſque regni confinia furum antehac, & latronum receptacula, ſpoliaria ciuium, funeſta maiorum veſtrorum buſta, loca cædibus & rapinis infamia, viſu inculta & horrida; iam ſunt veluti duorum regnorum centrum & vmbilicus, viris, opibus, humanitate politiſſima: exurgunt ſacra templa, panduntur ædium fores, nec abactorem nec ſicarium extimeſcunt. Mira ſanè mutatio; vbi antea nihil oculis auribuſue obuerſabatur, niſi occiſorum gemitus, miſerorum querelæ, ſpoliatorum clamores; iam videas pacatos, ſecuroſque ſub tectis, nec plangunt amplius infortunia ſua, ſed Deum orant pro Regis incolumitate, qui illis hæc dulciſſima fecit otia. Limites ab vtraque Tuedæ ripa vt pacis ſuauitate, ita ſoli vbertate non multis cedunt Angliæ tractibus. ſi quando poſthac diſſidium euenerit, (quod Deus omen auertat) quæ mala inde expectanda ſunt vos ipſi poteſtis diuinare.

Incommoda autem, quæ Angliæ ex hac vnione metuuntur, valde, ſcilicet, ſunt mira: Gens Scotica (ſi credimus) numeroſa eſt; ea in noſtris arbuſtis nidificabit, amoeniſſima agrorum colet, plebem noſtram exedet, nos atteret. otioſæ profectò, & viris indignæ ſuſpiciones. quæ vos poſſidetis, ijs vti frui Scoti non poſſunt. iure non licet, mea venia non licebit. fingite nec dignitatem mihi neque conſcientiam conſtare, (abſque quibus ne tantillum quidem liberet viuere) quamdiu tamen communis ſenſus mihi ſuperêſt, an eos, quos fortè nunquam aut tantùm in procinctu viſurus ſum, vobis anteferrem, quibuſcum tota tranſigenda eſt vita? Numquid illi examinibus ſuis veſtram terram vniuerſam occupare poterunt, vt olim Gotthi & Vandali Italiam? Non ignota res eſt, longè eſſe vos numero ſuperiores; & illos, ſi ad hoc vſque tempus inuicti fuerint, non intuliſſe ſcilicet vim, ſed tantum repuliſſe illatam: & hunc honorem vel fortunam qualemcunque maxima ex parte montibus ſuis debent & locorum inacceſſis, quibus extremam hoſtium vim iramque victoriæ declinarunt. aut eo vſque eſſe illos domi inopes miſeroſq; arbitramini, vt niſi ad vos excurrant viuere nequeant.

Vt de me dicam, eſtne qui credat duorum populorum, quibus præſum, minorem mihi curæ eſſe maiorem neglectui? Nonne mihi à peſtilentia Beruici aut Northamptoni graſſante minus metuendum foret, quàm Londini, in ipſa Auguſta imperij ſede, Palatio meo, vxorique, & liberis proxima? annon maiore ſollicitudine concurritur ad reſtinguendum incendium domus contiguæ, quam vibis remotæ? Notum vobis eſt, quantâ curâ ſyluas vindicem à damno, voluptatemque venandi: an non viuarij Waltamienſis, quod oculis meis ſubiacet

iacet, hortoque adiacet, leuissimum incommodum ferrem iniquiore animo, quàm illata saltibus meis Eboracensibus aut Dunelmensibus maiora damna, vt arborum strages, aut furtiuas ferarum cædes. Creditisne mihi chariores esse absentes præsentibus, tenuiores opulentioribus, tam longe dissitos homines, vt nec iuuare nec nocere queant, vobis, quibus & mea & posterorum meorum vita salusque credenda est? Si quis ex eo fauore mihi aditus aperiretur ad maiora, tum quidem non abhorreret res à vero. Nunc verò vniuersam gentem huc vocare non licet; & furor esset quorundam ibi priuatorum causa Rempublicam hic euertere. Si nudam consulas prudentiam, non est verisimile: & meam innocentiam in suspicionem vocare meræ foret improbitatis.

Ego plus do, quam accipio: æquumque & bonum hac in re ipsi iuri præfero. Nam è quatuor rebus; quarum iniqua distributione Scotis benefieri potest, vobis noceri; tres (vt nostis) in mea solius sunt manu: Beneficia omnis generis conferre: officia, & honores mandare, Ecclesiasticos, ciuiles: denique ad Comitia vocare. neque aliunde, quàm ex his ipsis Scoti aut emolumentum aut honorem post vnionem expectent. & tamen, vt vobis placeam, in his quoque liberalitati meæ modum statuam, mea syngrapha vobis cauturus.

Quarta pars penes vos manet, ius nempe ciuitatis, vnde parum aut nihil sperare possunt, nisi quod pecunia sua redimant, alijsque modis vobiscum communibus acquirant. hoc ius, ciuitatis donandæ, etsi Comitiorum proprium vulgo censeatur; vt meam tamen vobis sententiam expediam, non ex iure Anglico, cuius exigua mihi est notitia, sed ex ciuili, in quo paulo melius sum versatus, cuiusque in gentium vnionibus summa est habenda ratio, quum sit ipsum ius gentium: ex eo inquam, duo astruo, quæ nullus illius iuris antecessor negauerit, vt quæ disertis legum verbis receptisque Doctorum sententijs nitantur. Vnum est ad Principis prærogatiuam peculiariter pertinere, alienigenas ciuitate donare. alterum est, Vbi ius obscuritate laborat (vt hanc ipsam de Postnatis quæstionem quidam vestrum aiunt non satis in Anglico iure explicari) Principem esse interpretem & iudicem, & vbi leges silent Principem esse legem loquentem, vt quod scripto deest sua voce suppleat. Et sanè (si sua constet historiæ fides) exemplis Angliæ & Galliæ Regum, quorum aiunt hanc esse præcipuam prærogatiuam, lex illa astruitur. Verum licet hæc sciam ad potestatem regiam attinere, vlterius tamen non vrgebo, quàm vestra beneuolentia concesserit, & vtriusque gentis bonum & commodum exegerit.

Quod si obiectum fuerit, quibusdam vrbibus Angliæ & Collegijs damnosam videri vnionem; fatebor posse fieri, vt mercator vnus

&

Digitized by Google

& item alter, Iarmutenſis, aut Briſtouienſis, hinc trecentorum aureorum iacturam patiatur: ſed parum id refert, ſi lucretur Reſpubl. Videtis in Ciuitatibus collegia eſſe collegijs damnoſa, neque vnum abſque alterius incommodo inſtitui.

Impedimenta vnionis ex parte Scotiæ hæc tria obijciuntur. eorum animos eſſe ab vnione auerſos: nec poſſe illam inter duas eiuſmodi gentes ſubſiſtere: exiguum denique eſſe aut nullum inde emolumentum: quæ ſi vera ſint, non eſt cur fruſtra in ea amplius laboremus. Primum illud ex literis eorum publicis euincere conanimi, in quarum præfatione diſtrictim aſſeuerant Scoti nolle ſe abſolutæ liberæq; Monarchiæ honore excidere: in corpore autem earum literarum, in vetuſta & primæua regni ſui iura nihil vnioni licere volunt. at ſanè toto hoc veſtro coſeſſu vnanimis fuit Domus Inferioris opinio, nihil auidius à Scotis expeti quam vnionem, tantumque ex ea commodi ſperari, vt illam, æquis, iniquis conditionibus, admiſſuri ſint. Nunc autem dicitis eſſe illos ab vnione valde auerſos. Certè hæc duo ſimul vera eſſe non poſſunt. Nec enim eodem tempore idem poſſunt & auerſari & expetere.

Quod ad ea attinet, quæ ex literis publicis obiecta ſunt; vetus eſt Iuris regula, eius eſſe explicare cuius eſt condere. Veſtrum non eſt eorum leges interpretari, nec eorum veſtras: id meum eſt, qui populo non inuito eas ſanxi.

Et primò quidem confiteor, tam prolixa Anglorum eſſe comitia, Scotorum verò tam breuia, vt medium inter ambo extrema optimum futurum ſit. Feſtinationi enim eorum imputandus eſt error iſte, quo iura regni ſui vetuſta & primæua excepta voluerunt, in hoc literas veſtras publicas imitati, quarum præfatione illa ipſa verba habeantur. ego eorum mentem illiuſque vocis vim non meo ex ſenſu vobis explicabo, ſed ex Iuriſperitorum & Conſiliariorum ore maximè in Scotia inſignium, quibus conſcijs illæ literæ ſcriptæ ſunt, quique pro hoc ipſo negotio Delegati in Angliam venêre.

Quid illi antiqui & primæui iuris nomine intellexerint, rectiùs illic percipietis, vbi obiectionem de legum differentijs diſſoluo. Nam id ſolum ius reſpexerunt, quo vitatur confuſio, quo Regum ſuorum firmatur ſucceſſio, & Monarchiæ illius hæreditas, cuius caput in trecenteſimum ante Meſſiam annum reducitur, è qua ſtirpe fateor me eſſe. nedum vt veſtro ſenſu ius ſuum municipale ijs verbis ſignificent, quod apud eos nullum eſt, præter id quod ius Regis appellatur. Quod autem liberæ ſuæ abſolutæque monarchię adhuc ſtudeant, eam vim habet, ne priuilegia gentis, de quibus modo dicebam, nomine vnionis ſic confunderentur, vt magiſtratuum legumque honore deſtituti, & libertate ſua exuti huic regno in meræ prouinciæ formam

Digitized by Google

accederent. Nec id vos velle opinor vt aut militum præſidijs Scotiam retineam, vt Hiſpanus Siciliam & Neapolim; aut populum illum vicaria Proregum induſtriâ regam, quorum rara eſt copia ſi boni ſunt.

De Scotia id verè poſſum dicere & gloriari: inter vos ſedeo, & illam calamo meo dirigo: paretur ſcribenti, & quod alij gladio non poterant, ego vicaria ſcribæ dextra de Concilio meo, Scotiam tempero. Quod autem ab vnione dicantur alieni, nunquam illi fateor eam à me petiuerunt; nec quiſquam ex ea gente, vt illud negotium maturarem, priuatim mecum egit. Veruntamen cùm ad eos deuentum eſſet, mihi ſe non defuturos vltro promiſerunt. quo animo ſunt omnes boni meæque dignitatis amantes pro ſtudio, quo me maieſtatemque meam proſequuntur, meiſque deſiderijs honeſtis & æquis obtemperant.

Scio neque ibi, neque in vlla Repub. deeſſe homines factioſos, & nouarum rerum auidos, qui in angulis, quicquid in buccam venerit ſeditioſum, deblaterent. at in comitijs nemo vnquam ibi repertus eſt, qui huic genti dixerit conuicium. nam in Scotiæ comitijs (vt quo pacto à veſtris differant breuiter indicem) abſque Cancellarij venia, cuius eſt quoque ſeditioſos aut ineptos ſtatim interfari, nemini loqui licet: cum hîc, promiſcua omnium libertas omnia loquendi & quamdiu libet ſola ſit cauſa, cur ille modo non fuerit interruptus.

Obiectum quoque eſt, inter leges etiam vtriuſque gentis non paruam eſſe antipatheiam; qui error eſt multorum non exiguus. Nullum enim eſt proprium Scotiæ ius, quod iuri huius populi municipali, quod vulgo Commune dicitur, reſpondeat, ſed totum quantum quantum eſt è triplici conſtat genere.

Nam vniuerſum illud ius tenendi, poſſidendi, Dominij, & cætera huius generis, Cancellariatui Angliæ debemus. Vbi æquitatis non iuris diſceptatio eſt, maiora ſunt inter nos verborum, quàm rerum diuortia. Iacobus Primus, apud vos educatus, leges Anglicas in Scotiam ſcriptas ſecum inuexit. Secundum genus faciunt Statuta regni, quæ Comitiorum acta nominantur. ibi enim illis, vt hic vobis, rogandarum legum ius eſt: quas leges iam vobis licebit excutere; neque enim ſpero amplius in ea Republ. vos hoſpites fore. nec diffiteor præcipuum eſſe huius vnionis opus vtriuſque regni inter ſe ſtatuta conciliare. Tertium genus eſt è iure ciuili, cuius introducendi auctor erat Iacobus quintus, inſtitutâ apud nos perpetuâ Curiâ, ad illius imaginem, quam in Gallia ipſe viderat. Horum eſt in omni controuerſia ciuili ius dicere. nec tamen omnia, vt in Gallia, ad iuris ciuilis amuſſim exigunt: nam ſi conſtet gentis ſtatuta aduerſari, non datur

iuri

Digitized by Google

iuri ciuili locus: & Præſes Curiæ, ſi officium facit, vbi quæſtio in noſtro iure deciditur, ius ciuile non audit. Tum demùm apud eos iuri ciuili locus eſt, vbi municipale deficit. Videtis igitur non ita eſſe, vt fertur, difficile, etiam legum vnitate illos vobis conciliare; qui neque iuri ciuili obnoxij ſunt, neque etiam, quod vos Commune dicitis, aliud habent, quàm quod à vobis acceptum ferunt. Statuta autem regni quoties res poſcit mutari poſſunt, vt apud vos ipſos fieri amat.

Illud quoque obiectum eſt, Regi Scotiæ in comitijs non competere ſuffragium negatiuum: ſed omnes leges ab Ordinibus rogatas etiam inuito probari. Ego hanc quæſtionem optimè poſſum diſſoluere, qui pluribus interfui Comitijs, quàm vllus meorum maiorum, eo etiam honoris genere omnibus ſubditis meis antiquior. Mos Comitiorum in Scotia, mihi credite, nihil habet populare. viginti fere diebus ante Comitia edicitur paſſim omnibus vt regio Chartophylaci (quem vos Magiſtrum Rotulorum dicitis) quæſtiones proximo Conuentu ventilandas ante certum diem exhibeant ſcriptas. Eas Rex priuatim examinat, & quas viſum eſt Cancellario ſuo tradit in Comitijs proponendas cæteris ſuppreſſis. Quod ſi quis de alia quauis re ad Ordines retulerit, ſtatim monetur à Cancellario nullam eiuſmodi quæſtionem Regi fuiſſe approbatam.

Tum leges de his rebus ab Ordinibus latis exhibentur Regi. ille ſceptro conſpicuus, quod à Cancellario porrigitur, neceſſe habet dicere, EGO RATA HABEO QVÆCVNQVE IN COMITIIS HISCE FACTA SVNT: Nam ſi quid Regi diſplicet, id ante ſolet induci & deleri. Si hoc ſit negatiuum ſuffragium certum eſt mihi in Comitijs Scotiæ illud competere.

Vltimum impedimentum eſt in priuilegijs, quibus Scoti in Gallia fruuntur: quæ eius vulgo creduntur momenti vt niſi illis Scoti renuntiauerint Anglia Scotiæ nequeat vniri. ſi Scoti tam illibenter vt fertur renunciaturi ſunt, ea tamen res non eſt illis arbitraria. Non enim (vt vulgo creditur) inter populos, ſed inter Reges fœdus ictum eſt. Primus (ni me fallit memoria) Carolomannus Francorum Rex per legatum à Scotorum Rege petijt, vt commune ſecum fœdus aduerſus Anglos feriret, ſeu inferenda vis eſſet, ſeu repellenda. Gallia enim tunc Anglico bello implicabatur.

Idem fœdus aduerſus Gallos Angli eodem tempore à nobis petiuere, miſſis in Scotiam legatis. Primò pro Anglis diſceptatum eſt, vicinos illos eſſe, communis Inſulæ habitatores; gentem ſtrenuam atque opulentam, cum qua fœdus atque amicitiam colere magis è re noſtra eſſet, quàm cum alia Oceano diuiſâ, quantumuis fortiore; interiectâ præſertim Angliâ, vnde certa eſſet & cita pernicies: quum ven-

Digitized by Google

[illegible] [illegible] [illegible] [

ferè populáribus ſuis dolo occiſus eſt. Igitur, vt tanta compenſaretur iniuria, & Scotorum in poſterum ſecuritati caueretur, regij corporis tutela Scotis commiſſa eſt.

Nunc de vltima diuiſionis meæ parte, Anglorum ſcilicet commodis ex vnione iſta, aliquid dicam. neminem credo eſſe paulo humaniorem qui ea de re ambigat. quis eo vſque imperitus eſt rerum qui emolumentum permagnum non videat? an nihil vobis ex Cambria vnita compendij, an verò Cambriâ Scotiam creditis minorem? an non terræ, maris, virorumque inſignis fiet ad ditiones veſtras acceſſio? Quis enim vtriuſque gentis limites niſi Mathematica & imaginaria linea deſcripſerit? Tum vero obfirmabitur poſtica illa, & Iani portæ æternum claudentur: qui antehac vobis infenſi erant, iam amicos ſentietis à tergo, & quaſi in ſubſidijs, omnium periculorum ſocios, pro vobis, vt pro ſeipſis, paratos mori. Niuea pila ingens fit è multis iunctis, & plures domus vnitæ faciunt Inſulam, & geminus arcis murus communi aggere coaleſcens longe fit ſeipſo fortior. Nonne in Batauia videre eſt, quantum poſſit iſta Anglorum Scotorumque coniunctio? res ita manifeſtæ veritatis eſt, vt qui non ſentiat, illum aut pudore aut prudentia vacuum eſſe oporteat.

Quòd autem Scoti vltra quadraginta dierum militiam Regi ſuo non debeant, obiectio illa à rerum noſtrarum imperitia profecta eſt. Nam Reges Scotiæ (vt quod res eſt dicamus) cum ex ſuo ærario, quemadmodum Reges Angliæ, exercitui alendo non eſſent, edicebant ſuis, vt certo die ad ſigna adeſſent, denunciata aduerſus contumaces perduellionis pæna. Ita viri Nobiles & generoſi, vt cochleæ, quæ ſuam domum circunferunt, in caſtra veniebant inſtructi nummis, pellibus, annona; & vt verbo dicam, nihil expectantes à Rege: quem proinde æquum erat futuræ expeditionis ſpatium edicto definire, abſque quo illi certum ſui apparatus modum definire non poterant; præſertim dum intra patriæ fines morarentur, vbi nulla ſpes prædæ prout in hoſtico relicta erat. Sed neque lege vlla certus dierum numerus ſancitur; & penes Regem eſt, eos quam diu libet vltra detinere, & nouum edictum ante proponere, quàm tempus exeat prioris; quum eorum ſit illi ſeruire & adeſſe, vel, ſi opus ſit, ad decennium.

Vt finem nunc faciam, gaudeo me ante veſtrum digreſſum meæ conſcientiæ iuſſo defunctum eſſe. Cum reuerſi fueritis conſilij mei candorem quæſo expendite. nam eò tantum vnionem iſtam vrgeo, vt Monarchiæ Anglicæ potentia creſcat, ita tamen, vt vtriuſque gentis bono proſpectum ſit. Quod nunc petitur, ſæpe ante optabatur, quum pote non erat: nunc igitur non velle, cum pote eſt, gemina foret culpa. firmanda vobis eſt veſtra fælicitas. Londinum oportet eſſe

ſedem imperij, & Scotiam illi aureâ prorſus victoriâ adunari, amoris (vt ante dixi) coagulo: vt domi aduerſus inteſtina & ciuilia mala ſitis ſecuri, foris vero hoſtibus murum opponatis aheneum. Candidè interpretamini mentem meam, æque vtrique genti propenſam: vt ſibi ambæ ſufficiant, hoſtibus verò ſint terrori, & amicis præſidio. Date igitur operam negotio bene terminando, moras pellite, argutias præcidite, vt Rex iuſtiſſimi voti tandem compos fiat, non verò, quia rem honeſtiſſimam ſuſcepit, dedecoretur.

ORATIO
HABITA
IN COMITIIS REGNI
AD OMNES ORDINES IN
PALATIO ALBAVLÆ

XII. KALEND. APRIL. 1609.

Tsi pœnitentiæ & precibus destinatum sit hoc tempus, in quo ferè medio iam versamur; longe aliter tamen insumptum est hoc biduum proximum, nempe, sacrificio eucharistico mihi à vobis oblato. Ego igitur vt ternarium numerum, illum sacrosanctum & perfectione primum, expleam; hunc quoque diem eidem exercitio statui impendere.

Egregium illud gratiarum & amoris vestri munus, quo me cumulatissimè ornastis, volo iam insigni & rarissimo dono compensare, speculi crystallini & perlucidi, non in quo vultus vestros aut vmbras, sed cor Regis vestri intueamini. Philosophorum nonnulli optarunt singulis hominibus vitrea pectora, per quæ cogitationes ipsæ transparerent. res vulgò nota est & à me ante alicubi tractata. quod etsi in omnibus fieri omnino non possit, in meipso tamen vobis effectum dabo, vt cor Regis, quod in manu Domini est, in oculis populi constituam. Scio nihil iam à me dici posse, quod non sit apud vos, aut simile aliquid dictum prius: nihilominus

nus vt ſuum eſt corpori alimentum, ſic reminiſcentia eſt humanæ memoriæ pabulum.

Quæ in hiſce comitijs præcipue agitata ſunt, de quibus & ego iam dicturus ſum, ad tria capita reuocabo.

Primum eſt res ipſa, ob quam à me conuocati eſtis, nempe, vt meis ſubueniretis neceſſitatibus. Secundum eſt, populi ad Regem ſupplicatio, qua ſuas Regi exponunt moleſtias, & quæ in Repub. vitioſa ſunt emendari poſtulant. hæc ſunt quæ *Grauamina* appellatis. Tertium, & inter vos diſceptatum, & plebeijs agitatum ſermonibus, quanquam fortuitum, eſt tamen multo altioris & tractationis & indolis, Scrupulus nempe qui multos torſit de meo in duabus rebus conſilio & mente. In primis ſcire optant, an apud me ſtatuerim eandem perpetuò tenere regendi viam, quam iuxta veterem Reipubl. morem & receptas regni leges inierim: An verò in animo habeam meipſum his finibus non circumſcribere, ſed pro abſoluta & regia poteſtate quando viſum eſt eos tranſilire. Dubitant deinde de iure regni municipali, quod *commune* dicitur, cui me, nempe ibi natum vbi aliud ius obtinebat, infenſum credunt; & ad ius ciuile introducendum, animumadieciſſe. cui dubitationi anſam præbuit querela ad vos delata de Doctoris Couelli libro. quanquam meam de illo libro cenſuram iam ante per Quæſtorem, nunc præſentem, vobis notam fecerim; qui quicquid meo nomine loquutus eſt, me mandante dictanteque loquutus eſt: quæ abſque meo conſilio ex ſe dixit, ea præſtabo vera. Nec enim committam, vt vir tam probus compeperiatur mendacij, aut veſtram expectationem eludat. cæterum meam ea de re ſententiam intra paucos dies edicto publicabo.

Nulla certe ratio ſuberat cur crederent homines mihi eiuſmodi conſilia placuiſſe. Duplex omnino eſt infirmitas, quæ Reges facit adulatoribus obnoxios, credulitas & ignorantia, quarum neutra mihi, vt ſpero, iure imputabitur. Si Alexander ille Magnus, quantumuis aliàs ſciens, ſui corpotis conſtitutionem non ignoraſſet, nunquam ſe ipſe putaſſet Deum. Sed ad rem. quemadmodum Chriſtianus homo, quotieſcunque occaſio poſcit coram hominibus vel Angelis fidei ſuæ & religionis rationem reddere nunquam erubeſcit. ita ſemper arbitratus ſum iuſto ſapientique Regi ex dignitate & honore regio incumbere, populo ſuo, ſi non ſingulorum vitæ actuum rationem reddere, certe conſilium ſuum mentemque, quoties opus eſt, candidè & ingenuè aperire. Verùm neceſſe habeo rerum dicendarum ordinem inuertere, & ab vltimo illo, quod licet fortuitum, præcipuum tamen erat, ordiri.

Nihil eſt in terris quod non ſit infra Monarchiæ faſtigium. nec enim ſolum Dei vicarij ſunt Reges, Deique throno inſident: ſed ab ipſo

ipſo Deo Deorum nomine honorantur. Tres ſunt præcipuè ſimilitudines, quibus Monarchiæ dignitas illuſtratur: vna è ſacris literis, cæteræ è Politicæ & Philoſophiæ principijs. In ſacris literis appellantur Dij: atque ita poteſtas regia comparatur diuinæ. Aſſimilantur quoque Reges patribus familias: populique & patriæ patres verè & Politicè nominantur. Aſſimilantur denique capiti microcoſmi.

Vocantur Dij, quia diuinæ in terris poteſtatis quandam ſpeciem exercent. Vide, quam aptè Regi conueniant diuina attributa. Dei eſt creare, & in nihilum redigere; facere, deſtruere; donare vita, multare morte; omnes iudicare, iudicari à nemine; humilia exaltare, &, cùm viſum eſt, alta deprimere: &, vt verbo expediam, anima cum corpore Deo debetur. Similis quoque eſt Regum poteſtas, vt ſubditos erigant, & deprimant; vitæ neciſque Domini ſunt; competit ijs in omnes ſubditos, omnibuſque in cauſis, iudicium, vt Deo ſoli in Reges. Exaltant denique humilia & deprimunt ſuperba; & populum tractant velut latrunculos in alueo lutorio, vbi agricola Epiſcopum aut equitem arripit: ſubditorum quoque vt nummorum æſtimationem pro libito mutant. denique Regibus ſuis animorum affectum, corporum miniſterium debent ſubditi. ideoq; venerandus ille Epiſcopus, qui iam adeſt, & verè & eruditè (vtut nonnulli malè interpretati fuerint, aut non bene intellexerint) de Regis officio pro concione diſſeruit. Nam de Regis officio in abſtracto & theologicè omnia erant veriſſima. Imperatorum enim & Regum, qui quidem Monarchæ ſunt, tutelæ & præſidio ſubditorum vitæ fortunæque debentur. At ſi illius tum ſuppleſſem vices, duobus verbis adiectis omnia feciſſem perſpicua. Poſtquam enim, vt Theologus, de officio ſubditorum in Principes generatim diſputaſſem, ſermonem omnem concluſiſſem, vt ciuis, hortaturus Ordines regni, vt quod omnes ſua in Repûbl. facere tenerentur, hoc eſt, ſuorum Regum neceſſitatibus ſubuenire; id illi iuxta veteres leges & inſtituta huius regni, in quo ipſi tanquam ciues viuerent, præſtarent: & cùm eam ob rem hæc Comitia indicta eſſent, inter ſe deliberarent, quibus modis ſeruato priſco Reipubl. more tali Regi quem iam haberent ſuccurrerent; differentiâ ſcilicet obſeruatâ inter poteſtatem regiam, Theologicam, & formam quæ in hac Republ. iam obtinuit, Politicam. Et mihi conſtat id animi fuiſſe Epiſcopo, ni partim temporis anguſtiâ, partim meâ & ampliſſimorum regni Ordinum præſentiâ prohibitus fuiſſet.

Pater familias vetere naturæ iure patriam poteſtatem habebat, id eſt, vitę & necis in liberos. patres intelligo ſecundum rectam lineam ex ijs familijs ortos, vnde Regum erat origo: naſcebantur enim primi Reges ex ijs, qui ſeſe in colonias ſparſerant per orbem terrarum. Nunc autem

autem patri ius eſt ſuam hæreditatem arbitratu ſuo liberis diuidere: propter certas cauſas natu maximum exhæredare; minimum ſcribere ex aſſe: hunc diuitem facere: illum ad incitas redigere: alium conſpectu ſuo quamdiu libet propter offenſas interdicere, eundemque in gratiam cum pœnitente peccatore recipere. Idem ius Regi eſt in ſubditos.

Capitis denique iudicio omnia corporis membra eò diriguntur, quò maxime videtur opportunum. Acria adhibentur eius conſilio remedia: & partes corporis immedicabiles reſecantur: & pro corporis tolerantia ſanguis mittitur è venis. At poteſtas hæc omnis eſt à Deo ad ædificationem, non ad deſtructionem. quanquam enim Dei ſit tam creandi quàm deſtruendi poteſtas, eſt tamen ab illius ſapientiâ alienum naturam euertere, & conſpicuam hanc rerum machinam luxare: cum creaturas ideo fecerit, vt in ijs gloriam ſuam faceret manifeſtam. Ita ille pater familias haud ſaperet, qui liberos abſque cauſa exhæredaret, necaretúe, aut educandos non curaret. & caput illud foret ridiculum, quod ſuum corpus aut veneno interimeret, aut phlebotomia exhauriret.

At ſanè diſtinguenda eſt primæua Regum conditio ab ea, quâ nunc in variè inſtitutis Monarchijs fruuntur. Sicut enim Deus in vetere teſtamento per oracula loquutus, per miracula operatus, vt primùm Eccleſiam ſanguine vnigeniti filij ſui redemptam ſtabiliuit, priſcum illum morem vtrumque neglexit; & populum ſuum intra Verbi ſcripti fines & leges coercuit: ita Regum, qui ab initio aut belli aut electionis iure præerant, arbitria pro legibus erant; vt primum autem humanitate & prudentia ciuili firmari cæperunt regna, Reges etiam legibus mentem ſuam exponere cæperunt: quæ rogantur à populo ſed à Regibus ſolis proprie feruntur, ijſque auctoribus vim habent. atque ita Rex euaſit lex loquens, duplici quodammodò iureiurando ad præcipuarum regni legum obſeruationem obſtrictus: altero tacito, vt, quia Rex ſit, eo ipſo nomine & regnum & leges tueri debeat: altero expreſſo, idque inaugurationis tempore. ſic enim iuſtitia Regis in regno iam compoſito planè exigit, vt ſuarum legum contractum ſeruet populo, ex earumque præſcripto regnet; prout Deus cum Nöe poſt diluuium pactus eſt, *poſthac ver & autumnus, calor & frigus, æſtas & hyems, dies & nox non ceſſabunt, quamdiu terra manet.* Quiſquis igitur in regno compoſito ſuſque deque habet leges ſuas, Regis nomen amittit, & in tyrannum degenerat. Quo euentu vt muliercula Philippum Macedonem, ita conſcientia ſua affatur Regem, aut iuxta leges rege, aut ne Rex ſis. & licet Chriſtianis non ſit probanda aduerſus Principes ſuos rebellio, nunquam tamen Principes ſuarum legum contemptum apud Deum impune ferunt. nam in quo Pſalmo dicitur Regibus,

conſtitutionem Moſaicam, vt in fimbrijs veſtimenti ſacerdotalis ſcriberetur lex diuina, & palàm audiente populo legeretur: quidni etiam populo ita leges ſuæ innoteſcant, vt nulla relinquatur peccãtibus ignorantiæ exculatio? deinde in iure Anglico non eſt perpetuus legum tenor, queis omnes controuerſiæ decidantur, ſed indigeſta materies è conſuetudinibus antiquis & rebus iudicatis, quas vos *reſponſa prudentum* dicitis, commixta. quo vitio cæterorum quoque populorum laborant iura, vbi multum valent priora exempla, quę iudicaturi ſequantur. Daniam & Noruegiam excipio, vbi diſertis legum verbis, abſque iudicis labore, lites dirimuntur. Quanquam autem leges tam diſtrictis verbis nequeant concipi, quin circunſtantiarum varietas cauſam nonnunquam mutet; ſic aucta iam ſæculi ſolertia, vt raro etiam iuris ciuilis doctores, qui in eandem legem commentantur, inter ſe conſentiant; abſque quo eſſet iudice opus non foret, ſed nuda legum verba ſufficerent: optarem tamen, Ordinum conſenſu, pleraque in noſtro iure fieri certiora. cum enim tam incerta ſæpe ſint veſtra illa *Prudentum reſponſa*, vt eorum auctoritatem iudices ſæpe defugiant, & ab exemplo recedant; bene conſultum foret populo, ſi conſenſu Ordinum certa deſcriberetur iuris interpretatio, & rata fierent ea reſponſa, quæ poſthac in iure dicundo obtinerent; ne amplius ab opinione iudicis aut reſponſorum incertitudine populus ambiguus & cæcus penderet.

Denique in iure Anglico non deſunt reſponſa, & exempla inter ſe aduerſa & pugnãtia. quo vitio multa Ordinum Statuta laborant, quædam contraria, quædam ita ſcripta, vt contrarias aut diuerſas interpretationes admittant. Itaque ex Ordinum maturo grauique conſilio leges Anglicas, Statutaque aduerſa vellem conciliari: non tantum ſublata è libris omni antinomia, verum etiam antiquatis deletiſque Statutis pænalibus, quæ huic ſæculo non conueniunt; & iam velut doloſa retia inſidiantur itinerantibus in regia via: quod ab auaro Rege aut Tyranno nunquam impetraretis. memorabile foret hoc emendandarum legum opus, & comitijs, licet nulla alia de cauſa indictis, longè tamen digniſſimum.

Scio vos hoc loco, quum de iure Anglico loquor, quæ mea ſit de *prohibitionibus* opinio expectare, ſic appellantur crebræ illæ apud vos iudiciorum interruptiones, cum maior iudex interdicit minori, lite iam conteſtatâ, aut prope finitâ, ne vlteriùs pergat ius dicere: quibus omnibus ſine exceptione aduerſari me hactenus creditum eſt. at ego vos paucis docebo, quis mihi modus ea in re ſeruatus ſit. cum viderem tot eſſe in hoc regno Iudicum conſtituta collegia, tot ampliſſima tribunalia & fora: ſæpe optaui fateor circumſcribi vſum quodque horum notis cauſſarum limitibus, & iurisdictionis (vt ita dicam) certis

Ego Ioannes Cantuariensis Archiepiscopus, totius Britanniæ primas, & Apostolicæ sedis legatus, ad perpetuam rei memoriam. Cum ex officii nostri debito, tum ex ipsius rei natura, ad hoc nos astringi sentimus, ut ea quæ ad Ecclesiæ nostræ Cantuariensis dignitatem, & ad ejus jura tuenda pertinent, diligenter attendamus, & ne quid in eis detrimenti patiatur, pro viribus curemus. Ad hoc enim nos Deus, licet indignos, in hanc sedem evexit, ut ea quæ ab antecessoribus nostris, sanctis viris, & Deo devotis, ad honorem Dei, & Ecclesiæ suæ, & ad animarum salutem, sapienter & provide constituta sunt, nos non negligamus, sed ea potius, quantum in nobis est, & ad nos pertinet, studeamus augere, & ad meliorem statum, si fieri possit, reformare. Quia igitur ad nostram notitiam pervenit, quod Ecclesia Sancti Martini de Dovere, quæ ad jus & proprietatem Ecclesiæ nostræ Cantuariensis pertinet, & ab antiquis temporibus pertinuit, per quosdam ejus parochianos, & alios, ad quos ejus advocatio non pertinet, nec pertinuit, indebite occupata, & detenta fuit, & adhuc detinetur, in grave damnum & præjudicium Ecclesiæ nostræ Cantuariensis, & ejus jurium, & in animarum periculum, & scandalum plurimorum; nos, qui ad hoc, licet indigni, Dei providentia, & beati Petri Apostolorum principis, & Ecclesiæ Romanæ, cujus legatione fungimur, gratia, vocati sumus, ut ea quæ ad Ecclesiæ nostræ Cantuariensis dignitatem, & ad ejus jura tuenda pertinent, diligenter attendamus, & ne quid in eis detrimenti patiatur, pro viribus curemus

Regem deferantur : & quia ab hoc conſeſſu, tanquam ab ipſo Reipub. corpore, optimè poteſt Rex edoceri de his, quæ populum malè habent : & quia hic Ordinum conuentus eſt ſuprema regni curia, à quâ bonis legibus latis aptiſſima decernuntur ſingulis morbis remedia. verùm ſermo hîc meus, qui ante ad omnes pertinebat, nunc ad vos de Domo inferiore propriè conuertendus eſt.

Cupio horum malorum, de quibus hic refertis, & materiam paulò exactius à vobis inſpici, & ipſum referendi modum. Ad modum quod attinet, etſi vos, qui populum repræſentatis, poſſitis mihi, quę iniquiore animo conſulitis, opportunè inopportunè, hîc publicè, aut priuatim alibi indicare : vnicam tamen vobis hic cautionem prouiſionemque commendo, ne ſcilicet quærere malitis, quàm inuenire querelarum materiam ; & Rempubl. potiùs facere nocentem, quam indicare. ſed ex priſca huius loci inſtitutione de ijs duntaxat vitijs referatis, quæ egent emendatione, & quorum tractatio veſtræ fidei à populo commiſſa eſt. nam aucto ſic in immenſum eorum numero, differuntur continuò in populo rumores, nihil non eſſe in Reipubl. regimine morbolum. Statim in primo conſeſſu veſtro, vt *grauaminum* mentio iniecta eſt, ita perſuaſum habebant plerique nihil malle vos, quàm numerum augeri, vt ſymbolam ſuam, quam ſua cuique indignatio & ira ſuggerebat, certatim ad vos contulerint. Inſecuta eſt fateor, res mihi longè gratiſſima, quaque & meæ dignitati & veſtro officio conſuluiſtis, nobilis ſcilicet illa pyra, publicæ licentiæ expiatrix. Cùm enim à meridie, contra loci inſtitutum, multæ vobis obreperent in manus querelæ, furtiuis inuolutæ ſchedis, & in faſciculum collectæ (ſi non potius libelli famoſi illi fuerunt, ab ira & ſeditione profecti) vos perlectis duntaxat initijs (nec enim ſuſtinuiſtis ad finem audire) & vnanimi conſilio damnaſtis, & face ſubdita omnes concremaſtis. Itaque cùm ex Cancellario fiſci, quem ad me ideo miſiſtis, eadem nocte intellexiſſem ; quantæ vobis curæ foret mea dignitas, per eundem vobis gratias egi, & porro illius veſtri officij, cùm occaſio pateretur, memorē me fore promiſi. Nunc igitur, ne neſcij ſitis quàm mihi grata fuerit hæc veſtræ beneuolentiæ ſignificatio, ipſe vobis fio animi mei index. at cum effectus hic bonus fuerit ex mala cauſa ; etiam atque etiam vobis ſuadeo, eam in poſterum viam teneatis, qua hæc incommoda commodè declinetis : ne Domus inferior fiat diffamantium receptaculum, & eiuſmodi inter vos audiantur *grauamina*, quæ mera ſunt aduerſus me aut poſteros meos perduellionis crimina. Reuoluite igitur & tenete vetera illa officij veſtri loci que inſtituta, ne poſthac in tenebris & furtim vobis obrepant infames ſchedæ, ſed palam, & certis auctoribus, moderatori domus veſtræ in manus exhibeantur omnes querelæ. de quarum materia priuſquam

dixero, cùm videam ſingula verba mea excipi notariſque in tabulis, oratos vos volo, æquo animo feratis diſtinctioris paulò ſermonis noſtri moram, ne quid forte aliorſum, ac ego volui, à ſcribentibus accipiatur.

Primum igitur, quod iuſtas populi querelas exquiritis, non vitupero induſtriam: quin ſi id omitteretis, nec mihi nec patriæ, quæ veſtram opem & operam implorauit, fidos vos æſtimarem. nam à vobis hæ querelæ non ſunt, ſi veræ ſunt, ſed à populo vnde miſſi eſtis. & cùm mandatariorum perfidia meæ literę mandataúe in populo fruſtra ſunt; ſæpenumero ad aures meas ea res non veniat, niſi vobis in hoc conſeſſu monentibus, vt modò in Stephani Procteri negotio contigit. Tria tamen in harum querelarum materia vobis cenſeo vitanda.

Inprimis, ne res peculiari iure ad ſceptrum ſpectantes attingatis. mea illa ars eſt, & *fabri fabrilia tractent*. eiuſmodi curioſitate fieri non poteſt, quin noſtra eleuetur auctoritas. veteranus ego Rex ſum, triginta ſex annis in Scotia præſens regnaui, ſeptem annorum apud vos tyrocinium exegi, quod tempus ad dominationis experientiam ſatis eſt Regi. Non eſt opus Hannibali multis Phormionibus pædagogis: & nunc officium meum diſcere foret indecorum.

Deinde ne delibetis iura mihi tradita à deceſſoribus meis, quæque ego more maiorum poſſideo. grauiter ferrem recenſeri illa inter veſtra *grauamina*. nouitas omnis, vt in corpore naturali, ſic in politico periculoſa eſt. nollem à vobis antiqua mea iura & poſſeſſiones carpi, quaſi indignus cenſerer ijs, quæ mihi à maioribus meis relicta ſunt.

Denique ne de ijs queramini, quæ certa aliqua lege ſancita ſunt. iam experientia edocti eſtis quantopere vobis hic aduerſari ſoleam: inhumanitatis eſt à Rege id petere, quod ante ſciebatis eum negaturum. quòd ſi in lege vitium eſt, emendetur ab Ordinibus, interim ne ſit ea querelæ materia. nam qui legem iniquo fert animo, Regem æquo ferre non poteſt, iuratum legis patronum. ſed poſſunt homines (quę naturæ eſt infirmitas) in legum exercitio errare: & tum ſanè vobis licebit de abuſu querelam deferre; ſic, vt vitia hominum diſtinguatis à rerum bonitate; verbi gratia, poteſt fieri vt ſupremi Commiſſarij vocentur in crimen, exquirite ſedulò & examinate abuſum: ſed nolite dicere, Commiſſarios amplius non feremus. ita enim mea minuitur poteſtas. & iam vobis edico mihi ea ipſa de re aliquid conſtitutum, quod niſi ob grauiſſimas cauſas nunquam mutabo: nimirum, cùm irrefragabilis ſit eorum Commiſſariorum cognitio, à qua ſcilicet nulla detur prouocatio, reſtrinxi illam ad duos Archiepiſcopos, quæ ante cum pluribus alijs Angliæ Epiſcopis communis illis erat. hanc mihi legem dixi; nec erit quod metuat ſibi à Puritani agnomento, ſi quis

de

Digitized by Google

de illius iudicij corruptelis apud me hic publicè priuatimúe alibi queratur, modò probet quæ dixerit: aliàs calumnia foret non querela. nollem ipsum iudicium culpari. quos labores exhauserim in rebus Thalassiarchicis, & in illo *prohibitionum* negotio, non incompertum vobis est. si quis de similibus tantique momenti rebus apud me conqueistus fuerit, experietur me mihi in cognoscendo non parcitu rum. Regem laboriosiorem, paratioremúe audire, quæ ipsius cognitione digna sunt, neminem vnquam habuistis. Si quis aueat periculum mei hisce in rebus facere, non difficilis patebit accessus: nec me, siue hic siue alibi compellauerit, morosum inueniet.

Et vt eorum, quæ vos grauant, tandem finem faciam; liceat mihi quoque, Reipub. nomine, id apud vos proferre, quod me grauat. oro vos atque obsecro. ne magis priuatorum hominum, quàm populi vnde missi estis, affectûs redoleant querelæ vestræ. Obseruate igitur diligentissimè eius ingenium, qui refert querelam: non difficile erit internoscere, an suos affectus an populi molestiam verbis exprimat. apud vos enim multi suo ex cerebro & de rebus quas ipsi forte magni faciunt materiam promunt querelæ: populus verò, qui misit, aut parui id facit, vel etiam contrarium ab illo sentit. ego vel palpare mihi videor petitionum discrimina, quas populi dictat necessitas, & quas suggerit proponentis iracundia; seu aduersus Ecclesiæ regimen, seu viri Nobilis aut Commissarij personam.

Superest tertia sermonis mei pars, cur hæc comitia indixerim; qua in re antiquum illud obtineo, vt meum ipsius negotium in vltimum locum reijciam. Mirabamini fortè, cur initio huius confessus, vt in cæteris, non statim causam indicarim ob quam vos coëgerim. Verùm cùm in mei gratiam hoc tempore conuocati sitis, malui Quæstorem meum meæ mentis facere interpretem, ad cuius officium pertinet huius farinæ negotia curare. nam vt, quod res est, fatear, in hoc genere à natura infantior sum, & magis, quàm in cæteris, elocutioni meæ hîc diffido. Quæstor vobis mearum impensarum iam reddidit rationem: quæ rara est fateor in Regibus popularitas, vt subditos ad rei familiaris calculos admittant. Si non nimium vrgerer, vobis (mihi credite) molestus non essem. Quod vir ille Nobilis suam dignitatem testatus, vobis confirmauit (nec hucusque causa fuit cur eius fidem suspectam haberetis) id ego, testor regiam dignitatem, longe esse verissimum: qua in re mihi fidem derogare sine iniuria non potestis. Fas est mihi à vobis petere, quæ vestri sunt officij. Subditorum vero pars vna est officij, eaque non minima, Principum suorum necessitates leuare. at modum liberalitatis vestræ, tempusque statuere, vestræ erit nunc beneuolentiæ, vestri amoris. Non est mihi animus de regia potestate hoc tempore disputare, tantùm vobis innuo, quid

meo iure petere, quid à veſtra humanitate expectare liceat. ipſe odi extrema omnia: & vobis hoc in negotio ea cenſeo vitanda. nam ſi parùm mihi conſulueritis; negotij, propter quod conuocati eſtis, incuriam non immeritò vobis imputem. Sin vltra populi vires mihi conſulueritis, aut inæqualia æqualibus onera impoſueritis; mihi cum Republ. communis erit aduerſus vos querela.

Ego dum ampliſſimi huius conuentus ſtructuram quaſi, & compoſitionem penitus examino; video Superiorem domum conſtare partim ex Optimatibus, quibus hæreditario iure illic locus eſt; partim ex Epiſcopis, quibus durante ſua vita ibi ius eſt ſuffragij. quicquid igitur ab his datur, propriæ ipſorum liberalitati adſcribendum eſt: dant enim ſuo nomine non alieno. at Domus inferior corpus plebis repræſentat, ideoque, quicquid illhic confertis, non minus abſentibus quàm præſentibus acceptum ferre oportet. quò magis vtraque extrema vobis vitanda ſunt. hinc enim expeditior vobis eſt liberalitas, cum erogetis etiam de alieno: illinc autem, ſi profuſiores eritis quam ferat bonorum ciuium caritas, & Regis humanitate & populi facilitate abutemini. neque ego is ſum, qui eiuſmodi dona admittam. quin & Regi poſſet hic cudi fallacia, concitatâ de induſtria per adulatoriam liberalitatem populi indignatione, vnde Rex calculo ſuo & ſubditorum amore ſimul excideret: quod ego præſidium iuſto ſapientique Regi, ſecundùm diuinam opem, longè firmiſſimum & tutiſſimum ſemper æſtimaui. quod enim non nemo è veſtro numero, vanus augur, cauere iuſſerit, ne nimiâ hîc liberalitate iugulos veſtros domi apud plebem periclitaremini; perſuadete vobis nunquam petiturum me, quod aut in populi iniuriam, aut veſtram reprehenſionem olim vertat. qua in re vt meum vobis ingenium notius euadat, teſtes appello pleroſque à concilijs, qui hic adſunt, ſi non ante comitia hæc, cùm intelligerem tanta mihi opus eſſe pecunia, non fuerim magis de populo ſollicitus, vt abſque ſuo magno incommodo mihi ſubuenirent, quàm de pecunia, cuius petitionem ipſa vrgebat neceſſitas. quin & conuentum hunc ampliſſimum quantus quantus eſt appello, ſi cuius hic operam ad certum tributi modum aut ſummam implorarim; niſi quatenus præſentem ærarij mei inopiam nudare neceſſe erat. Dicant etiam conſiliarij mei & aduocati, ſi vnquam de vobis prenſandis cum illis egerim. Odi ego ambitum, ſi quiſquam alius, & emendicata ſuffragia. Bonus Rex omnia maioris momenti negotia ad religionis, & dignitatis, & iuſtitiæ leges examinat (vt recte veſtræ domus moderator) quibus finibus omnia mea cum Deo circumſcribam. Verùm neque ego extremum illud & ſummum poſtulo, vt plus mihi decernatis, quam bonos & officioſos ciues tali tempore deceat conferre; id enim eſſet vna cum marſupio ſicam offerre; neque vos (vt ſpero) ex vanitate

nitate opinionum nata cauſabimini incommoda, aut futiles comminiſcemini excuſationes, aut popularis inopiæ obtentu veſtrum palliabitis affectum & voluntatem. Si qui tales ſint nullam quidem à me patientur iniuriam (nam fauente Deo ius omnibus reddam æquabile) at facile poteſtis cogitare, exiguam ſubeſſe cauſam, cur illis, cum mea ope opus erit, gratificer aut benefaciam. Interim nemo eſt, qui me ob huiuſmodi repulſam, ſi id fecerit cum ratione & modeſtiâ vnquam ſentiet iratum. qui bonæ legi aduerſabitur me aduerſarium inueniet: at pecuniam dare vel negare nihil eſt niſi amoris indicium. Itaq; dum peto meam neceſſitatem leuari, id tantum peto quod mihi iure debetur. nam ſi quæſtio vobis proponeretur, an regiæ inopiæ ſubueniri oporteat à ſubditis, nemo opinor è vobis refragaretur. vbi etſi Regis propria vtilitas agi videatur, ab vtilitate tamen Reipub. ſeparari ea non poteſt. Parens patriæ vobis ſuam aperit inopiam: imo ille interprete patria ipſa vos alloquitur. nam Rege egente eget Reſpubl. & in Regis ſubſidio & robore quæritur incolumitas & ſalus Reipub. Male illi ſit qui bonum publicum à Regis bono putat ſeiunctum. nam quemadmodum Rex ille miſer eſt quantumuis opibus beatus qui pauperibus imperat cùm opes regiæ ſint diuitiæ & amor populi. ita Rege inope, quantumuis ciues ſint opulenti, regnum infirmum cenſendum eſt. Etenim in pace & bello Regis opulentia eſt regni neruus, in pace ius oportet vobis reddere, in bello ius veſtrum armis defendere; neutrum horum fit ſine idoneo ſumptu quem à vobis haberi oportet. Nihil à meo ingenio alienius eſt quam populum grauare: neq; grauius quicquam quam poſcere ab alijs qui ad dandum natus ſum. Plus poſco fateor quam vllus huc vſque Rex Angliæ, ſed longè mihi maior & grauior poſcendi cauſa quam eorum cuiquam. Ex ſi autem Queſtor meus & neceſſitatis meæ & petitæ à vobis ſummæ cauſas prolixe ſatis oſtenderit, nullo argumentorum genere quod ad rem faceret omiſſo: ad probandam tamen petitionis huiuſce æquitatem rationum præcipuas quæ mihi nunc ſuccurrunt libet repetere.

Conſtat in primis regnorum quę me comitantur acceſſione neceſſariò ſumptus meos augeri. quo maior eſt Rex veſter & ditionum & ſubditorum numero eò plus impendet, impenſæque magnificentiâ maiorem vobis dignitatem conciliabit.

Deinde liberorum numerus, quibus me Deus in veſtrum commodum & vſum beauit maiora ſecum fert impendia. Vobis notum eſt Reginæ celebris memoriæ quamuis orbæ plurima fuiſſe à populo data, imò plura quam Regum priorum vlli.

Tertiò appropinquat tempus inaugurationis filij mei, quam durantibus Comitijs honoris ergo celebrari volo. de illo nihil addam cum ſua præſentia vultuſque vobis commendet.

Quartò

Quartò non diffiteor multa mihi erogata, at ſi iſthic vbi profuſior videri poſſem parcimoniæ & frugalitati ſtuduiſſem; & Reipub. & mihi & nuperæ Reginæ dedecori fuiſſem. An in illius funere mihi quęrenda erat parcimoniæ laus? an in meo vxoriſque in hanc terram ſolemni ingreſſu? an in primo in vrbem Londinum introitu & coronatione? nonne cum plerique Europæ Monarchæ & Principes mihi fælicem gratularentur aduentũ, nonnulli legatis miſſis, nonnulli prę-ſentes, ex mea & regni dignitate erat illos pro dignitate excipere? Quod ſi quis dixerit non niſi belli tempore ingentia hæc tributa ciuibus imperari, ego tamen iure auſim reſpondere quanquam vos domi alta pace fruimini, me tamen continuo bello implicari, quod ſi foris geritur minus inde vobis eſt periculi: nam (vt Quæſtor meus prolixe apud vos differuit) cogor ego & propter Rempub. & meum ipſius promiſſum, & commune religionis noſtræ periculũ, auxilia militum mittere in Cliuiam, quod quamdiu facere oporteat, aut quæ ampliora ſubſidia negotij neceſſitas requirat, incertum eſt. Et quanquam Beruicenſe præſidium dimiſerim; centuriones & duces prioris Reginæ auſpicijs illîc militabant, meis hactenus aluntur ſtipendijs: non contemnenda (ni fallor) militum pubes in huius regni propugnaculis meo ære mæret, vt de oppigneratarum vrbium Fluſſinæ & Brillæ præſidijs nihil dicam. Quod ad Hiberniam attinet ſatis vobis conſtat. quam incerta illic ſint mea impendia, hominibus partim barbariei partim corruptæ religionis vitio, in rebellionem pronis: quam improuiſus fuerit & ſuperioris anni tumultus, & meus in eo ſumptus neminem veſtrum latere poteſt. Præterquam quod ibi veteranorum exercitum perpetuo habeam ſub ſignis. Eorum numerum certum eſt non diminuere, donec firmatæ fuerint quas deducere ſtatui colonias, qua re nihil huc vſque accidit rebellibus moleſtius: & nunc ſi quid conando, rebellando poſſunt; omnem illi mouebunt lapidem, vt has colonias auertant. Cæterum ad honeſtiſſimas haſce & plane neceſſarias ſumptuum cauſas, fateor acceſſiſſe multa meæ liberalitatis munera. cogitabitis tamen vt ſpero nihil à me datum niſi vobis. nec quicquam mihi eſſe à vobis quod non à me redeat ad vos. at nimium credor in Scotos profuſus. ni quorundam fidem & operam compenſaſſem, quæ vobis tandem ſpes de mea gratitudine reliqua fuiſſet? num bene de me ſperaſſent recentiores ſubditi, ſi malignè cum vetuſtioribus egiſſem? veruntamen ſubductis vt oportet rationibus duplo plus Anglis erogatum inuenietis. Multũ igitur errauit à vero, qui apud vos dicere non erubuit tantam eſſe Edimburgi auri argentíque copiam. ego nullum illi grauius optarem ſupplicium quam vt ex talis opulentiæ fœnore vitam ibi toleraret. ſed ſpero me munificentiæ vitio parum vobis inuiſum; quoquouerſum oculos conijcio neminem fere video,

qui

Digitized by Google

qui non aliqua petitione aut honoris aut commodi mihi innotuerit. Benignitatis regiæ venam nunquam, fateor, decet arescere. alioqui enim difficile esset ciues aut seruos bene meritos sibi demerere. sed immodici sumptus causæ cum primo regni mei inter vos triennio abierunt. & quod sæpe soleo dicere Natalitiæ illæ feriæ iam peractæ sunt. Cùm recens ad vos venissem partim Reipub. imperitia (quæ ars nisi tractu temporis & experientia non discitur) partim ipso aduentus modo, honorifico plane & mirabili, munificentior meipso factus sum. tunc in ordinem equestrem non singulos referebam sed centenos; Barones simul plurimos adlegebam. nunc ni fallor longe aliter animatum me habetis & in posterum spero habebitis. Verùm vt hanc de sumptibus partem finiam; magnifica volo Regum impendia non luxuriosa; quod si prioribus Angliæ Regibus honestissimis in rebus vsitatam neglexero magnificentiam, aut vitam meam ad loci huius dignitatem non conformaro, tam fuerit illud à vestra quam mea dignitate alienum. quæ tot tantaque cum ex aëre & elementis haberi nequeant à populo sanè expectanda sunt. Vt autem illis qui de mea frugalitate in posterum desperant scrupulum eximam, intuemini me quæso & liberos meos. si nil essem nisi homo non imprudens certè iam ratio sumptuum meorum habenda est. Quod ad me ipsum eos appello arbitros quibus notus sum ni tam paucis contẽtus videar, quam quisquã alius infra meã sortem cui ratio dux vitæ contigit. Cùm igitur nulla spes restet nisi in populo; ego mihi à vobis illum tributi modum spondeo, quẽ populus ferre potest. cùm ratio ipsa postulet illum Regẽ supra cæteros omnes ope vestra atque auxilio ornetis, qui vestram dignitatem nouis accessionibus (absit verbo iactantia) plus cæteris cumulauit. Confido enim neminem vel in hoc amplissimo conuentu, vel foris reperiri, qui ad regij status splendorem, semel muniendum firmandumque non libenter conferret, vel quantum vna nocte impendit aleæ, vel equi pretium animi causa coëmpti, qui postridie crurifragio intereat. Imò mihi persuadeo malle bonum ciuem solito frugalius victitare, quàm regiam dignitatem inopia periclitari.

Optarem igitur celeriter expediri hoc quicquid est negotij. donantis alacritas commendat donum: & bis dare dicitur qui cito dat. quo magis cunctamini eo crescet magis æs alienum, amplioriſque tributi orietur necessitas. Conuertite mecum oculos ad exteras Respubl. quarum ad vos oculi conuersi sunt, huiusque rei expectatione suspensi. quid ijs cogitandum relinquitis si domum abieritis meæ necessitatis securi, vel eum tributi modum non decreueritis qui sit meæ dignitati alendæ; nisi aut indignum me à vobis iudicatum cui subueniatis, aut tam desperatam esse inopiam nostram cui subueniri nequeat, atque adeo Regem & Ordines regni sibi mutuo esse in fer-

mento,

mento, quod absque nostræ æstimationis iactura domi foriſque fieri non potest. id enim vobis persuasissimum esse debet, ita esse inter exteros Principes comparatum, vt illum maioris faciant vnde parem expectent beneficij & damni retributionem. neque illud vos latet contemptui vicinorum expositum Regem, eorundem iniurijs belliſque opportunum fieri: quibus ingraueſcentibus nimis sera erit medicina, cùm nulla sanitatis spes relicta est. prœuisa mala facilius arcentur. Definite igitur quid sit vobis hoc tempore agendum, ne multa conando nihil ipsi agatis, & meum simul negotium impediatis. meministis adagium Gallicum; *Qui trop embrasse rien estreint.* Non condimus in hisce comitijs testamenta nostra, quasi nunquam posthac conuenturi: nec quæcunque ab Ordinibus regni tractanda sunt, continuo ipso in hoc conuentu peragi oportebit; vt tamen subcesiuis vestris horis suæ respondeant curæ, ea vestræ deliberationi ingeram negotia, quæ vestro consilio hoc tempore imprimis egent. Erit hic mihi à Deo principium, nempe à religione, vnde si ordiamur cætera omnia prosperè euenient: dicam post nonnulla de Republica; quædam denique attingam quæ ad regni huius ornamentum spectant & voluptatem.

Multa sunt quæ nostros animos ad religionis curam aduertant: Papistarum supercilia in solitam enormitatem rursus excreuere, vnde multis nata est suspicio nouum esse illis præ manibus stratagema. quorum plebs etsi (Deo sit gratia) non parum decreuerit, lautiorum tamen numerus in dies augetur sequioris præsertim sexus. quorum ea est iam superbia vt nemo eos ausit iudicio sistere, nemo iudicare. ita illi vt fama est magnorum aulicorum patrocinio tuti sunt. securius est pabulum igni subtrahere quam accensum extinguere.

Nam leuius ledit quicquid præuidimus ante.

non quod existimem seueriores ferendas leges, sed iam latas exercendas, ne desuetudine rubiginem trahant & contemptum. Mihi compertum est sanguine & sœuitia in religione promouenda parum profici, præterquam enim quod nolit Deus violentia sanguiniſque effusione suam plantari Ecclesiam, vt recte aiunt Theologi, ratio quoque ipsa persuadet & experientia confirmat, homines quum religionis causa vexantur, potius animi sui magnitudine ingenijque peruicacia, quam causæ bonitate omnia tormenta alacriter sustinere, & mortem quóque ipsam; vt vanam illam & vmbratilem Martyrij famam consequantur.

De vsu Iuramenti fidelitatis dubitatum est, & tam obscura putatur ea legis pars qua iubetur exigi; vt à quibus exigi debeat incertum sit. ego hanc quæstionem Iudicibus antequam ad solennem abirent regni circuitum proposui, sed parum expedite mihi ab ijs responsum

est

Digitized by Google

eſt. nunc igitur eximatur ſi quis adhuc de Iuramenti exactione ſcrupulus ſupereſt, & cùm ipſe litem illam à Pontifice intentatam ſcribendo fecerim meam, & publicas Babyloni inimicitias calamo indixerim; turpe nobis iam foret ab actione diſcedere, aut ſuſceptam iam cauſam furtim deſerere.

Quod ad illos peruicaces Pontificis aſſeclas, qui mitiore *Recuſantium* nomine appellantur, omnes ad vnum ſiſtantur iudicio. Nimium hactenus hîc conniuiſtis, nimium nobilium vxoribus & conſanguineis & clientelis pepercíſtis; omnes ſentiant vim legis: meum erit pro re nata ignoſcere. Conniuere enim in delictis, eaque ne appareant ſilentio tegere, non eſt è Regis dignitate; nedum vt ex hac ſtupiditate clementiæ laudem alicubi mereri poſſit. confeſſa crimina aut iudicio cognita ignoſcere, hoc verò eſt clementiæ. Et res nunc poſtulat, Domini Epiſcopi, ad vos me conuertam, qui mihi maiorem in modum hortandi eſtis; vt peruicaces iſtos omnes ad vnum coram vobis ſiſti iubeatis. maior hic paulo à vobis cura exigitur; quanquam enim eorum animos luce veritatis imbuere diuinæ ſit bonitatis, veruntamen ne creſcant, ne nobis inſultent, hoc veſtræ eſt induſtriæ.

Et vt hac in re vobis ima promam pectoris mei ſenſa, ſubditos meos Pontificiæ ſuperſtitioni addictos bifariam diuido. Sunt quibus nulla vnquam alia inſtitutio acceſſit, quemadmodum decrepiti illi quos Mariæ Reginæ Sacerdotes vocatis; iunioreſque nonnulli quibus ætas tamen omnis in illius inſcitiæ tenebris tranſacta eſt. Sunt quos à veritatis profeſſione olim nobiſcum communi, vel indignatio, vel audacia, vel nouitatis ſtudium abduxit: quibus hominibus non eſt maior religio nouam religionis faciem amplecti, quam nouellam recens aduectam Pariſijs veſtimenti formam.

Priorum me miſeret, modò tamen paci ſtudeant non odi: quin ſi ipſe priuatus eſſem ab eorum amicitia & ſocietate non abhorrerem. Apoſtatas autem ſuæ ſectæ perditiſſimos oſores non poſſum fateor non odiſſe. neque à me plus vnquam expectent fauoris quam ipſa mihi iuſtitiæ lex iniunxerit. aduerſus hos leges ſeueriſſimè cuperem exerceri, leges & vos ſedulo in id incumbere ne lateant. hiſce aliquot annis quicquid patrimonij mei celabatur certatim à me multi petebant; liceat mihi viciſſim vnam rem quæ celari ſolet ab Epiſcopis & Iudicibus petere, ne celentur amplius Papiſtæ.

Quod ad Rempubl. vnum vobis commendo, labenti ſyluarum honori noua aliqua lege conſulatis. ſub finem proximi confeſſus veſtri libellus ea ipſa de re vobis ingeſtus eſt, quem quia vitijs nonnullis laborabat totum repudiaſtis. ſatius fuiſſet emendari vel nouum fieri quam propter errores aliquot penitus reijci. Quis enim oblato veſtimento paulò informiore, mallet nudus incedere quàm ſublato formæ

vitio

vitio rudem ſibi aptare materiem? nequeo conijcere cur rem tanti momenti feceritis tam parui, niſi quia vobis eo tempore libuit eſſe paulò procacioribus; &, quæ ego maximè volebam fieri, ea minimè curare. Tanti eſt ſyluàs alere, vt abſque ijs regnum hoc durare, aut regni nomen tueri nequeat; ſic veſtræ neceſſitati & oblectationi inſeruiunt. Neceſſitati quidem, vt ſine quibus elementi longe omnium præcipui vſu deſtituimur: neque enim in regionibus hiſce Borealibus ſine igne eſt viuere aut cibos coquere. non poteſt hic populus Cannibalum more crudis veſci carnibus: longè aliter in Anglia homines educantur. Oblectationi autem, quia niſi ſuum conſtet ſyluis decus, perijt nobis nauium tutela, huius terræ, quæ diuino munere Oceano vallata eſt, maximum certe præſidium, nunc præcipuè, cum meæ ſucceſſionis beneficio tota ſibi vnita eſt: quid quod pereunte nauigationis honore ceſſabit exoticarum inuectio, & noſtrarum euectio, adeoque omnis negotiatio, præcipuum huius regni fulcrum. huc accedant noſtra veſtraque in venationę & aucupio oblectamenta, quę cum ſyluis vna interire neceſſe eſt. his igitur tantis incommodis lege aliqua proſpiciendum eſt.

Nunc vt vltimo loco de voluptate dicamus vbique ferè in hoc regno niſi maturè prouidetis, de illa ipſa venandi & aucupandi recreatione prorſus actum eſt. ego vobis ne gratias quidem debebo, ni ſeueriore lege labenti huic voluptati nunc conſulatis, quam in proximo veſtro feciſtis conſeſſu; vbi in perdices & phaſianos viliſſimo etiam villico, ius ſuo in agro dediſtis. quî obſecro non pereat omnis hæc recreatio, ſi viri generoſi & nobiles quibus ampliſſima ſunt latifundia, omni cura has vòlucres aluerint, fouerint, ſeruarint; ſcabioſus autem villicus cum primum intra areæ ſuæ anguſtias conſpexerit ſidentes, inſidiari, capere, necare, ius habeat? Certè nulla mihi ratio relicta eſt qua animalib. in meo genitis proſpiciam, niſi omnia prædia mea muris cingam; tectis quoq; ſuperimpoſitis ne qua tranſuolent, aut perdicum vt falconũ meorum pedib. annellos appendam inſignib. meis cælatos, quî enim aliàs dignoſcentur eſſe regiæ quum in villicorũ areis ſidunt?

Contra eos quoque lex à vobis ſancita eſt qui damas, ceruos & cuniculos furtim occidunt, & auferunt, in qua lege poſt multa verba, tandem pœnam ad eos ſolos reſtringitis, qui noctu id facere auſint. vnde perditis hominibus perſuaſio nata eſt, nihil eſſe in ceruorum cæde, ſi interdiu fiat, flagitij: quemadmodum illa Lacedæmoniorum lex de furto, non tam furtum prohibebat, quam cautè exercendum ſtatuebat, ne detegeretur. vnde factum eſt vt fatuus puer ſibi à vulpe paſſus fuerit cor exedi. neque abſimile illud eſt Canonici iuris, *Si non caſtè tamen cautè*. Videor haud dubie quibuſdam ex affectu loqui, & vt venator. ſed nemo veſtrum eſt quantumuis ferarum aut venandi incurioſus, cui non

non æque gratum ſit ex ferina artocreis veſci, ac præſtantiſſimo venatori: at ſi ferarum nulla habeatur ratio, ferina vobis nulla erit. Quod ad phaſianos & perdices, viris bono loco natis in ſuis præſertim prædijs hoc genus oblectamenti non inuideo, vili tamen plebeculę nollem indulgeri. quin & generoſioribus perſuaſum cuperem, vt liberali modo, & vt ipſis dignum eſt, aucupium hoc exerceant; abſque retibus & tormentis & id genus alijs inſtrumentis prorſus illiberalibus, & ad auium interitum excogitatis: vt præterea intempeſtiua anni hora ab illis abſtineant. quanta enim iſta eſt luxuries phaſianorum aut perdicum pullos vix muribus maiores occidere? vt taceam decuplo plures ab equis & canibus conculcari quam à falcone interimantur, & inſignita illa & irreparabilia data ſegeti circa id tempus damna.

Sed moleſtæ orationis iam finem faciam, iuxta Frãciſcanorum conſuetudinem oraturus aliquid mihi. In huius conſeſſus initio, cùm Quæſtor meam indicaret inopiam, ſola mihi crumena laborabat; verùm nunc diſſipato domi foriſque meæ petitionis rumore, fama quoque & dignitas laborat. quòd ſi domum hinc abeatis non eo quo par eſt modo, ſubleuata mea inopia, qui excogitabunt homines; niſi me ſubditorum meorum odio neglectum: neque hinc ita diſcedere poteritis quin veſtros mores mihi diſplicuiſſe ſuſpicemini, & porro meam metuatis iram. ſed ego lætiora omnia ſpero, & ſpondeo.

Atque ita promiſſo meo ſatisfeci, exhibito vobis criſtallino regij animi ſpeculo, cui ego triplicem quæ ſpeculis fieri ſolet deprecor iniuriam; primam quidem ne adulterina luce hoc noſtrum intueamini, quod tum fiet ſi aliorſum atque ego dixi verba mea acceperitis: ſecundam ne impuri anhelitus madore, aut illotis manibus obſcuretis; ne ſcilicet pro veſtri affectus prauitate ſenſum meum deprauetis, illis ſimiles qui id à campana dici imaginantur quod ipſis maxime cordi eſt. tertiam & peſſimam, ne vobis excidat è manibus ſpeculum hoc & frangatur, quod tum demum eueniet, ſi ſpretis omnibus quæ dixi non ceſſeritis rationi. Sicut igitur (vt tandem finiamus) hoc triduum proximum quod in medium pœnitentiæ tempus incidit, mutua inter vos gratiarum actione conſumptum eſt; ita voueo ſperoque eum fore huius conuentus ſucceſſum, qui nos iunctim obliget, me caput vos corpus Reipub. huius; vt Deo Opt. Max. omnis boni auctori ſacrificium euchariſticum vnanimes offeramus.

Digitized by Google

ORATIO

HABITA

IN CAMERA STELLATA

XII. KALEND. IVL.

M. DC. XVI.



Vdicia tua da Regi, ô Deus, & Iustitiam tuam Regis filio.

Hæc prima sunt verba vnius è Psalmis regij Vatis, quorum sensus literalis ad ipsum & filium Solomonem pertinet, mysticus ad Deum & filium eius æternum, Christum: vterque sibi sic implicitus, vt nonnulla sint Deo soli & Christo, nonnulla Dauidi & filio propria. Nam hic versus, *Da iudicia tua Regi, ô Deus, & iustitiam tuam Regis filio*, de alio intelligi non potest, quàm de Dauide & filio. Deus enim sibi nihil potest dare. Quod autem alio huius Psalmi loco dicitur, *Iustitia florebit & pacis amplitudo, quamdiu erit Luna*, æternitatem notat, nec congruit nisi Deo & Christo. at vterque sensus, cum literalis tum mysticus, Regibus ad imitationem proponitur, præsertim Christianis, hi enim Dei throno insident, nec non vocantur Dij.

Omnes igitur Reges decet integritati & iustitiæ studere, vt Deum Christumque eius imitentur; pietati verò & prudentiæ, vt Dauidem & Solomonem. *Prudentiæ* nomine intelligitur facultas discernendi, iudicandique alios. at *pietas* est fontis ipsius puritas, vnde hi scatent

riuuli. nam nulli bono sunt pia opera, nisi sint ex pietate. integritas nostra nobis seruit, iustitia nostra alijs. iustitia Regis non prodest, nisi à puro corde profecta. nec bonus Rex habendus, qui non cum iustitia integritatem coniunxit. quæcunque facit iusta iustè faciat, & ipsius iustitiæ amore, & è puri cordis promptuario. alias si gloriæ, si commodo seruiat, dum iusta exequitur; non iustitia, sed iniustitia nominetur. hac Dei Christique imitatione, in cuius throno sedemus omnes, à principio stabilitæ sunt Respubl. præsertim verò Monarchiæ. Monarchæ propriè sunt Iudices, quibus iuris dicendi potestatem propriè commisit Deus. nam in throno Dei sedent, vnde omnis ea facultas deriuata est.

In omnibus bene institutis Monarchijs, vbi leges sanctè ordinatéque stabilitæ sunt, videre est potestatem iudicandi inferioribus Magistratibus à Rege communicari: non quòd Rex ea se exuat, sed quòd illis eam communicet. nec enim se priuat regali iure, vt illos ornet, sed sic impertit, vt ipse nihil minus habeat. Vetus hoc est adeoque à Mose & Iethrone repetitum. postquam enim Moses solus aliquandiu rexisset populum, & sine auxilio amplius non esset oneri ferendo, Iethro socer, qui eum inuisebat, animaduertit generum curæ magnitudine grauari, nec populo tamen satisfieri. suasit igitur pro minoribus controuersijs iudices delegaret, maioribus reseruatis sibi. quo consilio omnes Reges, quibus est ordinata & legitima potestas, Christiani præsertim, ex eo tempore vsi sunt, quanquam alia atque alia ratione.

Alius est in Gallia delegationis huiusce modus, alius in Anglia. Scotia hac in re differt ab vtraque. omnia tamen regna in eo conueniunt (de ijs loquor in quibus ordinati iuris forma obtinet) quòd Rex diuini insessor solij, inferiores iudices & quidem plures deleget: nec enim cuiusquam eorum est ius dare, sed dicere, & interpretari. At eorum numerus, & iurisdictionis ratio, & tribunalium collegiorumque distinctio, diuersis in locis diuersa sunt, pro varia Reipubl. ratione & Regum institutione. hoc igitur mihi firmum & immotum maneat, Dei Opt. Max. propriam esse iuris reddendi potestatem, & tribunal: Reges Dei vicarios esse: Iudices à Regibus delegari, vt partem oneris sustineant. Eo spectat Mosis exemplum, Iethronis consilium, prudentissimorum Regum inde ducta consuetudo; Dauidis, inquam, & Solomonis: quod in Psalmo tanta intertexitur solertia, vt prima verba Dauidi & Solomoni conueniant, *Da Regi iudicia tua, & iustitiam tuam Regis filio*: alia vero (*florebit iustitia, & abundantia pacis, dum luna durat*) proprie æternitatem Christi significent. Quæ ideo in medium attuli, vt arctissima illa intelligatur coniunctio, qua Rex vnitur Deo, & Iudices Regi. par enim omnino est vinculum,

&

Digitized by Google

& cum à Rege adſcendis ad Deum, & cùm à Rege deſcendis ad Iudices. Reges a Deo mutuantur poteſtatem, Iudices à Regibus. Reges adminiſtrationis ſuæ rationem reddunt Deo; Iudices Deo, & Regibus. at Reges & Iudices duo habent in Deo & Chriſto quæ imitentur, puritatem & iuſtitiam; in Dauide & Solomone totidem, pietatem & prudentiam. quemadmodum autem Deo rationes ſuas expedire non poteſt Rex, qui diuinam voluntatem non exponit, ſed mutat: ita nec Regi rationes ſuas expediat Iudex, qui leges ferre tentauerit; quas communi Collegarum conſilio tantum fas erat interpretari. nec minùs enim humanis legibus ſubditi ſunt Iudices, quàm Reges diuinis. horum eſt verum diuini iuris ſenſum ſuis in ditionibus tueri, illorum verò iuris Regij ſenſum, cui ipſi ſubditi ſunt, populo exponere.

Defunctus vetere illo *Ab Ioue principium* (quod ſanctum verumque eſt quamuis ab Ethnico profectum) dicam nunc, quamobrem hodie huc venerim, ſi prius tamen indicauero, cur totis quatuordecim annis à mea inauguratione iam elapſis non ſatisfecerim ciuium meorum deſiderio, qui ex hoc loco me cupierunt audire, vnde maiores mei ſæpe verba faciebant. præſertim verò Henricus ille ſeptimus, à quo, vt etiam ab alijs Angliæ Regibus genus duco, lineâ rectâ, & ius geminum diadematis Anglici. Illi ego vt ſanguinis iure ſum proximus, ita virtutis æmulatione volo eſſe ſimillimus.

Cur igitur ab hoc loco tandiu abſtinuerim breuiter accipite. Angliam ingrediens etſi Rex eram maturus, mediam nempe ætatis lineam iam præteruectus, & à duodecimo ætatis anno regnando exercitus; in hoc regno tamen hoſpes eram, non ſanguinis ratione, ſed huius Reipubl. ignoratione. Decreui igitur, diſciplinæ Pythagoreæ æmulus, totum ſeptennium ſilere; vt leges regni ante diſcerem, quàm alios docerem. hoc tyrocinio exacto, ecce alia iniecta eſt mora, nempe in cauſæ, quæ me in hunc locum propelleret, delectu. grandem optabam controuerſiam, in quam primam operam impenderem. Poſt tam diuturnum ſilentium dignam rem eſſe oportuit, quæ mihi hîc verba exprimeret. Et cum vtriuſque generis cauſæ hic locum habeant, magnæ paruæque, in re parua tam pertinax rumpere ſilentium haudquaquam decebat. at grauiorum cauſarum alię inter Regem & ſubditos verſantur, aliæ inter ipſos ſubditos.

Non viſum eſt accedere, vbi mea res intererat, ne me aut meo commodo aut poteſtati augendæ ſtudere ſuſpicarentur. Teſtor homines Angeloſque, quorum ego hoc in genere examen non detrecto, in iuſtitiæ adminiſtratione, quæ omnium rerum ſumma eſt, nunquam me meis rebus ſtuduiſſe.

Vbi inter ſubditos cauſa verſabatur, quæ aut controuerſiæ diffi-

Digitized by Google

cultate aut litis æſtimatione videbatur grauis, nolui intereſſe; ne alteri partium viderer obliquè fauere, neu putarent me vel Aulici vel conſiliarij cuiuſpiam impulſu veniſſe. Cùm itaque exiguam cauſam non dignarer primitijs laboris mei, & in magnis negotijs difficilis foret delectus, hactenus abſtinui. Tandem exacto gemino hoc bis ſeptem annorum tyrocinio, cur iam prodierim nunc ediſſeram.

Quatuordecim his annis voluentibus, quibus inter vos vixi, non pauca mihi videbantur fieri in Weſtmonaſterienſi foro, quæ emendationem poſcebant. nec eius inchoandæ vlla aptior occaſio dari potuit, quàm ſi meam vobis hoc in loco mentem aperirem: Vos illius memores, *Oues meæ audiunt vocem meam*, certo ſcio veſtro paſtori Regique auſcultaturos. nec iam hoc tribunal adſcendi, vt de iure reſpondeam, ſed vt publicè de ijs, quæ ſæpe ante priuatim monui, ſententiam exponam. ea nunc veſtris omnium auribus excepta, & mentibus recondita, minùs obnoxia erunt interpretantium erroribus, quam ſi loco minus frequente à me eſſent prolata. Vt ergo certa methodo ac ratione progrediar, quæ dicturus ſum omnia, numero perfectionis, id eſt ternario, comprehendam.

Primò mihimet ipſe nonnihil dabo in mandatis. nec enim cum laude imperet cæteris, qui non rectè imperat ſibi. Riuulorum ſalubritas non eſt niſi à fonte; qui ſi impurus fuerit, non eſt quòd eos expectes limpidos. Secundò, Iudicibus nonnulla dabo in mandatis. Tertiò auditorio & inferioribus Iuſtitiæ miniſtris.

Primò mihi credite (aliter autem coram vobis loqui ac ſentio mihi religio eſt, in hoc Iuſtitiæ, id eſt Dei throno, qui nunc hæreditario iure ad me deuolutus eſt) conſtitutum iam mihi eſſe iuſiurandum illud, quo me ipſe ad Iuſtitiam & huius regni leges tuendas obſtrinxi, hoc tempore renouare. vt enim in ſacris confirmatio diu ſequitur baptiſmum, ita quod ego iureiurando iam pridem in me recepi, nunc poſtliminio reduco. Teſtor Deum nihil mihi antiquius aut prius fuiſſe, quam omnibus illius Iuramenti partibus ſanctiſſimè, quantum in me erat, defungi. De iure & iuſtitia loquor. nam in religione ſpero me mediocriter iam innotuiſſe. Ius autem intelligo, Angliæ municipale, quo Rex regit, populus regitur. Vos ipſos appello teſtes, anne vnquam in Ordinum huius regni conuentu id ius voluerim mutari? an cum regna illa, quæ in me vnita erant, in ſe vniri poſtularem, non ſtuduerim Scoticas leges Anglicis conformes facere, non Anglicas Scoticis? vt verum illud fieret, quod abauus meus Henricus ſeptimus vaticinatus eſt, cum filiam ſuam natu maximam Margaretam Iacobo quarto proauo meo elocaret, *per matrimonium non accedere maius regnum minori, ſed minus maiori.*

Stulta illa fuit quorundam Iudicum argutia, non potuiſſe Scotiam

Digitized by Google

tiam & Angliam ſub nomine magnæ Britaniæ ſine iuris mutatione vniri. nam poſt illud tempus reſciui alia maiora, & magis mira Comitiorum decretis poſſe fieri. Catus ille Senex, Burlæus Quæſtor, dicere ſolebat, *neſcire ſe quid in Anglia per regni Ordines fieri nequiret.* & animus mihi tum erat non Angliam Scotiæ, ſed Scotiam Angliæ vnire. nec ius Angliæ antiquare, ſed antiquo honore ſemper dignari. tum quia quicquid olim bene conſtitutum eſt innouatione deterius fit, niſi forte ſit hoc innouare, repurgare à vitijs, priſtino decori reſtituere: tum quia interueniente iuriſiurandi religione ad ius Angliæ tuendum obſeruandumque obſtrictus ſum, adeoque ſine perfidiæ nota mutare ſi vellem, non poſſem: quod eo ſignantiùs cogor repetere vt iniquam de me opinionem abijciant, qui in eo me eſſe credebant, vt leges Angliæ abrogarem. teſtor Deum nihil tale mihi vnquam in mentem veniſſe, & huius ſanctiſſimæ affirmationis vos omnes teſtes eſſe volo.

Legibus addo iuſtitiam, quæ cuique ſuum tribuendo occupata eſt. quàm hic nullis vnquam partibus addictus fuerim, conſcios habui è Iudicibus & aduocatis meis, qui diem ſuum obierunt: nec eorum, qui viuunt conſcientiam reformido. Vbi meum agebatur patrimonium, rem foro permiſi, vt vnus è multis: nec iniuria, cùm Regem deceat ad legum obedientiam ſuo exemplo cæteros inuitare. nemo hic meam expectet indulgentiam, qui mihi ipſe nihil indulſerim. In criminum ſupplicijs poterit iuſtitiæ ſeueritas clementiâ mitigari, aut (vt rectius dicam) ſine clementia iuſtitia nulla eſt: at vbi ſuum cuique tribuitur, cæca eſt iuſtitia, ibi amore & odio vacare volo.

In Scotia, ſi quis cauſam comperendinari differrique poſtularet, reſpondere ſolebam, alienum id eſſe à Regis officio. ſin peteret quiſquam ſine mora rem expediri, dicebam, me quadraginta huius generis petitionibus facilius annuere, quam vni prioris. faxit Deus Opt. Max. hæc mihi in finem vitæ conſtans maneat ſententia.

Quod de iure & iuſtitia iam dixi: de iure intra ſuos fines coercito intellectum volo. Scio Regis & ſubditorum patrimonia iure Anglico examinari, id eſt, iure à maioribus meis ſtabilito, & eruditiſſimorum virorum cómentarijs poſteà explicato, quos *reſponſa prudentũ* vocatis. addantur decreta Ordinum in regni comitijs pro temporum rerumq; occaſionibus, & cætera quæ in Anglia legum habent vigorem. At fateor omnes omnium quæſtiones de poſſeſſionibus & patrimonijs ex iure illo municipali decidi.

Eſt & aliud ius, quod dignitate cætera tranſcendit, nempe Diuinum; cæterorum regula, index, lima, cui niſi ea conformia ſint iniuſta habenda ſunt. De hoc iure nihil mihi aliud dicendum eſt, quàm nimis

nimis inter nos viluiſſe, quemadmodum etiam illius profeſſores nimis hactenus ſorduerunt. Cogor dicere quod res eſt, Proceribus, Iudicibus, ſummis, imis, nimium illi ſorduerunt. Non firmabit Deus noſtra iura, niſi debito honore proſequamur ius diuinum; quod fieri non poteſt, ſi illius interpretes ſpernamus. Contemptus hic Eccleſiæ noſtræ, quæ earum omnium, quæ ſunt aut fuerunt, quantum ipſe legendo aut fando intelligere potui, omnium puriſſima eſt, & primitiuæ illi & Apoſtolicæ proxima, ſeu doctrinam ſeu diſciplinam ſpectes, & verbo Dei maxime omnium innixa: Contemptus, inquam, Eccleſiæ huius, Doctorumque illius & Antiſtitum prope eſſe finem vniuerſi non obſcure arguit.

Ius gentium ſanctitate proximum diuino haberi debet, quod ne regno hoc pellatur aliquando, Deus Opt. Max. auertat. Neque enim peregrinis hominibus ita iure noſtro ſatisfacias, vt Romano; nec etiam ciuibus, vbi de Pyratica, matrimonio, teſtamentis, & id genus alijs oriuntur quæſtiones. Ius illud in Ciuile & Canonicum diſtinguo, vtrumque à mea coronatione ita ſpretum, motumque loco, vt iuuentute ab ipſius ſtudio deterrita Profeſſores quoque cæperint faſtidire, & quauis potius ratione vitam tolerare.

Quæ igitur de iure municipali à me dicta ſunt, de eo intra cancellos ſuos cohibito accipi oportet. nec enim æquum eſt nimia illius licentia cæteris derogari, quæ longiore multò vſu in Anglia obtinuerunt; imprimis iuri diuino & Eccleſiaſtico, deinde ciuili & canonico, quorum vſus in pleriſque negotijs omnino eſt neceſſarius.

Itaque vt mandata, quæ mihimetipſi daturus eram, tandem fineam, iuramentum meum ſanctè præſtabo, cùm in cæteris rebus omnibus, tum nominatim in iure tuendo, & imprimis huius gentis municipali. Id ius vt conſeruare ita expurgare conſtitui, quod alias conſeruari non poſſet. duobus autem vitijs purgari oportet incertitudine & nouitate. Incertitudo in ipſo iure eſt, nec niſi iure illuſtrato tolli poteſt, quod in Conuentu Ordinum, adhibitis in conſilium iudicibus, faciendum eſt. Nouitas à Iudicibus eſt ex ſcrupulorum nimia anxietate, de quibus illud dici poteſt, *ab initio non fuit ſic.* Chalibe nil nobis durabilius videtur at ferrugine exeditur abſque cura ſeruatus, vt ſciamus nihil eſſe ſub ſole perenne niſi ab excrementis & ſcoria purgetur. nec exiſtimo ego poſſe fieri vt rectius ſanctiuſque leges tuear quam ſi eas vindicem à corruptelis. Sic igitur Paſtoris æmulus qui prius Euchariſtiam ipſe percipit, quam populo diſtribuat; mihi ipſe nonnulla iniunxi, antequam quæ veſtrarum partium ſunt vobis præſcriberem, ne forte illud fieret

Turpe eſt Doctori cùm culpa redarguit ipſum.

Nunc

Digitized by

Nunc ad ea veniam, Iudices, quæ veſtrarum ſunt partium : & tria vobis in mandatis dabo.

Imprimis, vt ius ſanctè dicatis memores Deo mihiq́ue rationem reddendam. nam vt mihi ſolus Deus arbiter datus eſt ; vnde pæna expectanda eſt ſi quando offendero: ita vos quoties delinquitis Deo mihiq́ue obnoxij eſtis, & ab vtroque multandi.

Secundò vt Regi & ſubditis, aut ſubditis inter ſe ius dicatis æquabiliter ſine mora, ſine metu, ſine largitione, forti animo, recto corde, manu incorrupta. Cùm fortitudinem vobis commendo timorem quoque & cautionem præcipio. nec enim veſtri animi ſed legis ſenſa tradenda ſunt, cùm vos legum latores non ſitis ſed interpretes, quorum non eſt ius dare ſed dicere. Tantum enim abeſt vt legum ferendarum auctoritas vobis competat in ſuperiore Comitiorum domo, vt ne quidem ih ijs ferendis ius ſuffragij habeatis, ſed conſilij duntaxat cùm petitur.

Etſi autem varijs in locis obſcuræ ſint leges vobiſq́ue quam cæteris notiores. multa præterea iam in deſuetudinem abierint quæ vos partim lectione partim fori conſuetudine non fugiunt. ſcitote nihilominus interpretationes veſtras rationi & communi ſenſui prorſus eſſe aptandas. Ego adulterinum omnem legis ſenſum iudico qui à regulis veræ Logicæ communiue ſenſu aut ratione abhorreat. humanarum legum omnium ad vnam anima eſt ratio. non ſophiſtica volubilitate non argutijs agendum eſt, ſed perſpicua lege aut ſolida ratione.

Quibus in regionibus forenſis hæc diſceptatio locum non habet, vt in Dania quod ego verè referre poſſum qui oculatus eius rei teſtis fui, ibi Aduocatis & cauſidicis penitus excluſis litigantes ipſi pro ſe quiſque cauſam dicunt; quo peracto ſurgit aliquis apertoq́ue libro legem pronunciat, qua tanquam ſententia partes acquieſcunt : Sic iure ſcripto adminiſtratur Respub. & pro Iudice eſt Codex iuris. Beata forent cætera regna ſi ſic agerent. Verùm apud nos ingeniorum ſolertia, opinionum varietas, actionum exemplorumq́ue diſcrimina, ſcrupulos in ius inuexere. Quoties igitur quæſtio quæ apud vos diſceptatur manifeſta eſt, plana illa regiaq́ue iuris via decidenda eſt. at ſi obſcura perplexaq́ue videbitur (nullus eſt enim argutiarum finis) veſtrum erit eam ratione communiq́ue ſenſu diſſoluere; & ex propoſitione maiore quæ manifeſti iuris ſit, minorem ſubſumere quæ ſit manifeſtæ rationis, vnde recta veraq́ue inferatur quæſtionis concluſio.

Etſi enim Anglica iuriſprudentia myſterium quoddam ſit vobis ſolis peruium, & ars plebi ignota; ſi tamen veſtra interpretatio homini-

minibus communi ſenſu præditis minus æqua videbitur, apud me ſanè nullam inueniet fidem.

Mementote quoque iudicandi poteſtatem nullius eſſe è veſtro numero ſed omnium: quo nomine in Collegia diuiſi eſtis, vt communi conſilio collatiſque ſententijs omnia faciatis; nihil temerè, nihil præpropere definientes, ſed expenſa ante diſceptataque palàm cauſa, non dictis ſingillatim ſententijs per emendicata ſuffragia: & ſic omnino iudicetis vt apud Deum & Regem vobis conſtet veſtræ adminiſtrationis ratio.

Hæc de officio veſtro generatim dicta ſufficiant, nunc ad limites venio, quibus veſtra poteſtas circumſcripta eſt, ternario quoque comprehenſos numero. Cauendum primò eſt à Regiæ prærogatiuæ finibus. Siqua lis de mea prærogatiua mota fuerit cæteriſue imperij arcanis, tantiper abſtinete dum meipſum aut concilium meum aut ambos percontati fueritis. Sunt hæc ſupra vos, nec præcipite pertinacia ſed lentè & tenerè tractanda: alioqui per priuati hominis latus Regem ipſum facile vulnerabitis. Hoc igitur veſtræ fidei etiam atque etiam commendo, quod à veſtrum nonnullis libenter audio nuper factitatum; vt popularia & vana quorundam cauſidicorum ingenia reprimere, acumen retundere velitis. Hi ſunt qui ſe nunquam facundos aut animoſos putant, ni Regis prærogatiuam procaciter ſollicitent. Veſtrum eſt talibus capiſtrum injicere: nam ſi laxas habenas permiſeritis huic inſolentiæ, non minore damno afficietur ſuprema poteſtas, quam ſi vos definiretis, quod illi pro tribunali diſceptant. nefas eſt arcana ſummæ poteſtatis examini ſubijcere; hoc enim eſt regię imbecillitatis fundum ſcrutari, & myſticam illam reuerentiam, quæ Dei throno Regibus inſeſſo debetur, è medio tollere.

Videndum ſecundò vt ſinguli ſuis finibus contenti, non inuadatis alienos; quod non minus ineptum quam iniuſtum foret. Res ipſa me monet vt hîc prolixior ſim. Nam præter curias Iuris Anglici, eſt Curia libellorum ſupplicum, Curia Thalaſſiarchica, Curia Cambrica, Curia Aquilonaris, Curia ſupremæ Commiſſionis, Curia denique vniuſcuiuſque Epiſcopi.

His ſui obſeruandi ſunt limites, pro antiquo cuiuſque iure & priſca conſuetudine. Quod quemadmodum omnibus edico vt ſuo ſe alueo contineant, ita Curijs iuris Anglici tam interdictum volo ne cæterarum fines inuadant, quam cæteris, ne Iuris Anglici Curijs quicquam derogatum eant. hoc proprium eſt Regis officium Curias ſingulas ſuis limitibus concludere.

Prætorium Weſtmonaſterienſe quatuor Curijs frequentatur: duę negotia ciuilia tractant, Communium Placitorum quæ dicitur, & Curia

Curia Fiſcalis: duæ verò criminalia, Tribunal Regium, & Camera ſtellata in qua iam ſedeo. Communium Placitorum Curia Tribunalis Regij pars eſt, & veluti auulſus ramus, cùm ab initio vna foret Curia; priuatorum hominum actiones ſubtractæ nomen Communium Placitorum dederunt; quòd relinquebatur Tribunalis Regij appellationem retinuit. Altera Curia ciuilibus deſeruiens litibus eſt a Fiſcalis, regiorum prouentuum gratiâ inſtituta; hæc eius origo & præcipua cura: quanquam nihil vetet & de cæteris rebus ibi ius dici, quæ prouentuum regiorum occaſione eò deuoluuntur.

Veſtris igitur vos coercete finibus: quod ad meipſum attinet non ego mihi à vobis quicquam poſtulo concedi quum mea ipſius priuata agitur prærogatiua, niſi quod ſubditorum meorum infimis concediti: at ſuprema illa & abſoluta Sceptri prærogatiua Iuriſperitorum non ſubiacet examini, extraque omnem diſputationis aleam poſita eſt. Quærere quid Deus poſſit impietatis eſt & blaſphemiæ: ſola eius voluntate in verbo reuelata Chriſtianos decet acquieſcere. Similiter quid Rex poſſit inquirere, aut hoc poſſe illud non poſſe affirmare; audaciæ eſt in ſubdito & procacitatis extremæ. Regis enim in legibus ſuis reuelata voluntate acquieſcendum eſt.

In criminalibus cauſis diſceptandis primas ſibi vendicat Tribunal Regium, nonnunquam etiam, vbi res poſcit ciuiles examinat.

Sequitur Curia æquitatis, in qua præſidet Cancellarius: hæc quoque ciuilibus cauſis ſuo iure ſe immiſcet; hæc Regiæ conſcientiæ diſpenſatrix meritò appellatur. neque enim legem mutat, nec quod in cæteris Curijs atrum pronunciatum eſt vertit ea in candidum; ſed legiſlatoris mentem ſequitur in lege, ſeueritatem temperans miſericordia, quare cæteris præſtare videtur, quæ ſecundum apices & diſtricta legum verba cauſas omnes definiunt. Igitur cùm ſummi iuris iniuria ciues opprimuntur ad hoc aſylum confugiunt. vbi leges æquo bonoque, & iuſtitiæ rigor miſericordiæ humanitate temperari ſolet. Et hac ratione videtis (quod antea dicebam) ſolium Regium Iuſtitia & miſericordia firmari.

Hæc igitur Curia nulli alteri obnoxia, ſolo Rege eſt minor. inde prouocare nefas eſt vbi ſcribitur TESTE MEIPSO. Atque vt cæterarum curiarum iura mihi incumbit tueri, ſic ab iſta præ cæteris omnis prohibenda iniuria eſt, ita tamen vt ſuis contineatur terminis, & vindicetur à corruptelis. Qui nunc Cancellarius eſt me veniente Cuſtos ſigilli fuit: nec munus iam aliud eſt ſed tantum nominis honos meo beneficio mutatus. Ego Deum precor vt diu locum illum teneat, quem ex eo tempore fæliciter tenuit, & ſpero fore. Ipſum teſtem appello, ni ſemper ei auctor fuerim vt Curiam illam optimis regeret exemplis, quæ legum, Regum, deceſſorumque ſuorum, niteren-

Digitized by Google

terentur auctoritate. his ego illum finibus circumscripsi; vltra hos nunquam progressurum sese sanctè promisit.

Itaq, ad eius fidem spectat hac iurisdictione acquiescere; ad meam verò, ius illius Curiæ tueri. quod eò dico quia ab iniuria & contemptu mihi ea Curia nunc vindicanda est.

Iudicum est eos homines non studio prouehere sed pœna coercere, qui Curiarum regiarum iurisdictionem nituntur infamare. Vt dicam quod res est, ineptum mihi verbum illud visum est nimisque odiosum, quo increbuit actionem in Prætorio Westmonasterienſi ex formula, *Præmoneri*, aduersus Cancellariæ Assessores pendere. qui enim fieri potest vt eiusmodi actionem Rex aduersus seipsum decernat?

Inepta erat illa medius fidius & stolida & audax molitio; nec cui locus esse posset nisi sub indigno Rege: non quod existimem Cancellariæ fas esse suos transgredi fines, ea mihi mens non est; sed quod soli Regi obnoxiam eam arbitrer cùm peccat. Mihi igitur in hac molitione iniuria facta est, apud quem querela deferenda erat, si quis in ea Curia iniquius secum putasset actum. Scitis Regi vestro nec deesse notitiam rerum, nec reformandi vbi opus est voluntatem, quo magis miror spreta authoritate per ambages & diuerticula conari vos, quod regia duntaxat persequendum erat viâ, delata nempe apud Regem querela.

Nunc igitur pro tribunali edico, ne quis posthac audeat ex ea formula Cancellariam conuenire: quod eo aio fidentius, quia præter me nemo est qui ex formula, *Præmoneri*, dare possit actionem. Atqui egomet mihi meo arbitratu imperare possum, ne faciam.

Diluuia, quæ nulla forent si se suis ripis aquæ continerent; nunquam non noxia sunt in præsens, Astrologorum quoque iudicio prodigiosa in futurum habentur. Et hæc vestræ potestatis exundatio deformis censenda est, & forte Reipub. ominosa.

Mementote igitur in posterum vobis intra vestra territoria ius dicendum. meum est præcipere & efficere vt omnium iudiciorum vna mens sit, vox vna: vestrum est parere, & hunc concentum amare atq; vt antiquæ leges & consuetudines Angliæ vobis seruandæ sunt; ita ab ijs quæ nunc obtinent nusquam est recedendum. exempla vero sequenda sunt quæ communi vsu sub Regibus optimis, & Iudicibus eruditissimis, constanter probata sunt. non illa saltuatim carptimque & veluti in deserto collecta.

Nuper etiam Cameræ Stellatæ authoritas concussa est, & proximo anno ni paucorum vocibus suffulta fuisset, corruisset sanè illius Curiæ dignitas. Reuerentiam loco nomen ipsum videtur conferre, nempe è cælo petitum: è splendidissimis creaturis sunt stellæ, & Angelis situ proximæ. sed nolo in verbo quærere argutias. Camera Stellata reipsa splen-

Digitized by Google

ſplendidiſsima habẽda eſt, ex quatuor hominũ ordinibus ijſque ſplendidiſſimis compoſita. Primi duo ſunt Conſiliarij & Iudices; hi Iuris illi Reipub. notitia inſigniores, ne quid in alterutrum iudicando peccetur. Alij duo ſunt regni Proceres & Epiſcopi; illi iudicio ex ſua magnitudine pariunt authoritatem, hi propter diuinarum rerum peritiam interſunt, & quia eorum intereſt Eccleſiæ ſanitas. Ita hæc Curia humanarum diuinarumque legum coniunctione, ſcientiaq; Reipub. & experientia celebratur.

Eſt quidem in omni regno forum æquitatis, alibi quidem à cæteris diuiſum vt hic in Anglia, alibi verò cæteris immixtum & confuſum vt in Scotia: at mihi Angliæ diſciplina quæ iuris & æquitatis diſceptationem ſeiungit longe videtur eſſe perfectior. quemadmodum autem Cancellariæ propria eſt quæſtio de æquitate, vbi clara legum voce lis derimi non poteſt; ita ad Cameram Stellaram ſua ſpectat cognitio, quæ ab omni alio foro aliena eſt. alibi enim ſola facta vindicantur, hîc etiam conatus ipſe faciendi: & quædam facta mitius alibi caſtigantur, quæ hîc ſeuerius; vt certamina, rixæ, inſolentiæ, molitiones, coniurationeſque. tum verò quæcunque illata eſt Regiæ prærogatiuæ iniuria ad huius loci Iudices & Proceres defertur. magnum itaque honorem meretur hæc Curia, quæ magnis negotijs deſtinata eſt.

Mementote nunc vt fraternum vobis amorem commendem. ſcitis charitate fratres eſſe vos qui officio eſtis Iudices, quemadmodum & Curiæ veſtræ ſorores ſunt. agedum igitur ſuauiſſimam illam concordiæ harmoniam amate, quæ Muſas connectit. nulla eſt maior legum calamitas quam earundem contemptus, nec eſt alia promior ad contemptum via quam hæc crebra de iuriſdictione veſtra diſputatio, quæ huius quæ illius Curiæ propria ſit cognitio. duo hinc non parua oriuntur mala. Primò enim ad tribunalia veſtra conuolant homines, non vt cauſarum actiones audiant, & ex ijs ſequuta decreta, ſed curioſitatis ſtudio, vt litibus de iuriſdictione auſcultent, & penes quam curiam manſura ſit victoria. Secundò lites ipſæ ceu in rota Ixionis in orbem voluuntur, de Curia in Curiam tranſlatæ. quæ me ratio impulit vt crebras illas *Prohibitiones* veſtras damnarem. cùm enim tenuis Conciohator decimas ſuas apud Iudicem magno labore ſumptuque euiciſſet, ecce prohibitionis iniuria inter Curias veſtras iactatur miſer: lis autem quæ iam finita videbatur, facta eſt immortalis. Cùm enim iuriſdictionis veſtræ fines incerti ſint, quid mirum eſt cauſas de foro in forum pelli repelliq́ue & litigatori ceu Tantalo nunquam percipi, ſuæ actionis quantumuis propinquam dulcedinem. Iuſtitia moris eluditur & lites mori nequeunt. Si vitare vultis hæc tanta incommoda intra veſtros voſmet coercete terminos; neu

ignominiam & contemptum apud populum quærite, cùm publicè loquimini, ſed decus & ornamentum ſiue pro tribunali in vrbe, ſeu regnum circumeuntes ius redditis. Ita populo erga Deum & Regem reuerentiam perſuadebitis. Iterum igitur iterumque monebo vt veſtri Iuris finibus contenti nec meos nec alienos inuadatis, nec nouum ius condere quam vetere vti malitis, memores legum expoſitionem non lationem veſtri eſſe officij. at qui pro tribunali nouam inauditamque pronunciat ſententiam is legiſlator continuò non interpres habendus eſt.

Ego nouitatum quæ in ius noſtrum irrepſere veluti *Indicem* quendam *expurgatorium* collegi, iam paratum examini. inſpicite *Caſus Plodenianos*, & vetera illa veſtra *Prudentum reſponſa*, à quibus ſi aberratis cum Chriſto dicendum eſt, ab initio ſic non fuiſſe: apagite nouam polygamiam, vt antiquæ legi ſua conſtet puritas & caſtitas.

Qvæ auditoribus dicam pauca ſunt veruntamen hoc tempore ni fallor profutura. Ego renouato meo iureiurando, quoad huius regni iura conſtanter tuenda obſtrictus ſum. id quoque à vobis expeto qui ſubditi mihi eſtis, vt bonis legibus (nec enim quicquam vos magis deceat) ſubditi ſitis. obedientiam à vobis exigo tripartitam, quo numero mandata illa mea, & mihi ipſi & Iudicibus data, complexus ſum: ad memoriam enim confert diuiſionis & methodi bonitas.

Ante omnia reuerentiam legum vobis commendo, quam & ipſam in tribus conſtituo. Primò ne abſque graui cauſa litem intentetis. Secundò vt iudicio victi, poſitâ omni pertinaciâ acquieſcatis decreto; diſcite patientiam vel meo exemplo, qui pari cum infimis humilitate paratus ſum cedere, quoties cauſa cecidero: ante oculos exemplar eſt quod imitemini. Lis omnis conſtat Actore, & Reo; alterum hic vinci neceſſe eſt, quum in amborum gratiam controuerſia decidi nequeat. Tertiò nolite me querelis veſtris aduerſus iudicia iam peracta incendere: nam ego illud paradoxon in Reipub. adminiſtratione ſemper verum eſtimaui, minus incommodi eſſe ſi ratam facias ſententiam iniuſtam, quam ſi noui examinis licentiæ res iudicatas ſubijcias; nullus enim reperietur litium finis. In ius venientes, ius petitis, ius inhiatis: iure igitur etiam contra vos reddito, parcite meo & veſtro otio, quieſcite. at largitione vel malo ambitu oppreſsi fidenter ad me venite: ſed ita tamen vt non tam accuſare parati ſitis quam probare. alias ſcitote non dormire talionis legem; niſi fortè gemina caſtigandus ſit pœna qui integerrimi Iudicis ſanctitate maculam illeuerit. neque cauſidicorum ſutelis circumſcribi vos patiamini, qui lucri ſtudio cauſam veſtram laudant: ſed Iudicibus auſcultate, qui nullam habent mercedem niſi à me.

Deinde verò apud vos contendo, vt quæ Regiæ dignitatis aut poteſta-

teſtatis ſunt dum lege agitis intacta maneant & illibata: nimis progreſſa eſt quorundam hic audacia. ſi quis tam alte in poſterum ſapiet plectetur à Iudice, ſi iudex conniuebit vterque plectetur à me. faceſſat è foro Puritanicæ illius & Democraticæ facundiæ acumen: intra veteris modeſtiæ fines litigandum eſt.

Denique & hoc peto ne deſultoria hac leuitate actiones veſtras de Curia in Curiam transferatis: crebra hæc fori mutatio & veſtram arguit diffidentiam & cauſæ iniquitatem. Prima cura ſit idoneum forum eligere, vbi diſceptetis. Secunda verò vos eius iudicio conſtanter ſubmittere.

Finitis quæ mihi, & Iudicibus, & Auditoribus viſum eſt iniungere; ſinite veſtram exorem veniam, ſi quid è dicendis omiſerim, aut propoſitum mihi ordinem neglexerim: nec enim huc veni ſcriptam orationem pronunciaturus è commentario. Si quid tamen exciderit (quod mihi non liquet) culpam memoriæ apud vos deprecabitur ipſa orationis prolixitas, aut otij anguſtia, aut negotiorum varietas. Primò quod ante in hunc locum non venerim me excuſaui, deinde cur nunc venerim oſtendi, mihi denique & Iudicibus & auditoribus nonnulla in mandatis dedi. Sunt etiam quæ in Concilio Iudicibus ſoleo præcipere, iuris reddendi cauſâ iam regnum circuituris; ea hoc in loco monere vel ideo abs re non fuerit, vt & præſentes intelligant, & digreſſi abſentibus communicent. Si tædium moramque adferre videar, ſcitote prolixitati orationis mihi vlciſcendas aures, quæ tam raro me audiant.

Cùm hic ſedetis, Iudices, mecum ius redditis: cùm regni tractus circumitis ius populo reddituri, ſub me & Delegatis meis ius redditis. laudabilis ſanè eſt huius regni conſuetudo, vt diſpenſatores iuſtitiæ omnia regni loca quotannis perluſtrent, ſuo labore labores ciuium impenſaſque leuaturi, quibus alioqui ex remotiſſimis oris ad Prætorium Weſtmonaſterienſe veniendum erat. hac induſtriæ veſtræ pietate præterita puniuntur delicta, & futurorum præueniuntur occaſiones. Nihil fere quod vobis iniungam ſuccurrit hîc noui; recolite modò, quæ ſuperiore anno præceperim. In primis non ideo tantum hoc iter inſtitui, vt puniantur & præcaueantur delicta; vel ius æquabile ciuibus reddatur, ſeu illi ciuiliter ſiue criminaliter agant: ſed vt locorum omnium adminiſtrationem inſpiciatis, & regimen; paſſim correcturi quos inueneritis errores. Denunciate Irenarchis vt ſui officij, tam abſentibus vobis quam præſentibus, ſint memores; cuius rationem vobis conuenit exigere, & mihi, cum reuerſi fueritis, exhibere. Parum intereſt multa præcipere, ni præcepti fructus obediendo appareat. nec vos veſtro functi eſtis officio, ſi abeuntes mihi auſcultetis mandanti, ni poſt reditum moneatis, quid effectum ſit;

vt ex semente messem aliquam percipiam: quod non confusâ omnium, sed distinctâ singulorum relatione efficietur. Duæ enim sunt regiæ functionis partes; facienda iniungere; & factorum rationem reposcere. nam parum prodest vel Angelica prudentia iubere, nisi etiam iussa exegero. nescio an errori imputare debeam; an negligentiæ vestræ, quod singulorum, quæ iniunxeram, rationes anno proximo ex vobis non audiuerim: in posterum præcipio, vt reuersi scriptas statim exhibeatis Cancellario. fortasse, ijs perlectis, coram mihi eritis interrogandi de locorum, quæ peragrastis, statu. Scio ego vestrum NISI PRIVS, cæteraque iuris reddendi formulas, magis esse è re vestra; at è mea & publica re magis est posterior officij vestri pars, quæ non tam iuris est, quàm iustitiæ. Itaque vobis edico, vt Christus Pharisæis *hoc agite*, quod præcipuum est; addam tamen, *& illud non omittite*. quæ, vt maiore industria faceretis, tempus circuitionis vestræ, à maioribus meis indultum, vno die auctius feci.

Sed quemadmodum nulla Regis æquitate, vel prudentia, vel labore salua esse potest Respubl. nisi etiam Magistratus inferiores suum faciant officium: sic frustra est omnis Iudicum industria, si suum Irenarchæ subtrahant auxilium. hos in singulis regni tractibus oculos Regum, auresque nominâris. Solebant Iudices, in solennis huius itineris procinctu, se Cancellario sistere, vt si quid Rex iniungeret ex eo audirent. reuersi eundem Cancellarium omnium certiorem faciebant, vt ex eo, quæ opus esset, Rex resciret. vetus hæc & laudabilis consuetudo nuper tantùm, & immeritò neglecta est. Ante omnia Cancellarium à vobis moneri volo, quo pacto se gerant Irenarchæ; quorum institutio ita mihi in Anglia probatur, vt eorum operâ nunc Scotiam regam. neminem pudeat huius officij, quantumuis bono ortum loco: nouum decus est Regi & Reipubl. in hoc iustitiæ sacerdotio seruire.

Hi, vt omnis alia Societas è multis conflata, partim boni sunt partim mali. Bonorum certior fieri volo, vt in meam veniant notitiam, & debitas grates, &, pro re nata, præmia quoque ferant. nec enim ingratius est id genus seruitij, quàm quod in conclaui mihi ab alijs præstatur: & ego, vbi res feret, tantâ promptitudine agnoscam. Nullus est in Republ. in Concilio, in familia mea honos, cuius non æque capax sit Irenarcha, ac vllus Aulicus siue domi siue foris bene de me meritus. si fidelem operam nauarit ille Reipubl. quamquam trecentis vel sexcentis passuum millibus à me absit, tam charus erit ac si meo in conspectu viueret. Potestatem meam Deus Opt. Max. amplissimis finibus descripsit; æquum est ad vltimos pertingere meam prouidentiam. nulla est iuris reuerentia, ni honoretur Iudex; & cùm Irenarchæ nulla habetur ratio, opera eius sperni videtur. Nemo hoc officio

Digitized by Google

ficio erubeſcat: nemo, ſi rectè eo functus fuerit, deſperet mercedem. Cancellarius hos eligit & abdicat: at quales ſint, rectene an ſecus ſe gerant; qui laude digni, qui loco mouendi, niſi vos moneatis, ille iuxta mecum ignarus eſt. Boni patriæ amore benefaciunt, nec à Rege præter gratias quicquam expectant. Mali otio dediti, ciniflones, voluptarij, fæminiſque quam viris ſimiliores, ſatis habent iuſtitiam contemplari. at virtus in agendo poſita eſt: contemplatores iſti cum ſua, quæ nulla eſt, iuſtitia exterminandi. Alios ex hoc ordine ardeliones iure dixeris, ſupercilioſos, difficiles, quorum niſi te attemperes libidini, placere ſanè non potes. eſt hoc genus hominum, qui ſe primos omnium rerum eſſe volunt, nec ſunt tamen. Moneantur ſuperbi non illis, ſed Deo & Regi parendum eſſe. Sunt etiam, qui Regi non ſeruiant, niſi eâdem operâ cognatos aut affines iuuent: vbi nemo eſt cui prodeſſe aut nocere volunt, ſtruſtra eos expectes. Talibus iuſtitia nihil aliud eſt, quàm ſeditionis larua. Sunt denique, qui ſibi ipſis generoſi admodum videntur, & quantiuis pretij. his quia præſens Reſpub. diſplicet, nihil apud populum placet niſi [illegible]. Denique publicæ libertatis vindices haberi volunt, & quoties de Regis prærogatiua mentio injicitur, in Monarchiam dentes exerunt. tantus infeſtat ſcabioſos popularis auræ pruritus. quanta eorum audacia ſit in nuperis apparuit regni Comitijs. ſed, mihi credite, ſi nullus Rex foret, hi homines in minore pretio eſſent, quam cæteri.

Hactenus de moribus; nunc de eorum numero dicemus. Virtutis via ſemper media eſt, nec hîc peccari poteſt, ſi vitentur extremâ. ex eorum multitudine non modò naſcitur confuſio, ſed etiam incuria & ſecuritas. nihil bene fit quod fit à turba: & negligi publicam rem neceſſe eſt, vbi vnuſquiſque alterius nititur ſedulitate. taceo, quę hinc oriuntur, corruptelas: nam inter multos facilius eſt inuenire, quos corrumpas. contra verò paucitas oneri non ſufficeret. Tot igitur eſſe volo, quot cuiuſque loci negotijs pares erunt.

Quid illis mandare oporteat, ſi mea monita recolatis, vos latere non poteſt. at quæ tanti ſunt momenti iterum atque iterum repetere non pigebit. & hic quoque mihi erit —— *ab Ioue principium*, à rebus ſacris orſuro. ſi Deo & Eccleſiæ primum cedamus locum, cætera nobis fælicius ſuccedent. ad Papiſtas & Refractarios, quos conſuetudo *Recuſantes* appellauit, mea ſpectat oratio. nunquam vos domũ reuerſi eſtis, quin me, rationibus redditis, gaudio ſimul & mœrore affeceritis. gaudio, cùm Refractariorum numerũ alicubi decreſcere: mœrore, cùm creſcere alibi intelligerẽ. nihil meis auribus accidere poteſt amarius, quàm, me Rege, deficere homines à fide; nec lætius, quã meo imperio religionem florere. Deum teſtor, nihil inanis gloriæ cauſa dici: toto inquam corde mihi dolet, quoties audio multiplicari Refractarios.

Digitized by Google

Vos igitur obteſtor Iudices, vt pari mecum affectu hoc negotium proſequentes, quantum pote eſt, præcaueatis malum: & meum animum, vti eſt, populò meo faciatis notum.

In triplici ſunt differentia hi Refractarij. Sunt qui, vt legem eludant, ſemel aut bis in anno concioni ſacræ interſunt. nec ipſi (ſi credimus) Refractarij ſunt, ſed vxor domi & familia. hi vtut legi ſatisfeciſſe videantur, Deo minus quam cæteri ſatisfaciunt. Sunt quibus animus ita prauo imbutus eſt errore, vt noſtra ſacra penitus fugiant; veruntamen pacem publicam non ſollicitant, & bonos ſe aliàs ciues præſtant. Sunt denique, qui nec miniſtrum vllum in ædibus, nec colonum in agro ſuo, niſi Papiſtam & Refractarium ſuſtineant; quin & vicinis, niſi eorum acceſſerint ſententiæ, negotium audent faceſſere. hos antequam acceſſeris, facilè deprehendas, vt ſolent vulpium cauernas ex tetro circumfuſo odore. Intolerabilis eſt hæc audacia, vt, qui ſub me precariâ fruuntur libertate, vitâque, alienam libertatem infeſtent; & pro quorum ſalute mihi apud Deum reddenda eſt ratio, hi aliorum animos eodem veneno inficiant, & ſecum ad infernum trahant. Papiſtam honeſtè educatum, ſuaque innutritum religione, eâ proſequor charitate, qua par eſt fidelem ſubditum: quod in regni Comitijs teſtatus ſum. Apoſtatam verò non poſſum non odiſſe. Conſtituamus obſecro, quâ pœnâ [illegible] iſti Papiſtæ coërcendi ſunt, quibus non ſufficit ſui erroris licentia, ni alios recte ſentientes eiuſdem ſuperſtitionis ſocios faciant. Quod de Refractarijs dico, idem de Sacerdotibus intellectum volo. Nolo Sacerdos Miſſam aut religionem luat ſuſpendio: at ſi Iuramentum fidelitatis defugiat, quod ex meo multiſque alijs libris (quicquid demum aut Pontifex aut Diabolus ogãnniat) conſtat iam eſſe politicum & ciuile; ſi defugiat inquam exerceri legem iubeo: iuſtitia ea eſt non perſecutio. De Sacerdotibus, qui aliquando meam exorarunt clementiam, eaque lege è carcere in exilium miſſi ſunt, ne olim redirent; nolite me amplius conſulere: quin facite, ne quid poſthac de illis audiam. In eadem cauſa ſunt, qui effracto carcere euaſerunt. ſignum eſt ſola eos reſte coerceri, quos carcer non coercuit. ineptè dicuntur martyres, qui conſcientiæ cauſa detrectant mori. Paulus egredi noluit apertis foribus; nec niſi Angelo Dei ducente exiuit Petrus: iſti vel à Luciferi Angelo ſe pedibus extrahi paterentur. non deerit quod de Sacerdotibus his moneam de nouo, cùm primum ex Epiſcopis Cantuarienſi & Londinenſi, quibus id negotium dedi, eorum ordines & gradus reſciuero.

Alterum huius regni opprobrium eſt popinarum frequentia, quas ego, vt extirpata radice multiplicis mali occaſio caueatur, prorſus cenſeo æquandas ſolo; re Irenarchis demandatâ. Iure ego popinis aduerſer,

fer, in quas comportatur quicquid ferarũ in viuarijs meis dolo malo occiditur. alij iumentorum ſuorũ & pecudum obijciunt furta, homicidia præterea, marſupicidia, & cætera flagitia, quorum auctores in popinis latent. Leones vrſoſque non reperias, niſi vbi cauernas habent. & purgaretur furibûs Reſpubl. ſi hæc earum latibula eradimus. Sunt & aliæ popinæ, niſi verius cauponas dixeris, quæ perditis hominibus, & erronibus alendis vacant; eumque ſolum quæſtum norunt, quem ex eiuſmodi hoſpitum commercio faciunt. mirum ego nuper Collegium detexi; duodecim admodum homines, tormentis armatos, huc illuc intra duodecimum ab vrbe lapidem ſpectante & inuito me errantes, qui poſt ferarum mearum cædes ideo tantum mutant diuerſoria, ne capiantur. Aduerſus errones legem habemus ab Edouardo ſexto latam; cuius Regis prudentia magis hîc enituit in ineunte ætate, quàm aliorum in adulta. de mendicis igitur & erronibus coercendis; quorum tot paſſim conſpiciuntur examina, vt nec in via neque in platea moleſtia careas; ratio vôbis aliqua inunda eſt. Recognoſcite quorſum facta ſint ergaſtula, & ſuccurrat, viuente Poppamo Prætore, neminem in comitatu Somerſetenſi, vbi ipſe natus fuit, mendicum inuentum.

Popinis nihilo meliora ſunt tuguria in publico extructa; quorum habitatores omni furto, damarum, cuniculorum, equorum pecudum; omni quoque ſcelere infames ſunt. vilia hæc vt fama eſt malis Irenarchis quæſtui eſſe ſolent. Vos à ſingulis rationem exigite, vt intelligant Regi ingratiſſima eſſe quæ faciunt.

Iam vias regias & pontes, ſine quibus nuſpiam conficiuntur itinera, veſtræ commendo induſtriæ. Neſcio an ex Scholis & Ptochodochijs, quæ plura me regnante quàm aliquo maiorum meorum erecta ſunt, maius mihi oboriatur gaudium; an dolor ex viarum & pontium neglectu. publica in hoc genere refrixit charitas; nec vllius hîc amplius cernitur aut pietas, aut liberalitas. vos in eam curam incumbite. vitium, quod iam emendes denario ægrè poſthac reficies talento; nec forte annus ſuffecerit, ſi inualeſcat malum, quod vno die haud difficulter nunc corrigas. quodque noſtro deſperes æuo, id potuit vno anno reſtitui, vt Paulina turris.

Ædificandi quoque licentia hæc quam ego edicto aliquoties vetui, veſtram quoque curam aduocat. rem Reipub. noxiam damnarunt Prætores Angliæ; Poppamus, & qui nunc eo munere fungitur: hic lien eſt noſtri corporis; eo creſcente cætera membra contabeſcere neceſſe eſt. omnibus enim Londinum habitandi gratiâ confluentibus, quid aliud ruri relinquitur, quàm ſolitudo? at vbi apparet hoc vrbis incrementum? non intra mœnia ſed in ſuburbijs: nec leuamentum vrbi vel opes ferunt hæc noua ædificia, ſed vrbi ſimul & regno oneri ſunt.

Digitized by Google

ſunt. caram oportet annonam eſſe, vbi tot homines cibo & igne alendi ſunt. Annus iam in ferijs Natalitijs elapſus eſt, cùm generoſos homines edicto monui, vt relicta vrbe ſe domum reciperent, & cum vicinis ius hoſpitalitatis colerent. cuius edicti vim, quum mea mente perpetua eſſet, nonnulli nimium feſtiui ad ſolas ferias Natalitias reſtrinxerunt.

Viri generoſi, quibus in vrbe nihil rei eſt, fæminarum ambitione eò trahuntur; mariti ſanè vt vxoribus, parentes vt filiabus gratificentur. nec enim niſi Londini nouam & tranſmarinam veſtium formam inuenire eſt. at Londini, ſi innuptæ ſunt, nuptiarum ſpem euertunt: ſi nuptæ, famam, & maritalem cenſum. Mos Italorum obtinuit, Neapoli præſertim, quæ è ditiſſimis vrbibus vna eſt, vt viri generoſi, alijque permulti relictis agris in vrbes migrent. nos in veſte & aſſeclis Gallorum; ruris autem contemptu, & domeſtica parcimonia, aut verius miſeria, Italorum morem affectamus. ſed, obſecro, peregrina hæc & vana rerum eo relegemus, vnde orta ſunt: & antiquum Angliæ morem poſtliminio reuocemus. nobilitatis Anglicæ decus olim fuit rurì viuere, hoſpitalitatem colere. ex his ſupra cæteras gentes famam meruimus; quod nobis in vbere degentibus ſolo non erat difficile.

Edico igitur nunc vobis (donec enim edictum affixero, quod breui cum Deo fiet, tantiſper verba hæc mea vim habeant edicti) Aulicos, Ciues, Cauſidicos, eorumque clientes, eos eſſe, quibus in vrbe fas eſt viuere; cæteris in agros eundum eſt. nec enim ſolum deſeruntur agri melioris notæ hominibus in vrbe deſidentibus, ſed & alia hinc oriuntur & maiora incommoda. finge rebellionem excitari (vt nuper ab ijs factum eſt, qui prata omnia ſepimentis nudabant) quid obſecro eſſe poteſt remedij, dum abſunt, quorum auctoritate ſedanda eſt? Ad pauperes deinde, qui præſentium charitate aut eleemoſyna iuuabantur, pertingit ſenſus huius abſentiæ. tum vero illa pars Reipubl. quæ deſertoribus hiſce credebatur, negligitur. vt taceam rei familiaris incommoda, quæ per patrum abſentiam accidere neceſſe eſt. Itaque vt piſces ſua ſe oblectant aqua, ſalſa, dulci, vel limoſa: ſic nos noſtra non aliena amemus, aulam, vrbes, agros. quod die Natali Seruatoris noſtri, & Paſchate, & alijs ferijs præcipuè obſeruandum eſt.

Reprimi autem poterit hæc ædificandi licentia, ſi Domini ædium, aut, illis latentibus, fabri in carcerem compingantur: ædes vero ipſæ, vbi ſine incommodo id fieri poteſt, auctoritate publica æquentur ſolo.

Alia etiam Reipubl. vitia, mihi fortè ignota, veſtram experiantur medicinam. nihil enim veſtræ curæ ſubtractum volo. audio latrocinijs infeſtiora eſſe itinera quam ante, & vos hîc iuſto clementiores.

Suc-

Succurrat obſecro Regis propriam eſſe clementiam. nec aliud vobis relictum eſſe quam pœnam infligere, quum leges iubent. & illud à me veritate verbium habete, *cum delictis iure creſcere ſupplicia*.

Nunc liceat mihi à Deo, vnde cœpi, finem quoque dicendi petere: vbi vbi ius dicitis domi foriſue illum habete reuerenter. quod eò dico ne Eccleſiam noſtram, aut viros Eccleſiaſticos patiamini traduci vel Papiſtas & Puritanos ornari. Viris Eccleſiaſticis, quos ſua commendat pietas, ita fauete, vt populus veſtro exemplo diſcat illos reuereri. Si boni ſunt ſacri muneris auctoritas duplicem illis honorem conciliat, ſi mali vobis obnoxij non ſunt: aliud habent forum. Deinde verò Regi & legi ſuam aſſerite dignitatem: edocete populum nihil mihi magis eſſe cordi, quàm vt floreat religio, & iuſtitia vigeat, vt ſingulæ Curiæ ſuis ſe finibus contineant, & ſubditi omnes legibus obediant. Ita ſub iuſto Rege fælicem habeatis populum, pacis & iuſtitiæ bonis (vt par eſt) florentem.

Tandem igitur aliquando (vt in Scholis dici ſolet) in hunc locum veni. Si primus hic fuerit aduentus noſter, non erit (vti ſpero) nouiſſimus. nunc ſcrupulus ille de cauſę delectu mihi exemptus eſt: leuior me poſthac occaſio inuitabit. ita autem hactenus me geſſi, & fauente Deo geram in poſterum, vt nemo iure ſuſpicetur priuatas nunc ob cauſas veniſſe. vbi Iuſtitia agitur, ſumma ope, dum vixero, nitar ne qua macula aut labes mihi adhæreſcat. Orbis quoque noſter (vti ſpero) reſciſcet & fidem habebit dicenti, veniſſe me hodie in locum hunc, vt ex iuriſiurandi mei formula leges tuerer, & ius redderem.

Digitized by Google

ORATIO VI.

HABITA IN COMITIIS REGNI SCOTIÆ.

XXVIII. Iunij M.DC.XVII.

Andem aliquando, Venerandi Antiſtites, Lectiſſimique huius conuentus Proceres, Vrbiumque legati, DEVS OPT. MAX. me voti illius Paulini compotem fecit, vt expedito felicique itinere ad vos peruenirem; quo magis immenſæ illius benignitati nos ſentimus obſtrictos, quum tot occurrerent obſtacula, quæ ardorem noſtrum retardare poterant, & profectionis conſilium in longum extrahere. Digredientibus enim nobis, diſtrahebantur inteſtinis diſſidijs vicinorum animi; & pax Chriſtiani orbis ciuilibus bellis interrupta erat; quæ quo videbãtur propiora, eo nos magis ſollicitos, velut proximo pariete ardente, habebant; præſertim verò illud Galliæ incendium incauta fœminæ dominatione concitatum; Germaniæ deinde necdum ſedata tempeſtas, ex æmula Principum cupiditate, ob Cliuiæ, Iulię, & Bergarum poſſeſsionem; Italiæ denique in partes diſceſsio, certantibus Venetis & Archiduce Auſtriaco, Sabaudiæ præterea Duce, Gallięque & Hiſpaniæ Regibus. Quod ad confœderatas Belgarum Prouincias attinet, ibi ſanè, poſt nuperas inducias noſtramque cum Hiſpano pacem, humanis omnibus diuiniſque permiſtis, ordo Reipubl. pæne abijt in anarchiam: nec id ſine cæleſtis iuſtitiæ nutu. Qui enim noſtros recipiebant Schiſmaticos, homines ſuis opinionibus addictos, & ab Eccleſiæ noſtræ vnione auerſos; quique omnibus religionum hydris quaſi aſylum aperiebant, hi ex tam multiplici contagione nunc eò redacti ſunt, vt quam religionem ipſi tueantur vix habeant dicere. Itaque partium nullarum iam facti ſunt, ſibique inuicem hoſtes, quibus antea facile erat eadem ſacrorum paciſq; communione nobiſcum contineri. Harum Rom. 2.18.

rum rerum progreſſus, & exitus celeriùs ſanè fideliúſque in viciniore loco reſciré poteram, quàm his terrarum mariſque ſpatijs abiunctus; vbi & eorum, quæ noſtra maximè interſunt, ſerior ad noſtras aures notitia, & incertior perueniat. Quæ autem domeſtica fuerint itineris noſtri impedimenta, & qualia negotia digrediens reliquerim inchoata, quę ſi manſiſſem ſpes magna affulſerat perfici potuiſſe, quibuſdam ex hoc conſeſſu non eſt incognitum: vt ſileam in Regno tam populoſo nunquam poſſe Regi deeſſe quod agat, vbi quæuis hora nouum ipſi exhibeat negotium. Quæ incommoda cum omnia ſimul concurrerent, facilè ſanè poterant itineris noſtri conſilium protrahere, niſi hic voluntatis noſtræ ardor omnes morarum obices, vno quaſi impetu, perrupiſſet. Nec enim vel rerum tædio, vel loci faſtidio, vel offenſæ opinione (abſit tam iniquæ ſuſpicionis iniuria) regionem mutaui: dulcis patriæ deſiderium, patriæ (inquam) iamdiu non viſæ inquies amor ad ſe traxit, moras diſpulit, negotia reiecit. Diſſimulare enim nequeo, quanta redeundi cupiditate iampridem flagrauerim; naturâ ipſâ mihi huius officij neceſſitatem imponente, quæ nec brutis animantibus natalis ſoli memoriam permittit excidere; piſces ex immenſo Oceano reuocans in fluminum alueos, quibus originem debebant; & aues ab alio ſole reducens ad prima cubilia; homines verò, quibus ratio gratitudinis ſenſum dedit, fortiore quodam, diuinioreq; æſtro ad patrię deſiderium impellens. Cætera namq; animantia non beneuolentiæ aut amoris conſcientiâ, ſed annuâ temporum viciſſitudine, & alimentorum commodis ad natales ſedes retrahuntur: hominem verò non opes, non amicitiæ, non exquiſitiſſimæ ridentis fortunæ illecebræ, quorum omnium maior ſæpe apud exteros affluentia; ſed vnica naturalis debiti memoria reducit. Nec quenquam tanta inceſſit peregrinandi voluptas, quin tandem patrios lares reſpexerit, & quò diutius abfuerit, eò ardentius cupierit reuerti. Hæ cauſæ vt me vobis præſentem reddiderunt, ita abſentis animum deſiderio veſtri velut ſuauiſſimo tormento, exercuerunt; vſq; & vſq; nobis recurrente propoſiti noſtri imagine. Et quum interdiu negotiorum multitudo hanc mihi cogitationem inuideret, noctu mihi aderant officioſa inſomnia, quæ, me in optatiſſima mea patria ſiſtendo, diurnæ illius inuitæq; obliuionis damna reparabant; vt ſciatis vnicam fuiſſe, quæ me reuexit, huius terræ dulcedinem, non illius, vnde digreſſus ſum, offenſam. Enimuero gens ea vniuerſa, à ſummis ad imos (vt quod eſt res ingenuè, & ſine fuco loquar) ita ſuum erga me amorem teſtata eſt, vt nullum dubitationi locum reliquerit, nedum querelæ. nec credo vllum in Chriſtiano Orbe Regem populo ſuo aliquando fuiſſe gratiorem: quem ego ſubditorum affectum terrenæ fælicitatis apicem, & ſummam

mam ſemper æſtimaui. Quamuis igitur iure naturæ hanc terram amare neceſſe ſit, in qua natus ſum ; tamen & illam alteram omni affectu exoſculor, in qua eodem iure renatus fui : hic à Deo accepi ſtatus regij initium, illic faſtigium & culmen : hîc ſpiritum primum ducere & eſſe mihi contigit, illic quin bene eſſe obuenerit non diffiteor. Vtramque igitur, vt parentem, pari affectu proſequor ; & hanc, quæ cunas meas, & illam, quæ triplicis regni ſolium ſuſtentat : vt ſubductis rationibus, ægre pronunciauerim, vtram diligam minùs. Patri igitur aſſimiler filios habenti gemèllos, quos ſic effictim amet, vt, vtrum magis amare debeat, ignoret. Vobiſcum pueritiæ meæ & iuuentutis anni tranſacti ſunt, vnde iſta naturalis deſiderij flamma in nobis accenſa eſt : cum illis virilis ætatis maturitas & robur. Vnde cogitantibus illis, quantum in nos iuris haberent, perſuaderi omnino non potuit, ſeriò nos vnquam de hoc itinere cogitaſſe, vel ex animi ſententia loquu os fuiſſe ; adeo quidem, vt ſapere illos vulgò negarent, qui me huc reuerſurum priùs crederent, quàm reuerſum conſpicerent. Vnde igitur rectiùs incipiam, quàm à populi Iſraelitici precatione pro Dauide Rege, *vt illius votis Deus annueret, & conſilia impleret?* Qua ſalutationis formula Archiepiſcopus Andreapolitanus mihi hanc vrbem ingrediēti communi nomine bene ominatus eſt. Et prius quidem illud Dei Opt. Max. benignitati iam acceptum fero, qui reditum, quem vnicè voueram, clementer indulſit : nec dubito, quin alterum illud, quod ſupereſt, pari munificentia in hoc ipſo conuentu ſit donaturus, vt conſilia mea ad optatum exitum perducat. Non poteſt vox mea (Viri Ampliſsimi) ad vltimas huius regni oras pertingere ; vos itaque, meos abſentis Vicarios, neceſſe habeo meorum ſenſuum præcones facere, & interpretes ; vt quotquot veſtro ſubſunt imperio, & ea quæ iam dixi, & quæ in commune bonum porrò conſulturus ſum, veſtrâ operâ intelligant. Diſsimulare enim non poſſum, quin præter hunc patriæ amorem, quem Natura charactere indelebili pectori meo impreſsit, alias habuerim huius itineris rationes ; quemadmodum ex literis noſtris, ad Conſilij Aſſeſſores datis, ſatis apparet : nempe vt, ſublatis é Republica vitijs, quæ niſi me præſente tangi non poterant, aliquod operæ pretium facerem. Meminiſtis enim me, dum inter vos viuerem, ex vetere meorum maiorum more ciuium querelas inſpicere conſueuiſſe ; eorum præſertim, quos fama erat à potentioribus oppreſſos : horum cauſas cognoſcere, & iniurias, quæcunque eſſent, maturè vindicare. Et mihi adhuc eadem mens eſt, omnibus illis, qui vi, fraude, gratia circumuenti ope noſtra opus habent, auxilium ferre, & iuri ſuo in integrum reſtituere ; quum ſciam præcipuam hanc eſſe noſtri aduentus cauſam, vt nemini quicquam liceat, niſi quod per leges licet ; quarum tutelam imis æquè ac ſum-

mis volumus esse sacrosanctam. Diuinare ego non possum quis vestrum sit læsus: at læso, si querelam deferat, succurrere, id vero mearum erit partium. Quod si acceptas iniurias celare, aut negligere quis maluerit, quàm à me iuris remedium poscere; obsecro saltem ita apud se statuat, mihi, quod passus est, non innotuisse, aut, si innotuisset, præteriturum me non fuisse. Nec me latet, quàm sit inuidiæ & censuræ obnoxia magnorum virorum authoritas; quum nulla lis decidi possit sine alterius partis offensa, & victus semper se læsum putet, quia, quod iniustè concupiuit, consequi non potuit. Quocirca omnes præmonitos volo, ne quis ira, aut cæco vindictæ studio percitus innocentem apud me Iudicem aut Magnatem deferat, nisi legem talionis pati paratus sit; vt quam pœnam in alium trahere voluit, ipse, ni verum dixerit, ferat. Volo enim apud se priùs expendant, quàm apud me deferant querelas, certoque & sine errore sciant se magni alicuius viri potentia oppressos fuisse, propterea quòd maior non adesset, ad quem licuerit prouocare. Cæterùm ex his facilè intelligatis, quantum me iamdiu tenuerit vestri desiderium, qualesque sint præcipuæ nostri aduentus causæ: libet tamen, vt magis adhuc constet qualiter erga vos afficiar, paululum excurrere, & tria iam dictis addere; meum nempe in vos amorem, & de vobis gaudium, & curam. Amorem, quòd tantisper quiescere nequierim, donec ad vos accederem gaudium: quòd tranquillum & beatum vestrarum rerum statum hoc tempore intuear; vnde opum, quas ego ab aduentu meo non parcè gustaui, affluentia nata est: curam denique, quòd hospitalitatem vestram debitâ illâ, &, quæ Regem deceat, gratitudine statuerim compensare. Genus autem gratitudinis, quod & meo officio, huicque loco, & tempori maxime conuenit, Scotica illa phrasi vobis non ignota commodissimè exprimitur, quum aiunt se artis suæ opera alicui gratificaturos. Etenim ab arte mea petam, vnde hoc debitum, quod apud vos contraxi, dissoluam: quæ res & me maximè decet, & vobis maxime conducit. Regem inter vos ago; & beneuolentiæ vestræ tum me censeo optimè respondere, quum regio munere sanctissimè defungor; hanc vnam approbans gratitudinis rationem, vt aliquid personâ, quam gero, & vestra de me expectatione dignum efficiam, & posteris, quod imitentur, relinquam: non vt inanibus illis blanditiarum formulis, & tritis sæculi phrasibus, vestram beneuolentiam eludam veriùs, quàm compensem. Sed quum de tota nostri consilij ratione, per literas à me præmissas, certiores antehac facti sitis, non fuerit abs re palàm hic eas legi; vt ipsemet, verborum meorum optimus interpres, bonis omnibus cumulatè satisfaciam, & suspicionum aut calumniarum nebulas admota veritatis luce dispellam.

LITERÆ.

Digitized by Google

LITERÆ.

NON possem nisi iniquissimo animo ferre, si vehemens & diuturnum patriæ nostræ, & antiquissimi Regni Scotiæ visendi desiderium torpente & frigido nostrorum Subditorum affectu in aduentu compensaretur: idq; per multorum præiudicatas opiniones, ex falsis rumoribus vel malitia vel errore sparsis, de aduentus nostri consilio & causis. Visa est igitur nobis ad siniſtras huius itineris interpretationes præcauendas commodissima via, si veras illius occasiones ingenua confessione vobis antè notas faciamus. Et primò quidem non pudet fateri, multis abhinc annis flagrasse nos desiderio patriæ, & altricis terræ visendæ; qualis amor salmonem iam adultum reuocat ad natales aquas. qui instinctus naturæ interdiu noctuque, ne quidem in somno concessis indiciis, nos instigabat ad viam: nec quietis porrò vlla spes erit, donec Deus Opt. Max. nos ad voti nostri finem perduxerit. Et honorem nostrum testamur, principem hanc nobis fuisse suscipiendi itineris causam. Comitabatur autem hoc naturale desideriū muneris nostri Regij, quum illic fuerimus, excercendi sollicitudo: vt sic impetu hoc naturæ ad officij functionēm vteremur. Qua in re prima nostra cura erit subditorum nostrorum querelas, quæ quidem nostram præsentiam exigant, inspicere, & si vsus postulet, vindicare: proxima verò corruptelas, quæ nobis absentibus loco moueri non poterant, auferre. Quòd verò ad rerum mutationem in statu politico & ciuili; fatemur quidem nobis illud fore gratissimum, si quæcunque commode & vtiliter nobis præsentibus fieri possunt, nostra ope fiant: vellem tamen omnes, tam quibus consilia nostra non sunt ignota, quàm cæteros fideles & bonos subditos, id sibi de pudore nostro & prudentia persuasū habere, quòd nec optemus isthic quicquam nouari, nisi quod ad Dei gloriam, & Reipublicæ bonum, & subditorum nostrorum commodum spectabit. Fortè etiam multa sunt in se quidem iustissima, & quæ saluâ conscientiæ lege a nobis optari

poſſent, quæ nihilominus propter varia, quæ occurrant, impedimenta prudentes ſcienteſque omittemus, non exhibituri ſubditis noſtris in huiuſmodi rebus negotium; niſi tanto omnium conſenſu, quàm Reipublicæ bono tranſigi poſſent. Seriò itaque vos rogatos volumus, non modò vt ipſimet præiudicatis, & ſiniſtris de itinere noſtro opinionibus non detis locum; verumetiam cæteris bonis ſubditis noſtris mentem noſtram faciatis notam, vt ex optatiſsimo hoc cum ijs congreſſu, eâ fruamur lætitia, quam ſemper de illis ſtudebimus mereri. Perſuadete igitur vobis & confidite; nos, quamdiu iſthic erimus, obnixè in eam rem daturos operam, vt omnibus appareat, non defuiſſe nobis voluntatem, quæcunque poteramus, bona faciendi; quanquam nihil niſi cum hac moderatione facturi ſumus, vt populo noſtro applaudente & conſentiente fiat.

DVabus maximè de cauſis has literas coram legi volui: Licet enim iampridem in vulgus ſparſa fuerint earum exemplaria, vnde noſtri aduentus conſilium bona fide & ſine fuco intelligi potuit: amant tamen plerique homines calumniæ, & malignæ interpretationis labem etiam illis rebus adſpergere, quæ apud æquos arbitros omni vacant controuerſia. Alij porrò, dum rerum, quæ ſupra eos ſunt, conſilia examinant, videri volunt eas res accuratiſſimè noſſe, de quibus necdum ab authoribus ipſis quicquam conſtitutum eſt: quod & nobis in Anglia ante iter euenit. Statim enim vt publicè innotuit profectionis noſtræ deſiderium, non veriti fuerunt ardeliones de mente noſtra, & profectionis conſilio iudicare, & ſe noſtrarum cogitationum non coniectores, ſed interpretes venditare, & quamplurimos homines, commentorum iſtuiſmodi ſpeciè illuſos, abduxerunt à vero; ne non ſatis eſſet calumnias ſtruere, niſi & alios mendacij conſortes efficerent. Quum itaque auribus noſtris moleſta accideret malignitatis huiuſce vanitas, viſum eſt nobis, illi, priuſquam vlterius ſerperet, occurrere; literiſque ad Aſſeſſores Concilij datis, malum anteuertere; aut, ſi opinione celerius fuiſſet mendacium, contrariâ veritate extinguere, ne ſiniſtris & falſis nuncijs fracta populi alacritate, noſter aduentus fieret ingratior; atque ita voluptate, quam ex congreſſu veſtro iampridem præcepimus, per alienam fraudem immeritò excideremus: quod ſine veſtra iniuria & noſtro dedecore non potuiſſet accidere: vt taceam

am quanta ſecum trahant mala præiudicatæ hominum ſententiæ; rem mihi in Scotia & Anglia nimis iam compertam; cuius nec meminiſſe hoc tempore quicam ſine triſtitiæ ſenſu. Eſt præterea aliud malignorum interpretum genus. hi, vt in prouerbio eſt, ex muſcis faciunt elephantos; ex minimis aut nullis ſignis prædicentes maximarum ſcilicet rerum euentus, &, quæ eorum ſolertia eſt, ex verbis luce clarioribus incredibiles, & pernicioſas elicientes ſequelas, auctorum menti prorſus contrarias. Quamobrem, omiſſa priore literarum parte, vbi patriæ deſiderium principem teſtati ſumus itineris noſtri cauſam; poſteriorem illam relegi cupimus, vbi alias quoque profitemur illius cauſas ſubeſſe: quod quia aliorſum traxit calumniantium malitia, nefas mihi non erit, quod cæteris licet, meorum verborum interpretem agere; vt profligatis, quæ malè ſedulos plus ſatis exercuerunt, commentis, optimorum ciuium animos ab errore, ſi quis ſupereſt, vendicem, & ſuſpicionum iniqua deinceps excludam.

Literarvm Posterior Pars.

Comitabatur autem hoc naturale deſiderium, &c.

VBi videre eſt, id mihi inprimis propoſitum fuiſſe, vt ijs duntaxat rebus auxiliarem manum admouerem, quæ meam exigebant præſentiam, & ſine me mutari omnino non poterant. Licebat mihi hîc, ſi libuiſſet, in memoriales tabellas, quales Germani peregrinantes circumferunt, leuicula illa, quæ in itinere occurriſſent, conijcere; ijſq; contẽtum in Angliam, vnde digreſſus eram, reuerti; vel ſanè epulando dies hos vobiſcum comburere, nihilque altius meditantem vos relinquere. Quæ itinerandi ratio quum Rege minus digna videatur, me ſanè præter cæteros dedeceat, in hac præſertim terra; vbi publica Euangelij profeſſio niſi ſeptem ante me natũ annis non obtinuit; quo tempore tot damnis afflicta fuit Eccleſia, tot vulneribus confoſſa, vt non minus verè quam vulgò ex eo dici conſueuerit reformationis prætextu deformationem ſubijſſe. & in pupillari noſtra ætate quantum auſa ſit flagitioſorum temeritas, humanis omnibus diuiniſque permiſtis, nemo eſt veſtrum qui ignoret. Mene igitur tot terrarum ſpatia emenſum ad vos accedere, & dulciſſimæ patriæ vlceribus, quæ eam olim malè habent, neglectis, eò vnde veneram redire, nec de veterum malorum medicina facienda cogitare? ſed ad publicas corruptelas conniuere, patriæ commodis &

paci & dignitati in futurum nihil prospicere? Longè aliud promittit mea in patriam charitas, & vestri amor; vt de officij regij, & meæ professionis ratione nihil dicam; quàmque mihi ipsi iam fierem dissimilis, si tantum iter susciperem non Reipub. gratia, cui natus sum; sed voluptatis, cuius in reliqua vita semper fui securus. Vestrum igitur fuerit, postquam intellexistis quàm graues causæ me huc attraxerunt, mecum in publica commoda conspirare; & manum potiùs tanto operi admouere, quàm rerum leuiorum mentione præclaris cogitationibus obstrepere; vel paternam hanc nostram sollicitudinem etiam eiusmodi negotiolis onerare, quæ stata iudiciorum ratione sine nobis transigi potuissent: qualia nimis multa ad me relata sunt, quæ à Præfecto & Consulibus huius vrbis, etiam me absente, iudicanda erant. Vos potius, Iethronis sequentes consilium, maioris duntaxat momenti causis, quantum satis erit temporis, impendite: leuiora omnia ad inferiora iudicia amandate, nostras aures non grauantes nisi ijs, quæ non alio quàm nostro auxilio erant componenda. Ita fiet, vt distributis officijs opus publicum, quod vnius industria progredi non potuit, multorum manibus absoluatur. Nec volo enim nec debeo (populares charissimi) ad vestros errores conniuere, sed quæ minus rectè à vobis fiunt ea oportet vitio vertere, vt emendentur. Sæpe vos, quum domi manere licet & legum præsidio confidere, mihi & vobis negotium facessitis, temerè excurrentes in Angliam, &, quasi rebus deploratis, regiam in re tuta implorantes opem; non aliter ac si per vim leges obmutescerent, vel iustitia palàm prostituta esset ad quæstum: à quo delicti genere nec Anglos immunes esse non semel professus sum. Nec tamen ideo hoc moneo, quòd mihi vester congressus non semper fuerit gratissimus; quid enim eorum præsentia iucundius, qui me vnicum putant fortunarum suarum columen? sed vt sciatis vos tum fore mihi longè gratiores, quum non negotiorum causâ, quod necessitatis est; sed salutandi, visendique gratiâ, quod amoris proprium est, ad me accesseritis: quum vos à Septentrione in Austrum venisse intellexero, tantùm, vt meo adspectu, quem vobis negabat loci intercapedo, frueremini. Hæc sunt igitur, vt aduentus nostri causas paucis repetam, quæ nos in patriam iampridem citarunt, eius visendæ & iuuandæ desiderium; vtrumque ex amoris & charitatis fonte profectum. Fallitur enim si quis ideo me putet venisse, vt regiæ prerogatiuæ & potestatis terminos extendam; aut vestrum alicui aliquid auferam, quo non libenter careret. Me in eum locum euexit diuina benignitas, vt altior esse non cupiam, & aduersus ambitionem animum mihi inuictum dedit: & multò mallem meis sumptibus comitatum meum alere, quàm indictis tributorum oneribus subditos nostros charissimos

nunc

nunc grauare, aut poſt diſceſſum detrimenti ſenſum bene merentibus relinquere; præſertim quum ſpontanea illa veſtra liberalitate ſatis iam oſtenderitis quo animo ſitis in Regem. Nam quod à veſtra alacritate oblatum eſt non potui non candido pectore & ſerena fronte accipere: At verò vt aliquid vobis amplius extorqueam tantum abeſt, vt nec quicquam omnino petiturus ſim, niſi quod ad meliorem politiæ ſtatum & populi commune bonum faciat, & perfectiſſimis Rerumpub. exemplis conueniat. Nec patiar me bene agendo ab eo vinci, cuius vicaria apud vos opera ſæpe vſus fui; Comitem dico Dumbari, qui, quum ita ſe gereret, vt à mandatorum noſtrorum præſcripto nuſquam recederet, multa hic egregia inchoauit, quæ (ſi Deo viſum fuiſſet illi vitam diutius commodare) ad optatum perduxiſſet finem, & curæ noſtræ molem minuiſſet. Sed quum ille in medio rerum molimine, aut potius in ipſis operum rudimentis ceſſerit fato; vnicum hoc deceat nos cum eo genus certaminis, vt quanto ille, dum viueret, potentia & dignitate me minor fuit, tanto ego charitate & ſtudio in patriam illo maior exiſtimer: quod ſalua iuris partij authoritate facile me arbitror conſecuturum. Nunquam enim mihi animus fuit Leges veſtras ad Anglicarum, aut aliarum quarumcunque morem trahere; niſi quatenus aut Reipub commodum, aut populi ingenia flagitare videbantur. Fatendū tamen eſt multa mihi in Anglia obſeruata (vt ſanè ſua ſunt vnicuiq; genti bona & mala) quæ æquis rerum æſtimatoribus imitatione digniſſima videantur: adeo illa Reipub. facies pleriſque alijs, me iudice, antecellit. nec pudet agnoſcere, quantos in ciuili prudentia poſt aditam illius regni hæreditatem progreſſus fecerim: ex qua re, vt ex feliciſſima beatæ regionis poſſeſſione, ſummam meritò capio voluptatem. Hortor itaque vos ſiue moneo (populares chariſſimi) vt quod in ea gente laudabile & præclarum didiciſtis, id meo exemplo vobis imitandum proponatis; vitioſa autem & corrupta, qualibus nulla vnquam Reſpublica vacauit, omni opera fugiatis: quò meliora ſequentes addatis patriæ quod deeſt boni; non (vt multi inter vos ſolent) peiorum æmulatione natiua augeatis vitia: quaſi domi non ſatis eſſet ineptiarum, niſi peregrinas corruptelas in ſubſidium vocaretis: cuiuſmodi eſt fumiuora hæc, & maioribus veſtris ignota Tobacci ſitis, ex Anglia nuper accerſita; indeque petitæ veſtium formæ, & luxus, & aulicarum phraſium affectatio, adeo putida, vt nonnulli è venuſtioribus noſtris nec iam Anglicè ſciant loqui, nec Scoticè. Me videte nihil mutatum ab illo, qui olim fueram, niſi forte in ijs, quæ ratio ipſa euincit meliora. Ego per diuturnam apud eos moram nec patriam linguam dedidici, nec corrupi; nec ad nouas veſtium formas publicæ vanitatis æmulatione tranſiui; nec è cæteris, quæ corrupta conſuetudo in mores inuexit, quicquam

ſequutus

ſequutus ſum. mea hæc vobis imitanda erat conſuetudo, recti tenax propoſiti; non publica vanitas illa, quæ ſui pertæſa in dies & horas mutatur. Tempus nunc eſt (anipliſſimi Proceres) vt conſilij mei rationes vobis aperiam: quod commodiſſimè fiet, ſi indicauero á quibus rebus abſtinere hîc decreuerim, deinde verò, quibus agendis incumbere. Inter ea autem, quæ mihi hoc tempore interdixi, principem locum obtinet regni huius politia; res multò maximi momenti, & longiſſimæ deliberationis, nedum vt temere, & in ſubiti itineris feſtinatione attingi debeat. Me vtique Regem natum, &, vt regnandi tempore, ſic Reipublicæ notitia & experientia maiorem prioribus, non poteſt latere, quàm periculoſæ aleæ res ſit vetera fundamenta conuellere; & quanto ſit facilius incendiũ excitare, quàm extinguere. Illo igitur lapide non moto, ad ea me conuertam Reipublicæ vitia, quæ ſaluo iure patrio poſſunt emendari; non ignarus quantopere & Reipublicæ & Eccleſiæ interſit, quæ in ijs vel lege vel more diſtracta ſunt ſacro vnitatis fœdere coniungi. Hæc (ni fallor) iuris mutatio non eſt, ſed perfectio. Nec vrgebo hoc tempore poteſtatis regiæ priuilegium, nec quantum per ſceptri prærogatiuam in hoc conuentu mihi liceat. Etſi Quæſtor ille Angliæ Burlæus, quem ego omnibus eo functis officio prudentiæ nomine ſoleo anteponere, quum in Comitijs de poteſtate regia diſſereret, *neſcire ſe dixerit, quid Rex in regni Comitijs facere nequeat; ſi miraculum excipias*: malo tamen ratione perſuadere, quod emendaturus ſum rectè fieri, quàm poteſtatis regiæ priuilegio, quod viſum eſt, emendare. Et hæc ſunt a quibus abſtinendum cenſui: quæ autem facere decreui, omnia cum ea cura & ſollicitudine coniuncta ſunt, vt conuentus hic noſter & Eccleſiæ & plebi ſolatio ſit; ſingulique illius, quod obeunt, muneris fructum ferant & præmium; qui miniſterio verbi ſe dediderunt ex eo, vt par eſt, tolerantes vitam ſuam, ne defectu neceſſariorum cogantur ea tractare, quæ a ſacro ipſorum officio aliena ſunt: qui verò agris colendis operam locant è laboribus ſuis percipiant, vnde familias ſuſtentent; ne iuſto ſudorum præmio fraudati remittant de induſtria, & quicquid id eſt detrimenti, quod certè maximum eſt, id omne in Rempub. redundet. Vnum eſt, quod præter cætera vos monitos cupio, ne quis dolo malo aut furtiuè hinc conetur auferre, quod aliàs, ſi candidè & honeſtè egiſſet, nunquam impetraſſet. Turpe enim eſt ex hoc loco, vnde publicæ iuſtitiæ oracula expectantur, publicas per negligentiam veſtram proficiſci iniurias. Videat igitur Regiſtri cuſtos, videant eius actuarij & ſcribæ, ne quid in hoc conuentu vim habeat decreti, niſi quod ante ab Articulorum Examinatoribus excuſſum & probatum fuit. Nec fruſtra id denuncio, memor Alexandrum Haium, regiſtri olim cuſtodem, hominem, ſi quis alius ſingulari candore & fide,

fraude

Digitized by Google

fraude aliena aliquando inductum fuisse, vt priuatas lites, tanquam publica ordinum decreta, sua subscriptione muniret. Facilius est eiusmodi errores cauere, quàm corrigere, si vestrum vnusquisque quod sui est muneris, diligenter & tempestiuè exequatur; non autem serò & postquam emendari non poterit, de iniuria conqueratur. Hæc habui, Proceres amplissimi, quæ deaduentus mei & conuentus vestri causis dicenda publicè existimaui: supersunt, quæ meo nomine priuatim vobis dicenda sunt, de reditus nostri expectatione, de vestra in occurrendo frequentia, in excipiendo alacritate, in tractando apparatu; nisi satius esset tot officia tacendo agnoscere, quàm pauca dicendo minuere. Iam haud dubijs deprehendo indicijs, patriæ & vestri, quo iampridem flagrabam, amorem optimè nunc esse collocatum, quum tam insigni & planè mutua, hoc est, qua maior esse non possit, charitate rependitur. Quòd si infra meum affectum vel vestra merita subsidere videatur hæc oratio, haud quaquam pro dignitate, quod in pectore nostro est, studium exprimens; sanè ibi frustra requiritur facundiæ fucus, vbi potius conspicienda est beneuolentiæ sinceritas. Eloquentiæ, quæ regem deceat, natiuus color non est petendus è Rhetorum myrothecijs, vt ea appareant quæ non sunt: sed simplice illo & transluceute veritatis habitu probanda est. Quin si mihi libuisset ingenio & industria orationem elaborare, per otium tamen non licuit; negotio negotium, velut vnda vndam, trudente, quum sat temporis, non dicam adscribendum, ne ad cogitandum quidem vacauerit: nec verò si licuisset per tempus affectare elegantiam, libebat tamen; in argumento videlicet facili & copioso, quo patriæ visendæ iuuandæque ingens & diuturnum explicandum erat desiderium: cui etsi verba paria non fuerint, tamen apud beneuolos interpretes, quales vos esse mihi est persuasissimum, non arbitror fuisse illa à nostro instituto & animo aliena.

Digitized by Google

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS IACOBI,

Dei gratia, magnæ Britanniæ, Francię, & Hiberniæ Regis, Fidei defensoris, &c.

MEDITATIO IN ORATIONEM DOMINICAM;

Ad Subditos suos, eos præsertim, qui aulam sequuntur.

Ioh. 16. 13.

Quicquid meo nomine petieritis à Patre, dabitur vobis.



Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Quod Virgilius Æneidi suæ præfatus est, Ille ego qui quondam; *id ego iure possem meæ huic in* Orationem Dominicam *meditationi præmittere, licet fine planè contrario. Nam Poeta eo proœmio ostendere voluit, quantum supra seipsum noui argumenti beneficio subuectus fuerit, ab aratro scilicet ad arma & Heroas translato stilo: at ego, contraria prorsus ratione, ex alto & profundo mysteriorum Apocalypseos abysso, in quo elephas etiam natare possit, venio nunc meditationem scripturus ad planam, æquabilem, & facilem illam* Orationem Dominicam; *quam nulla non anus aut recitet aut emurmuret, nullus non puer, bene educatus, è Catechismo suo interpretetur; mutato sic robustiore cibo, vnde viri alendi sunt, cum lacte infantibus aptiore. Verùm* ego iam annis inualesco, & (quod vulgò dicitur) senes bis pueri sunt. nec deest Cardinalis* Bellarmini *exemplum, qui digladiationibus polemicis & controuersijs, quibus priorem vitam in solidum mancipauerat, non ita pridem valedixit, contentus meditatiunculam aliquam quotannis edere, eamque duobus aut tribus fabulosis ornatam miraculis: qua in re me æmulum non inueniet. Nunc verò, dum apud me cogito, cui demum opusculum hoc, quod horis somni maxima ex parte suffuratus sum, dicare oportet;*

* Auctor libri, cui titulus est, *examen ingeniorum*, iubet post quinquagesimum ætatis annum à scriptione librorum abstinere.

Reijce aniles fabulas. 1. Tim.

teat; dumque in memoriam reuoco, quàm sollicitè in librorum meorum dedicationibus decorum hactenus obseruarim; vnde factum est, vt ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ ΔΩΡΟΝ, HENRICO, filio quondam meo, inscripserim, quod nunc ad CAROLVM, vnicum iam mihi superstitem, pertinet, nempe, & libri illius & omnium bonorũ fratris sui ex asse hæredem; quemadmodum & Apologiam meam pro Iuramento fidelitatis omnibus Christianis Principibus & Rebuspublicis dicaui, quia eorum intererat illius operis argumentum; cæteros autem libros, qui res tractabant omnibus personis communes, candido Lectori, cuicunq; demum, nuncupaui: Nemo mihi occurrebat Te aptior, Buckingame, cuius nomen præferret hæc meditatiuncula; quæ, quia ad perspicuam & breuem admodum precationem conscripta est, homini Aulico magis videtur conuenire: Illis enim plerumque (si vera est communis opinio) nec vacat, nec libet longis precibus operam dare, et breues amant Missas ac prandia prolixa. Verùm vt, amoto ioco, quod res est loquar, Tibi ea precatio ob breuitatẽ & perspicuitatem conuenientior est. Ob breuitatem quidem, quia dum tui erga me officij assiduitatẽ, & quotidianas ministerij tui curas expendo, quantáque flagitatorum examina à te pendeant, importuna sine modo & temporum discrimine, pauxillum temporis tibi videtur superesse ad sacras meditationes. Ob perspicuitatem verò, quia tibi non contigit in scholis educari. quid quòd & alijs multis de causis in hanc lucubrationem tibi ius vendicare possis? & prima quidem esto ipsa scriptionis occasio: sæpe enim, antequam eam aggrederer, Tibi, & quidem vni, nonnulla eorum communicaui, quæ in Orationem Dominicam meæ mihi cogitationes suggesserant: & tu sæpe rogasti, vt pennam chartæ admouerem. Deinde verò, sicut pater est noster cœlestis quem ea prece compellamus, ita, qui eam tibi nunc offero, pater tuus sum, non politicus modò, sed etiam œconomicus, & quidem propiore quàm cæteris gradu Tertiò, vt oratione illa bene discas vti. Nam quum in tuo ingenio for-

* Similes enim sunt S. Christophoro, qui vt Christus seruus fieret orare aut ieiunare nec potuit nec voluit; & eam ob causam ab Eremita ostiarius constitutus fuit.

formando nonnullam quotidie operam ſuſcipiam, quò mihi in huius vitæ negotijs commodiùs inſeruias; à ratione certè alienum foret, ea, quæ Dei ſunt, negligere: nam timor Domini eſt initium ſapientiæ. *Denique agnoſco, & quidem cum gaudio, eum te eſſe, qui hoc à me munuſculum merearis, propter exemplum pietatis quod aulæ præfers, non ſolum Dei verbo frequenter auſcultans, verumetiam ſacramentum altaris crebrò percipiens: vnde & charitas tua manifeſtè elucet, & humanitas illa condonandi offenſas; quod hac meditatione præter cætera mortalibus commendatum volo: & ſanè, quàm honeſta tibi & ſancta omni tempore ſuggeſſerim conſilia, non dubito quin fidus orbi teſtis ipſe futurus ſis.* * *Accipe igitur à me, velut pignus quoddam amoris, hanc ſtrenam, in Vigilia Dominici Natalis cœptam, & vix adulto primo anni menſe finitam; Deum orans, vt quemadmodum in illo natus es & renatus, ita illi reſurgas, & in illo æternùm ſanctificeris.* Vale.

* Chartaceus hic amicus nec in commodis horis tibi importunus fiet, nec veniet nonvocatus, nec loquetur non interrogatus; ab adulatione autem mendacioque, & diſſimulatione alienus erit.

ILLVSTRISSIMO ATQVE AMPLISSIMO VIRO, DN. GEORGIO VILLERIO, *MARCHIONI BVCKINGHAMIÆ*, ANGLIÆ THALASSIARCHÆ, REGIORVM *EQVORVM MAGISTRO, EQVITI* PERISCELIDIS, &c.

QVod tua pace fiat, Illuſtriſsime Thalaſſiarcha, trajiciat libellus hic è noſtra Inſula in continentem Europæ, & qui Britannus modò erat, nunc, & venturis in ſæculis Coſmopolites ſit, inſcriptus tibi, ſcriptus omnibus, in gratiam Inſularium, at in Chriſtiani orbis commodum. Aër, vnde omnium ſpiritus alitur, nullius cenſendus eſt: & bona animi, vt virtutes & ſcientiæ, inſtar luminis, ſine ſui diſpendio ſe impertiunt, vt locupletior fiat qui dedit, & minus habeat qui retinuit. In cœlos tibi extendit Regia pietas ſacram hanc Orationis ſcalam: ſolus ſine inuidia adſcendere non potes: ſequantur gradatim omnes gentes in ſpatioſam illam aulam; gratior eò venies, quò plures tecum attraxeris. Nec aliud pollicetur cætera tua humanitas, qui apud optimum & ſapientiſsimum Regem ideo videris eſſe gratioſus, vt Reipubl. inſeruias, & honeſta bonorum vota prouehas. Non meretur huius inſulæ anguſtijs concludi, multò minùs vnius poſſeſſio fieri libellus iſte: itaque iam tranſfretaturus ſermonem patrium, me authore, dedidicit, donatus Romana ciuitate, parique omnino cum ijs iure, quibus ipſa Roma hodie mater eſt. Caius Gracchus, ſi viueret, controuerſiam fortè ei moueret vt peregrino; ſed idem, qua erat proteruia, ciues ſuos negaret, qui mille annis proximis in Palatino monte nati ſunt. Eſt vnicuique linguæ proprium aliquid & inſitum, quod

Digitized by Google

nulla arte addiſcat alienigena: eſtque in Regis noſtri ſtilo natiua quædam venuſtas, quam fidiſſimus interpres, vtut ſe torqueat, nunquam exprimet: vt omittam neminem hodie reperiri tam profluente & copioſa Latini ſermonis vena quæ eloquentiæ Regiæ vbertati reſpondeat. Sic Homeri poëſin, aut Ariſtotelis opera nemo Latinus niſi inf. liciter attigit. Quòd igitur Meditationem Regiam *mea opera deteriorem habeas, Nobiliſsime Vir, pro mercede veniam dabis, in delicto præſertim ineuitabili, & quod obſequij neceſsitate excuſetur. Leuiùs tamen peccauimus, quòd ſua Maieſtas auxiliarem nobis manum commodârit, permultis mutatis, quæ in mea verſione diſplicebant: pæne eumdem habuiſſes vt authorem ſic operis interpretem, niſi luctuoſus Reginæ obitus diligentiam eius ſub finem remiſiſſet. Quæcunque autem huic editioni addita reperies, ea Sereniſsimus Author Anglico libello de induſtria ſubtraxerat, in hunc vt commodiorem locum reſeruanda. Illic enim perſpicua breuitate ad communem captum deſcendere voluit: hîc eruditiorum rationem habuit. Vale Heros, & eum inter virtutum tuarum cultores ne dedigneris admittere, qui ſe tuo patrocinio nunquam faciet indignum,*

T. R.

MEDITATIO IN ORATIONEM DOMINICAM.

INter omnia Christianæ vitæ officia nihil est iustius, vel vtilius, quàm Deo seruire: & excellentissima huius seruitij species est oratio, idque varias ob causas: orationum autem omnium perfectissima est Dominica, maximeque ex vsu nostro, & solatio. Dei seruitium cæteris Christianæ vitæ officijs antecellere, Christianus nemo ambigat; siquidem homo ad Dei gloriam propriè creatus fuit; quod primò tenetur præstare tempore peregrinationis suæ in terris, quod finitum est; deinde habitationis suæ in cœlis, quod est sine fine. Orationem cæteris Christiani hominis actionibus præstare, testatur præceptum nobis datum; testatur ipsa actionis illius dignitas, testatur fructus, qui ex ea infinitus ad nos redundat. Præceptum est, vt oremus sine intermissione; & hoc vnum est, solumque, quod sine intermissione facere iubemur. Nam cæteris rebus suæ sunt & statæ vices: *singula tempus habent*, vt ait Salomon; at oratio, quando zelus cor hominis accendit, & cogitationes eò disponit, nunquam intempestiua est. Actionis dignitas inde apparet, quòd aliàs quidē cum hominibus nostri similib⁹ omnis noster versatur sermo; at precantes ipsum alloquimur Deum, & cum eo quodammodo sermocinamur, pro tempore quasi Semangeli facti, dum spes nostra & fides prece excitatæ acquirunt vires, vt Deum ad nos deuocent, & nostri veluti iuris eum faciant: immò, vt Deus nobiscum habitet, & nos cum eo sine fine. Infinitus ille, qui ex illius vsu fructus Eccles. 3.

nobis

Luc. 6. nobis cedit, ex mandato Seruatoris elucet, *petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis*: panẽ rogantes non accipiem⁹ lapidẽ, nec pro piscib⁹ serpentes, nec pro ouis scorpiones. Pollicetur nihil negatũ iri nobis, quod precando Deũ orabim⁹, modò adsit fiducia exorandi: quin & iubemur * viduæ illius importunitatem in precando imitari, cum pari successus certitudine. Qua doctrina, si vllo vnquã in seculo, sanè vel maximè in hoc nostro op⁹ est, quo zelus qrandi refrixit in nobis & exaruit, inque verba * degenerauit; imprimis in hac Insula, vbi Puritani conciones sine inducijs nos iubent venari, prece interea quamlibet minima contentos: atque ita præceptum Apostoli, *Orate sine intermissione*, mutant in hoc, *Concionamini sine intermissione*; alterum duntaxat eiusdem Apostoli sequentes mandatum, *concionantes & hortantes, opportunè & importunè.* Omnium autem orationum perfectissimam & excellentissimam esse Dominicam, inter omnes Christianos conuenit, ne quidem ipsa Bruniſtarum contumace secta refragante, etsi ipsi, dum precantur, hac formula vti omnino recusant. nempe, vna & sola est hæc Oratio, quam Saluator suo sanctissimo ore mortalibus dictauit, addito imitationis mandato.

* Luc. 18.

* Satis est hac tempestate, si in congressibus nostris de diuino cultu sermones cedamus, etsi nihil minùs cogitemus in vita. Scripturarum enim ars est, quam nemo ignorat, non anus garrula, non artifex de triuio, vt conqueritur D. Hieronymus ad Paulinum.

Cur autem fanatici hi Christum præeuntem sequi nolint, nulla alia causa est, nisi quia Puritanos Anglos, parentes suos, sequi malunt, quos zelo etiam studeant anteuertere, ex ijsdem progressi principijs. Puritani enim nostri solennes orandi formulas à matre Ecclesia * iunctas vsurpare dedignantur, sed fratrum vnicuiq;, scilicet, è vestigio concipiendæ sunt, & calente vena fundendæ preces: vnde & Bruniſtę Orationem Dominicam, licet ab ipso Deo iniunctam, reijciunt, quia vna est è solennibus & statis formulis; contumaciæ suæ æquiuocationem hanc prætexentes, quòd non his verbis, sed hoc modo Christus iusserit orare, videlicet, vt ipsi planos & simplices Seruatoris numeros prætereant, suumq; orent aut potius cantillent subitaneum discantum, prout fanaticus eorum Spiritus modos variauerit: non precantes è contextu sacro, sed è suo commentario & paraphrasi. Atque ita, dum sibimet ipsi præscribunt Canones, nec agnoscunt Deum pro patre, nec Ecclesiam pro matre. Nam Christus S. Luc. 11. disertis verbis præcipit, *quando oratis dicite, Pater noster.* Et profectò Puritani nostri tantùm non cum ijs videntur conspirasse, vt Orationem Dominicam omnino proscribant. Nam vitio vertunt Ecclesiæ * nostræ, quòd in Liturgia bis ea vtatur formula; vt scias quam minimum eius istis hominibus sufficere. Sed monstrosum hoc * extemporalium, & subitarũ precum commentum Puritanos pariter & Bruniſtas transuersos rapit. iure monstrosum dico, siquidem vno eodemq; tempore rem vnam & concipi, & nasci volunt, contra naturæ morem, quę fœtum post conceptionem matris vtero aliquamdiu concludit, vt ibi augeatur, & matureſcat

*Solẽnes precum formulæ omnitempore in Ecclesia & præscriptæ & vsitatæ fuere, Concil. Mileuit. Can. 12. *Nec alia omnino precis dicantur in Ecclesia, nisi quæ à prudentioribus fuerint tractatæ vel comprobatæ in Synodo, &c.*

* Primo anno regni mei in Anglia, in cõuentu Hamptonienſi à me indicto, reprehendebatur inter cætera à Puritanis Dominicæ orationis in Liturgia nostrâ repetitio.

* Abutuntur eo loco, Matth. 10. Dabiturvobis in illa hora, &c.

Digitized by Google

tureſcat donec edatur in lucem. Et hæc vniuerſim eſt Naturæ via, in animalibus, in vegetabilibus, in mineralibus etiam ipſis intra terræ viſcera; vtut Chymici cum Puritanis & Bruniſtis hîc conſentiant. Et ſanè Puritanos noſtros non iniuria Chymicos Theologiæ doctores appelles, cum ſuis illis puræ & purgatæ doctrinæ quintis eſſentijs. Naturam quoque imitatur gratia, nihil perfectum primo ſtatim conatu producens, ſed certis gradibus.

Verùm ne quis iniuria affectos à me exiſtimet Puritanos noſtros, quòd eos Bruniſtarum patres dixerim, petenda mihi eſt à Lectore venia, vt aliquantulum hîc, eius cauſa, ab inſtituto meo digrediar. Iam dixi, quo pacto Bruniſtæ ex illo Puritanorum principio, *quod non ſint admittendæ ſolennes precum formulæ*, Orationem Dominicam nolint recitare. nunc oſtenſurus ſum eorundem principijs niti Bruniſtarum ab Eccleſia noſtra ſeparationem. Puritani noſtri Epiſcoporum regimini, quod Antichriſtianum dicunt, prorſus aduerſantur: vnde & Bruniſtæ, ne in ipſos cadant ruinæ Babylonis, Epiſcopos agnoſcere recuſant, reiectis quoque eorum nominibus, & titulis, ſpiritualique & temporali iuriſdictione. Puritani Ceremonias Eccleſiæ, quæcunque ad eorum guſtum non faciunt, reprehendunt, nempe, à Romana Eccleſia, quæ illis vtitur (vt aiunt) nunc pollutas, quantumuis antea fuerint incorruptæ; abutentes verbis Salomonis in Cantico, * *Nigra ſum ſed formoſa*: vnde Bruniſtarum dogma ſequutum eſt, non poſſe ſe in illius Eccleſiæ ſinu diutius manere, aut eius vberibus ali, quæ Antichriſtianæ ſuperſtitionis labe fœdata eſt, & hoc verum eſt totius ſeparationis fundamentum. Quæ enim cauſæ Miniſtros noſtros Puritanos faciunt deſertores officij, & gregis illis commiſſi, eæ Bruniſtis ſuſficiunt, vt Eccleſiæ vnionem prorſus reſpuant. Et quoniam magnificentiſſima templa ſub Papatu exſtructa fuere, & ſic Pontificiorum hominum manibus, & conſecrationibus, & aquis benedictis (vt aiunt) polluta; eam ab cauſam neceſſe habent iſti, latronum & exlegum more, in ſyluas & ſpeluncas fugere ad conciones habendas, & ſacra facienda, freti omnino Cartwrighti dogmate, *Quod in Eccleſia verè reformata nullum vnquam locum habere debeat, qui aliquando Pontificius Sacerdos fuit.* Atque ita ſatis, ni fallor, oſtendi fundatores eſſe & parentes Bruniſtarum Puritanos, ſiquidem illi id tantum rebus audacter exequuntur, quod hi, quum idem doceant, facere tamen verentur. Nec tantum Bruniſtarum natio ex Puritanis orta eſt, ſed etiam innumera illa, quæ Amſterodamum obnubilant, ſectarum examina ab ijſdem principijs prodierunt.

* Hæc verba Cantico in hunc ſenſum citabantur in libello ſupplice Puritanorum Lincolnienſium ad me.

Cartwright contra Whitgift.

Vera enim illa viſibilis Eccleſia, quum rebus proſperis floret, qualis nunc in hoc regno (Deo gratia) illius cernitur conditio, *Ciuitas eſt ſuper montem poſita*, vbi ipſi cum liberis ſuis habitandum eſt, in vertice, in quam

inquam, editiſſimi montis, vnde minimus quiſque lapſus eò nos agat præcipites, vbi nec fruticula occurrat quam apprehendas, nec quicquam omnino quod ſuſtlaminet, donec tota ponderis mole in immanem lacus illius hiatum decideris, qui igne & ſulphure æternùm æſtuat. Quanquam enim illi homini, qui Chriſtianam fidem, antea ignotam, amplecti deſiderat, etiam atque etiam cogitandum ſit, cui ſe Eccleſię debeat addicere: & conſcientię teſtimonium ſequendum, quę Eccleſia verbum ſalutis verè annunciet, iuxta reuelatam Dei voluntatem, non contradicens ſacris literis, nec ſacros fidei articulos inde petitos humanis traditionibus contaminans; omnes etenim fidei noſtræ articuli ita perſpicuè in Scriptura proponuntur, vt *agnus facile in hoc fluuio ambulet*, quemadmodum ait S. Gregor. ſtatim tamen vt facta eſt electio Eccleſiæ, in qua viuere & mori decreuit, eam certè ex mandato Seruatoris audire debebit, quum Conſcientia non niſi ducis vice fungatur, vt veram inueniat Eccleſiam; haudquaquam inuentam iudicatura, ſed ab ea vtique iudicanda. quiſquis enim Deum pro patre habere cupit, Eccleſiam pro matre agnoſcere neceſſe habet, vt ait D. Auguſtinus. *Tenete igitur firmiter profeſsionem veſtram*, vt hortatur Apoſtolus; nec vos ſinite *cuiuſlibet doctrine vento* abduci: nec priuato aut Sancto illi Spiritui, quo Puritani gloriantur, confidite; ne fortè per ignei illius zeli ſcintillam aliquam ab Eccleſia primum ſeparati * procedatis deinceps à Bruniſtis ad vnam, inde ad alteram Anabaptiſtarum ſectam, & mutati continuò apud Iudaizantes illos Traskitas nomen profiteamini, adſcribendi poſt omnia in profanam *Amoris familiam*. Ita videre eſt, dimiſſâ ſemel è manibus verâ Eccleſiâ, priuatoque illo *Reformationis* ſpiritu, iuxta Puritanorum diſciplinam, adoptato, quàm pronum ſit paulatim labi, & cadere in Chaos ſeu verius ſentinam omnium hereſeôn, & fœdam illam farraginem, cuius iuſta merces eſt infernus.

Greg. epiſt. ad Leandrum ante præfationem in Lobum.

Auguſtin. Symbolo ad Catechum. *Epheſ.* 4. 14.

* Hoc procedendi verbo vtuntur hi recentes hæretici, quoties ab vna ſecta ad aliam tranſfugiunt, quarum nouiſſima ſemper peſſima.

Sed nunc popoſitum iter proſequemur, veniam huius diuerticuli petentes. zelus enim vindicandi Eccleſiam à vulpibus iſtis & vulpeculis, ab Hæreticis & Schiſmaticis, coëgit me, qui in hac mea ad orationem dominicam meditatione ramum oleę cum columba ore meo ſumpſeram, coruo ex arca miſſo nunc ſimilem videri, præteruolantem ſcilicet ſuaues oleæ ramos, & graueolenti inſidẽtem cadaueri.

Quum igitur Dominica oratio noſtræ meditationis materia ſit, viſum eſt ante omnia eam verbatim proponere, vt à D. Matthæo ſcripta eſt: proxima erit cura, fauente numine, ſenſum eius breuiter exponere: vltima verò, ſummam omnium paucis colligere, quæ tum demum faciliùs intelligetur, quum verborum ſenſus explanatus fuerit. Verba ſunt hæc: PATER NOSTER, QVI ES IN CŒLIS, SANCTIFICETVR NOMEN TVVM: ADVENIAT REGNVM TVVM: FIAT VOLVN-

VOLVNTAS TVA, SICVT IN CÆLO SIC ETIAM IN TERRA. PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE: ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICVT ET NOS DIMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS. ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM: SED LIBERA NOS A MALO. QVIA TVVM EST REGNVM, ET POTENTIA, ET GLORIA, IN SÆCVLA SÆCVLORVM. AMEN.

PATER NOSTER. *Pater* est dignitatis & honoris titulus, at *Pater noster* infiniti amoris cum magnitudine mixti. Primis his duobus verbis monemur nos, qui nihil sumus nisi puluis & cinis, quis sit iste quem alloquimur; ad conciliandam scilicet reuerentiam quam maximam: ne Puritanis fiamus similes, qui cum Deo familiariter, tanquam cum sodali suo, confabulantur; & mensæ sacræ accumbunt cum Christo, velut pares cum pari, fratresque eius (si dijs placet) & contubernales. Nos reuerentiam hîc debemus, sed eam, quæ cum suauissima diuini amoris fiducia coniuncta sit. Ille enim est Pater noster, & nos adoptionis iure eius filij, & cum Christo æterni regni hæredes. Iubemur singuli eum vocare *nostrum patrem*, numero multitudinis, vt ostendatur sancta illa, quæ est inter Sanctos, communio; nosque ipsos membra esse illius Ecclesiæ, quæ ex electis conflata est: contrà quàm faciunt heri natæ Amsterodamensium sectæ, vbi duo vel tres faciunt Ecclesiam: contrà quàm venerandæ antiquitatis contemptores, qui deblaterant orbem totum ante se natos Babylonium fuisse.

QVI ES IN CŒLIS. Hic locus est, vbi solium Maiestatis eius conspicitur: quanquam enim vbique præsens sit, tam essentiæ infinitæ, quàm potentiæ ratione, inuito Vorstio & Arminianorum nonnullis; in cœlo tamen duntaxat residet, vt in regia & Maiestatis sede, secundum illud Esaiæ: *Cœlum est thronus meus, & terra scabellum pedum meorum.* CŒLORVM nomine monemur etiam, cuiusmodi inuocemus Patrem, non terrenum videlicet hominem, sed parentem cælestem, vt fiat illud *sursum corda.*

Nunc ad petitiones veniamus, quarum numerum septenarium plerumque fecit vetus Ecclesia, ea verba diuidens in duas (*& ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*) quæ à neotericis quibusdam confunduntur in vnam. Sed, saluo meliorum iudicio, Patres mihi videntur commodiùs diuisisse, vt suo ostendemus loco. SANCTIFICETVR NOMEN TVVM. Hæc est prima petitio; & est affirmatio illi oppositа, quod tertio præcepto prohibetur, *non sumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Ante omnia igitur petimus, vt obsequium illud, quod Deo debetur, ab omnibus præstetur, quemadmodum nos facimus, antequam pro communi Ecclesiæ bono aut nostro commodo Deum inuocemus. Impudentiæ enim foret in subdito, si quid a

suo

ſuo peteret Rege, non exhibito ante clientelari obſequio. Eam præcipuè ab cauſam conditus fuit homo ad Dei imaginem, vt nomen Creatoris ſui ſanctificaret. Et hoc eſt æternum Eccleſiæ officium non modò militantis in terris, ſed etiam triumphantis in cælis; quæ ex Angelis & hominibus conflata nomen Dei laudat, & ſanctificat, ſine intermiſſione & fine. Sanctificamus Dei nomen in terris laudantes eum, oranteſque reuerenter, aut mirabilia eius opera enarrantes, aut pœnitentiam agentes peccatorum cum confeſſione, ædificantesue ad ſalutem fratres noſtros, aut teſtimonium, quum iure requiritur, perhibentes veritati. Obſeruandum & hoc eſt, verba non eſſe hic poſita in præſenti tempore, *ſanctificamus nomen tuum*; ſed in ſenſu Optatiui modi, *ſanctificetur nomen tuum*; quoniam Chriſtianus omnis, tanquam viuum myſtici corporis Eccleſiæ membrum, orare tenetur, vt ab hominibus & Angelis laudetur & ſanctificetur Dei nomen, non ſolum in præſens, verum etiam in futurum, tempore interminato, & poſtquam tempus ipſum eſſe deſinet. Et quanquam ſatis notum ſit ita eſſe oportere, & ita ſemper fore, oramus tamen atque optamus vt fiat; quò noſtrum in Deo laudando ſanctum exprimamus zelum, & vnanimem cum cæteris Eccleſiæ, tam militantis quàm triumphantis, membris conſenſum. Oramus autem in hac petitione, vt Eccleſiæ militantis vita omnis eò præcipuè collineet, nempe, in nominis eius ſanctificationem, tam verbis, quàm rebus vbiq; promouendã. Quod verò optemus non Deum ipſum ſanctificari, ſed *nomen eius*, ratione non caret. Nam ille non tantum eſt perfectiſſimè ſanctus, ſed ipſamet ſanctitas; & quicquid in Deo eſt Deus eſt. Ideoque oramus, vt nomen eius in terris ſanctificetur à mortalibus, quemadmodum ipſe tam nominis quàm eſſentiæ ratione perfectiſſimè ſanctus exiſtit: non quòd in noſtra manu ſit vel ipſi, vel nomini ipſius ſanctitatem dare, ſed vt Deus ex gratia nobis det ipſius nomine ſanctè vti. Notandum quoque in hac oratione, vti in cæteris, Deum à nobis compellari numero vnitatis (*tu*) quum inter homines nota magnitudinis ſit numerus multitudinis (*nos*). Si cauſam requiris, Deus vnus eſt, imo ipſa vnitas: non quòd vnicam credamus in deitate perſonam, cum Iudæis, Arianis, & hæreticis, Filium ſimul & Spiritum ſanctum expungentibus; ſed quia tres licet ſint perſonæ, vna tamen eſt & indiuidua eſſentia, vna ſcilicet in tribus, & tres in vna, non diuiſi ſed diſtincti, iuxta Symbolum Athanaſij. Quum itaque vnus tantum nobis orandus ſit, cui omnis debetur gloria, numero vnitatis per excellentiam eum compellamus (*te*) eximentes è faſtis noſtris Ethnicos illos deos, cum Pontificis Romani Sanctis. Nam cultus ſui æmulos non patitur Deus, vt ipſe in ſecundo Decalogi præcepto de ſe teſtatur: & Eſaiæ 42. negat ſe alteri daturum gloriam ſuam.

VEN-

VENIAT REGNVM TVVM. Hæc eſt ſecunda petitio, treſq; admittit interpretationes, omnes cum Analogia fidei conuenientes. Prima eſt, quod orantes *regnum tuum veniat*, petere debeamus ſinguli, vt illius regni compotes fiamus, & tempore diuinitus præfinito perducamur eò, quæ multorum Patrum ſententia eſt. Secunda, quòd hic oremus ſecundum Domini aduentum, quem ſe pollicetur maturaturum propter electos: ratio petitionis eſt, vt miſeriarum Eccleſiæ aliquis tandem ſit finis, imprimis propter horrendam illam, quam minatur Deus in nouiſſimis diebus, apoſtaſiam, miſerabili experientia nimis heu notam huic ſæculo fide in terris non inuentâ, & charitate multorum frigente. quiſquis autem hunc verborum ſenſum elegerit, proximam petitionẽ ſic intelligat neceſſe eſt, *interea temporis fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra.* Tertia cui ego magis faueo, vult hæc verba (*Veniat regnum tuum*) per ſequentem petitionem (*Fiat voluntas tua ſicut in cœlo ſic & in terra*) planiùs exprimi & declarari. Huic autem interpretationi vt magis faueam, duæ faciunt cauſæ: Vna, quia in Euangelio familiare eſt Chriſto per regnum cœlorum intelligere Eccleſiam militantem: & omnibus fidelibus ex officio incumbit pro Eccleſiæ proſpero ſtatu, & pro pace Iſraelis preces fundere. Altera cauſa eſt in ea ipſa, quæ ſequitur, petitione, *Fiat voluntas tua, &c.* id eſt, vt per florentem Eccleſiæ ſtatum, tanquam per medium, voluntas Dei fiat in terris, ſicut in cœlis. Quòd ad priorem ſenſum attinet, etſi iubemur, conſpectis nouiſſimi diei ſignis prognoſticis, *capita noſtra* * *attollere*, ſcientes ſupremum illum & liberationis noſtræ diem prope eſſe; etſi S. Paulus nobis dicit *creaturas omnes* * *gemere & parturire, vt renouentur*: & D. Iohannes, poſtquam, raptus ſpiritu, tum multa alia cœleſtia myſteria, tum diuini throni gloriam conſpexiſſet, à tam glorioſo ſpectaculo in hæc verba erumpit, * *Etiam veni Domine Ieſu*; clarum tamen in ſacris literis locum non inuenio, vbi iubentur fideles maturationem dominici aduentus continuò orare. & hæc verba ex oratione Dominica ad id citare, nihil aliud eſſet, quàm principium petere, & controuerſum pro confeſſo ſumere. Quanquam enim mors ex carcere hoc & corpore peccati in æternam beatitudinem vendicet fideles, extincto in ijs per Chriſti mortem & paſſionem ipſo mortis aculeo: & S. Paulus, in profundam raptus contemplationem, *cupierit* * *diſſolui, & eſſe cum Chriſto*; nobis tamen orare non licet, vt maturetur mors noſtra. Et quod illa in die nouiſſimo vniuerſalis tranſmutatio erit omnibus electis, idem eſt vnicuique fidelium ſua mors; niſi quòd illam rerum diſſolutionem maior ſequetur gloriæ menſura. Cęterùm, quòd Dei regnum venire optemus, perinde eſt, ac ſi optaremus Eccleſiam Dei in terris indies augeri, & electorum numerum vſque & vſq;

Luc.18.8. Mat.24.12.

* *Luc.21.28.*

* *Rom.8.22.*

* *Apoc.22.20.*

* *Phil.1.23.*

multiplicari; denique copiosam messem à Deo mitti, cum idoneo operarum numero.

FIAT VOLVNTAS TVA SICVT IN CŒLIS ET IN TERRA. Hac tertia petitione, meo quidem iudicio, optantur media, quibus Dei regnum consequamur; quasi dicas; *veniat regnum tuum, & in hunc finem voluntas tua fiat.* S. Lucas habet (*sicut in cœlo sic & in terra*) ostendens quanta à nobis cura optandum sit, vt diuina voluntas eodem prorsus modo in terris fiat, quo in cœlis. Deo duæ sunt voluntates; vna nobis *reuelata*, quæ dicitur *voluntas signi*, & hîc intelligitur: altera *occulta*, quæ dicitur *voluntas beneplaciti*, in æterno ipsius consilio: per quam omnia regit, & in gloriam suam tandem dirigit, sæpè è malis causis bonos eliciens effectus, & è tenebris lucem: nempe, ad misericordiæ suæ aut gloriæ mensuram implendam. Vnde S. Augustinus dicere ausus est, *bonum est vt sit malum.*

Precandum est igitur, vt quemadmodum Ecclesia triumphans in cœlis, ita militans in terris reuelatæ eius voluntati pareat, & discamus singuli rationem nostram subijcere, & voluntatem captiuam dedere eius mandatis. Quod si fieret, maiore sanè cura vtramque legis tabulam hodie obseruaremus; hæresibusque & schismatibus, & nouis opinionibus liberior esset Ecclesia. sed nihil tale in hoc mundo expectandum est. Vnicum restat votum, vt Deus augeat & multiplicet, quæ in Ecclesiam contulit, dona, iuxta eam mensuram, quam suæ gloriæ & nostro solatio maximè nouit conducere. Inhient vani Chiliastæ terrestre illud Christi regnum mille annorum, & Brightmannus cœlestem illam Ierusalem è cœlis deiectam stabiliat in terris; nobis è Dei verbo nihil certius esse debet, quàm nouissimos dies fore pessimos, & maximè periculosos. Quòd verò ad decretorum diuinorum, & occultæ illius voluntatis executionẽ attinet; eam vtiq; petere non iubemur quia est ineuitabilis. itaque sine murmure illi nos oportet submittere, dicentes cum Seruatore. *Mat. 26. 39. Non mea voluntas fiat, sed tua.* Nam primus symboli Apostolici articulus nos docet Deum esse omnipotentem; vtut Vorstius, & Arminiani voluntatem occultam, & æternum decretum illi eant ereptum; quibus authoribus multa in mundo fiunt, nolit velit Deus.

PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE. Hæc petitio est ordine quidem quarta, sed prima earum quibus singuli aliquid petunt sibi; præmissis nempe votis pro Dei gloria promouenda, &, quod hinc sequitur, pro totius Ecclesiæ militantis fælicitate. Quanquã verò vnũquemq; oporteat hoc sibi petere, petimus tamẽ pro *nobis* in numero multitudinis, vt charitatẽ nostrã ostendam⁹, & sympathiã cum cæteris mẽbris corporis, cuius caput est Christ⁹. & sic in reliquis, quæ

quæ ſequuntur, petitionibus, iuxta illam noui Teſtamenti regulam, * *Orate alij pro alijs.* Et hoc verbo (NOSTRVM) monemur vtique pro nobis ipſis nunquam eſſe orandum, niſi eadem opera orémus pro proximis. Sed hac mutuæ orationis regula noſtras ad Sanctos preces fundare, vt illi pro nobis orent; hoc verò nimis longè petitum eſt: & ſequeretur inde, nobis quoque pro ſanctis orandum eſſe, quemadmodum illi pro nobis orant, quia nempe iubemur alij pro alijs orare. Certè, qui in terris ſumus iubemur mutuam præſtare alijs in orando operam: ſed nec in eo præcepto, nec alibi vlla eſt in ſacris literis aut Sanctorum aut Angelorum mentio. & in Theologia, vbicunque de cultu Dei agitur, certiſſima regula eſt, *quod dubitas ne feceris*; ſecundum illud D. Pauli Rom. 14.5. *Vnuſquiſque in animo ſuo plenè certus eſto.* Præterea neminem conceptis verbis inuocamus, vt pro nobis oret; quemadmodum Papiſtæ Sanctos ſuos. vnum habemus Deum, vnum etiam mediatorem Dei & hominum Chriſtum Ieſum, * qui omnes ad ſe inuitat laborantes & ſuſtinentes onera, qui iubet vt ipſos infantes ſinant ad * ſe accedere. Ita 1.*Ioh.*2.1. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum, & Rom.8. Spiritus Sanctus interpellat pro nobis ſuſpirijs inenarrabilibus. Plures mediatores in cœlis non noui, nec quiſquam alius promptiùs aut volet aut poterit nos audire & iuuare. Nec eam quæſtionem nunc tango, vtrum Sancti & Angeli pro nobis orent, necne: hoc certò ſcio Deum in verbo ſuo nobis authorem non eſſe, vt eos ad id inuocemus.

* *Iacob.*5.16.

* 1.*Tim.*2.5. *Mat.*11.28.

* *Mat.*19.14.

Quod autem hac petitione flagitamus, eſt *panis noſter quotidianus*, quem *hodie* mendicamus à Deo. Panem autem quotidianum à Deo hodie mendicamus, vt conſtet ab infimis mendicis ad ſummos reges neminem eſſe mortalium omnium, qui non neceſſe habeat temporalia bona, quæcunque illi opus ſunt, quotidie à Deo poſtulare. Eget enim in horas ſingulas, & momenta horarum, adiutorio diuino noſtra neceſſitas, tam in temporalibus, quàm ſpiritualibus rebus. ideoque D. Lucas ait *de die in diem*, quotidianam exprimens neceſſitatem noſtram ſic orandi. Et obſeruare debemus non modò in hac petitione, quæ prima eſt è quatuor illis quibus vnuſquiſque orat pro ſe, verumetiam in tribus ſequentibus verbum illud (*hodie*) quanquam expreſsè poſitum non ſit, intelligendum tamen eſſe. opus enim habemus quotidie, imò horis ſingulis remiſsionem peccatorum noſtrorum orare, & ne inducamur in tentationem, & vt liberemur ab omni malo. Similiter per verbum (*hodie*) intelligitur rerum neceſſariarum * per totam vitam ſuppeditatio, quo ſenſu in varijs Scripturæ ſacræ locis vox ea vſurpatur.

* *Heb.*3.7.

Digitized by Google

Idem quoque verbum monet non nisi peregrinos esse nos in hoc mundo, ideoque nec laborandum esse, vt hanc vitam pleno instruamus rerum apparatu, secundum Seruatoris regulam Apostolis traditam, *Nolite esse solliciti in crastinum*, non quòd hîc legitima vllius hominis prouidentia iuxta sortem suam damnetur, id enim esset Deum tentare; sed tantùm, quòd anxia illa & diffidens solicitudo remouenda sit, ne rerum caducarum prouisionem eximij illius & cælestis thesauri curæ anteponamus, sed præcipuam semper in Deo locemus fiduciam, qui nostram moderatam & legitimam in rebus parandis industriam successu beabit; memores vtique frustra plantari aut seri, nisi Deus incrementum det & benedictionem. Prima enim in nobis cura esse debet habitationis nostræ cœlestis, tum verò diuini fauoris aura nostram prosequetur diligentiam in moderata rerum necessariarum prouisione: *hoc primum facere oportet, & illud non omittere*, vt Christus dixit Pharisæis, Matt. 23. 23.

Panis nomine, quem petimus à Deo, intelligendum venit omne genus alimenti, & quæcunq; alia sunt nobis opus in vita. *panis* enim, quia cõmunissimũ est & maximè necessariũ hominis alimentum, pro omnibus alimentorũ generibus in sacra pagina vsurpatur. Et in nostris hisce Borealibus plagis, vbi plus quàm alibi carniũ absumitur, fruges solæ *victualium* merentur nomen. *victualium* autem appellatio à victu est, quia inde viuitur. & quanquam ingens sit carnis vis quæ à nobis absumitur, annum tamen non aliunde felicem aut sterilem iudicamus, quàm ex vilitate & caritate annonæ. Propterea Christus Sacramenti materiam constituit *panem*, vt significaret hoc esse pabulum nostrum, *nam illius caro verè est cibus*: vnde & *Panis* nomine spiritualis quoque cibus noster intelligi potest, non abhorrentibus ab eo sensu græcis vocibus (ἄρτος ἐπιούσιος) quanquam mea sententia corporis alimentum hîc præcipuè notetur. Panis appellatione comprehenduntur quoque cætera ad hanc vitam necessaria, vt discamus è temporalibus bonis ea tantùm nobis petenda, quæ ad *esse* necessaria sunt, quum pauperum & diuitum commune alimentum sit panis; vel ad summum, quæ ad *bene esse*, haud quaquam verò, quæ ad luxum & superfluitatem ducunt. talibus enim pleruncque abutimur in pernicjem nostram, & illecebræ duntaxat nobis sunt ad peccandum. Quòd si & hæc quoque ex immensa sua benignitate nobis largiatur Deus, gratos nos esse conuenit sobrieque & modestè illis vti, iuxta sortem nostram & conditionem, semper memores vnde profluxerint. Quum autem *Panem* oramus, id est, omnia temporalis vitæ subsidia, *baculus* quoque *panis* nostro voto comprehendendus est, orandumque, vt benedictio diuina comitetur dona sua, quo in vsus, quibus sunt destinata, nobis inseruiant

ſeruant: aliàs, etiam cum in ore eſt panis, peribimus fame, & moriemur vt Iſraelitæ, cum coturnicum carnibus inter dentes; ſupereritque nobis affluentia rerum omnium, quas mundanæ vitæ neceſſitas exigit, deerit tamen earum fructus & ſolatium; inſtar miſeri Diuitis, qui in opum copia interijt inopia; aut muli illius doſſuarij, qui pabuli onere degrauatus nulla eius portiuncula latrantẽ mitigabat ſtomachũ. Iam verò quòd Deum oramus, vt hoc, quicquid eſt, nobis concedat, intellectu non eſt difficile: nam ille ſolus eſt cœli & terræ, & omnium, quæ in ijs ſunt, Dominus proprietarius; nos, dum illi viſum erit, vſufructuarij duntaxat & coloni, & quidem particulæ alicuius in terræ globo, quam pro ſuo beneplacito in ſingulos contulit. Nam *Domini eſt terra, & plenitudo eius.* *Pſal.24.1.*

ET REMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICVT ET NOS REMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS. Hæc quinta eſt petitio, maxima & grauiſſima earũ, quæ ſunt vniuſcuiuſq; pro ſe: idcirco nefas eſt alia lege inæſtimabile hoc beneficium, remiſſionis debitorum noſtrorum, à Deo petere, quàm ſi nos debitoribus noſtris remittamus. S. Lucas conditionem hanc clariùs exprimit his verbis: ET REMITTE NOBIS PECCATA NOSRRA; ETENIM IPSI REMITTIMVS OMNIBVS, QVI NOBIS DEBENT. Tanquam hac ſola conditione flecti poſſit Deus, vt noſtra nobis condonet peccata, ſi viderit nos *omnibus* iam condonaſſe, qui in nos deliquerunt. vbi verò *omnes* exprimuntur, nemo excipitur. Durus eſt hic ſermo apud eos, qui mundi huius iudicio viri fortes habentur. Peccata noſtra D. Matthæo *debita* vocantur, quaſi argumento ducto à minore ad maius: Si Deum oramus, vt nobis noſtra debita remittat, quî fieri poteſt, vt debitoribus noſtris recuſemus remittere, niſi expectare velimus mercedem, quam malus ſeruus * à Domino ſuo percepit? Et apud S. Lucam dicuntur *peccata*, vt ſciamus multò magis debere nos fratrum noſtrorum offenſas remittere, quæ, noſtris aduerſus Deum peccatis longè grauiſsimis collata, minutula quædã debita æſtimanda ſunt, quum patri noſtro cœleſti ſupplicemus, vt innumera & mortalia delicta nobis velit cõdonare. *Matt.18.34.

In voto hoc autem noſtro, vt Deus *remittat nobis peccata noſtra*, latet tacita peccatorum noſtrorum confeſsio: nam ſi nullã nobis forent admiſſa, nihil opus eſſet hac veniæ petitione. Vnde neceſſariò efficitur, ſi verum eſt Eccleſiæ Romanæ dogma, quod decem præcepta ita poſsint à quibuſdã ſeruari, vt omnia caueantur mortalia peccata; eximendos eſſe eiuſmodi homines à Dominicæ Orationis recitatione, tanquã ea non indigentes. Nec conſequentia hæc per mortaliũ & venialium peccatorum diſtinctionem elidi poteſt. Quorſum enim attinet à Deo petere venialium peccatorum remiſsionem, quum tot in-

Marginalia

Marginalia

Marginalia

Ad quod dicendum, quod ad hoc, quod aliquid sit
in potentia ad esse, duo requiruntur, scilicet
quod non sit impossibile esse, et quod sit
possibile fieri. Et ideo, quamvis Deus sit
omnipotens, non tamen dicitur omnipotens,
quia sit in potentia ad esse, sed quia potest
facere alia in esse. Et ideo, quamvis ea,
quae sunt impossibilia fieri, non sint in
potentia ad esse, non tamen desinunt esse
possibilia Deo, quia non desinunt esse possibilia
absolute. Et ideo non desinunt esse
possibilia Deo, quia non desinunt esse
possibilia absolute. Et ideo non desinunt
esse

1 A Song of degrees. In my distress I cried unto the LORD, and he heard me.
2 Deliver my soul, O LORD, from lying lips, and from a deceitful tongue.
3 What shall be given unto thee? or what shall be done unto thee, thou false tongue?
4 Sharp arrows of the mighty, with coals of juniper.
5 Woe is me, that I sojourn in Meshech, that I dwell in the tents of Kedar!
6 My soul hath long dwelt with him that hateth peace.
7 I am for peace: but when I speak, they are for war.

Ps. 120 [121]

1 A Song of degrees. I will lift up mine eyes unto the hills, from whence cometh my help.
2 My help cometh from the LORD, which made heaven and earth.
3 He will not suffer thy foot to be moved: he that keepeth thee will not slumber.
4 Behold, he that keepeth Israel shall neither slumber nor sleep.
5 The LORD is thy keeper: the LORD is thy shade upon thy right hand.
6 The sun shall not smite thee by day, nor the moon by night.
7 The LORD shall preserve thee from all evil: he shall preserve thy soul.
8 The LORD shall preserve thy going out and thy coming in from this time forth, and even for evermore.

Ps. 121 [122]

1 A Song of degrees of David. I was glad when they said unto me, Let us go into the house of the LORD.
2 Our feet shall stand within thy gates, O Jerusalem.
3 Jerusalem is builded as a city that is compact together:
4 Whither the tribes go up, the tribes of the LORD, unto the testimony of Israel, to give thanks unto the name of the LORD.
5 For there are set thrones of judgment, the thrones of the house of David.
6 Pray for the peace of Jerusalem: they shall prosper that love thee.
7 Peace be within thy walls, and prosperity within thy palaces.
8 For my brethren and companions' sakes, I will now say, Peace be within thee.
9 Because of the house of the LORD our God I will seek thy good.

Ps. 122 [123]

1 A Song of degrees. Unto thee lift I up mine eyes, O thou that dwellest in the heavens.
2 Behold, as the eyes of servants look unto the hand of their masters, and as the eyes of a maiden unto the hand of her mistress; so our eyes wait upon the LORD our God, until that he have mercy upon us.
3 Have mercy upon us, O LORD, have mercy upon us: for we are exceedingly filled with contempt.
4 Our soul is exceedingly filled with the scorning of those that are at ease, and with the contempt of the proud.

Ps. 123 [124]

1 A Song of degrees of David. If it had not been the LORD who was on our side, now may Israel say;
2 If it had not been the LORD who was on our side, when men rose up against us:
3 Then they had swallowed us up quick, when their wrath was kindled against us:
4 Then the waters had overwhelmed us, the stream had gone over our soul:
5 Then the proud waters had gone over our soul.
6 Blessed be the LORD, who hath not given us as a prey to their teeth.
7 Our soul is escaped as a bird out of the snare of the fowlers: the snare is broken, and we are escaped.
8 Our help is in the name of the LORD, who made heaven and earth.

Ps. 124 [125]

1 A Song of degrees. They that trust in the LORD shall be as mount Zion, which cannot be removed, but abideth for ever.
2 As the mountains are round about Jerusalem, so the LORD is round about his people from henceforth even for ever.
3 For the rod of the wicked shall not rest upon the lot of the righteous; lest the righteous put forth their hands unto iniquity.
4 Do good, O LORD, unto those that be good, and to them that are upright in their hearts.
5 As for such as turn aside unto their crooked ways, the LORD shall lead them forth with the workers of iniquity: but peace shall be upon Israel.

Ps. 125 [126]

1 A Song of degrees. When the LORD turned again the captivity of Zion, we were like them that dream.
2 Then was our mouth filled with laughter, and our tongue with singing: then said they among the heathen, The LORD hath done great things for them.
3 The LORD hath done great things for us; whereof we are glad.
4 Turn again our captivity, O LORD, as the streams in the south.
5 They that sow in tears shall reap in joy.
6 He that goeth forth and weepeth, bearing precious seed, shall doubtless come again with rejoicing, bringing his sheaves with him.

Ps. 126 [127]

1 A Song of degrees for Solomon. Except the LORD build the house, they labour in vain that build it: except the LORD keep the city, the watchman waketh but in vain.
2 It is vain for you to rise up early, to sit up late, to eat the bread of sorrows: for so he giveth his beloved sleep.
3 Lo, children are an heritage of the LORD: and the fruit of the womb is his reward.
4 As arrows are in the hand of a mighty man; so are children of the youth.
5 Happy is the man that hath his quiver full of them: they shall not be ashamed, but they shall speak with the enemies in the gate.

Ps. 127 [128]

1 A Song of degrees. Blessed is every one that feareth the LORD; that walketh in his ways.
2 For thou shalt eat the labour of thine hands: happy shalt thou be, and it shall be well with thee.
3 Thy wife shall be as a fruitful vine by the sides of thine house: thy children like olive plants round about thy table.
4 Behold, that thus shall the man be blessed that feareth the LORD.
5 The LORD shall bless thee out of Zion: and thou shalt see the good of Jerusalem all the days of thy life.
6 Yea, thou shalt see thy children's children, and peace upon Israel.

Ps. 128 [129]

1 A Song of degrees. Many a time have they afflicted me from my youth, may Israel now say:
2 Many a time have they afflicted me from my youth: yet they have not prevailed against me.
3 The plowers plowed upon my back: they made long their furrows.
4 The LORD is righteous: he hath cut asunder the cords of the wicked.
5 Let them all be confounded and turned back that hate Zion.
6 Let them be as the grass upon the housetops, which withereth afore it groweth up:
7 Wherewith the mower filleth not his hand; nor he that bindeth sheaves his bosom.
8 Neither do they which go by say, The blessing of the LORD be upon you: we bless you in the name of the LORD.

Ps. 129 [130]

1 A Song of degrees. Out of the depths have I cried unto thee, O LORD.
2 Lord, hear my voice: let thine ears be attentive to the voice of my supplications.
3 If thou, LORD, shouldest mark iniquities, O Lord, who shall stand?
4 But there is forgiveness with thee, that thou mayest be feared.
5 I wait for the LORD, my soul doth wait, and in his word do I hope.
6 My soul waiteth for the Lord more than they that watch for the morning: I say, more than they that watch for the morning.
7 Let Israel hope in the LORD: for with the LORD there is mercy, and with him is plenteous redemption.
8 And he shall redeem Israel from all his iniquities.

Ps. 130 [131]

1 A Song of degrees of David. LORD, my heart is not haughty, nor mine eyes lofty: neither do I exercise myself in great matters, or in things too high for me.
2 Surely I have behaved and quieted myself, as a child that is weaned of his mother: my soul is even as a weaned child.
3 Let Israel hope in the LORD from henceforth and for ever.

Ps. 131 [132]

1 A Song of degrees. LORD, remember David, and all his afflictions:
2 How he sware unto the LORD, and vowed unto the mighty God of Jacob;
3 Surely I will not come into the tabernacle of my house, nor go up into my bed;
4 I will not give sleep to mine eyes, or slumber to mine eyelids,
5 Until I find out a place for the LORD, an habitation for the mighty God of Jacob.
6 Lo, we heard of it at Ephratah: we found it in the fields of the wood.
7 We will go into his tabernacles: we will worship at his footstool.
8 Arise, O LORD, into thy rest; thou, and the ark of thy strength.
9 Let thy priests be clothed with righteousness; and let thy saints shout for joy.
10 For thy servant David's sake turn not away the face of thine anointed.
11 The LORD hath sworn in truth unto David; he will not turn from it; Of the fruit of thy body will I set upon thy throne.
12 If thy children will keep my covenant and my testimony that I shall teach them, their children shall also sit upon thy throne for evermore.
13 For the LORD hath chosen Zion; he hath desired it for his habitation.
14 This is my rest for ever: here will I dwell; for I have desired it.
15 I will abundantly bless her provision: I will satisfy her poor with bread.
16 I will also clothe her priests with salvation: and her saints shall shout aloud for joy.
17 There will I make the horn of David to bud: I have ordained a lamp for mine anointed.
18 His enemies will I clothe with shame: but upon himself shall his crown flourish.

Ps. 132 [133]

1 A Song of degrees of David. Behold, how good and how pleasant it is for brethren to dwell together in unity!
2 It is like the precious ointment upon the head, that ran down upon the beard, even Aaron's beard: that went down to the skirts of his garments;
3 As the dew of Hermon, and as the dew that descended upon the mountains of Zion: for there the LORD commanded the blessing, even life for evermore.

Ps. 133 [134]

1 A Song of degrees. Behold, bless ye the LORD, all ye servants of the LORD, which by night stand in the house of the LORD.
2 Lift up your hands in the sanctuary, and bless the LORD.
3 The LORD that made heaven and earth bless thee out of Zion.

Ps. 134 [135]

1 Praise ye the LORD. Praise ye the name of the LORD; praise him, O ye servants of the LORD.
2 Ye that stand in the house of the LORD, in the courts of the house of our God,
3 Praise the LORD; for the LORD is good: sing unto his name; for it is pleasant.
4 For the LORD hath chosen Jacob unto himself, and Israel for his peculiar treasure.
5 For I know that the LORD is great, and that our Lord is above all gods.
6 Whatsoever the LORD pleased, that did he in heaven, and in earth, in the seas, and all deep places.
7 He causeth the vapours to ascend from the ends of the earth; he maketh lightnings for the rain; he bringeth the wind out of his treasuries.
8 Who smote the firstborn of Egypt, both of man and beast.
9 Who sent tokens and wonders into the midst of thee, O Egypt, upon Pharaoh, and upon all his servants.
10 Who smote great nations, and slew mighty kings;
11 Sihon king of the Amorites, and Og king of Bashan, and all the kingdoms of Canaan:
12 And gave their land for a heritage, a heritage unto Israel his people.
13 Thy name, O LORD, endureth for ever; and thy memorial, O LORD, throughout all generations.
14 For the LORD will judge his people, and he will repent himself concerning his servants.
15 The idols of the heathen are silver and gold, the work of men's hands.
16 They have mouths, but they speak not; eyes have they, but they see not;
17 They have ears, but they hear not; neither is there any breath in their mouths.
18 They that make them are like unto them: so is every one that trusteth in them.
19 Bless the LORD, O house of Israel: bless the LORD, O house of Aaron:
20 Bless the LORD, O house of Levi: ye that fear the LORD, bless the LORD.
21 Blessed be the LORD out of Zion, which dwelleth at Jerusalem. Praise ye the LORD.

Ps. 135 [136]

1 O give thanks unto the LORD; for he is good: for his mercy endureth for ever.
2 O give thanks unto the God of gods: for his mercy endureth for ever.
3 O give thanks to the Lord of lords: for his mercy endureth for ever.
4 To him who alone doeth great wonders: for his mercy endureth for ever.
5 To him that by wisdom made the heavens: for his mercy endureth for ever.
6 To him that stretched out the earth above the waters: for his mercy endureth for ever.
7 To him that made great lights: for his mercy endureth for ever:
8 The sun to rule by day: for his mercy endureth for ever:
9 The moon and stars to rule by night: for his mercy endureth for ever.
10 To him that smote Egypt in their firstborn: for his mercy endureth for ever:
11 And brought out Israel from among them: for his mercy endureth for ever:
12 With a strong hand, and with a stretched out arm: for his mercy endureth for ever.
13 To him which divided the Red sea into parts: for his mercy endureth for ever:
14 And made Israel to pass through the midst of it: for his mercy endureth for ever:
15 But overthrew Pharaoh and his host in the Red sea: for his mercy endureth for ever.
16 To him which led his people through the wilderness: for his mercy endureth for ever.
17 To him which smote great kings: for his mercy endureth for ever:
18 And slew famous kings: for his mercy endureth for ever:
19 Sihon king of the Amorites: for his mercy endureth for ever:
20 And Og the king of Bashan: for his mercy endureth for ever:
21 And gave their land for a heritage: for his mercy endureth for ever:
22 Even a heritage unto Israel his servant: for his mercy endureth for ever.
23 Who remembered us in our low estate: for his mercy endureth for ever:
24 And hath redeemed us from our enemies: for his mercy endureth for ever:
25 Who giveth food to all flesh: for his mercy endureth for ever.
26 O give thanks unto the God of heaven: for his mercy endureth for ever.

Ps. 136 [137]

1 By the rivers of Babylon, there we sat down, yea, we wept, when we remembered Zion.
2 We hanged our harps upon the willows in the midst thereof.
3 For there they that carried us away captive required of us a song; and they that wasted us required of us mirth, saying, Sing us one of the songs of Zion.
4 How shall we sing the LORD's song in a strange land?
5 If I forget thee, O Jerusalem, let my right hand forget her cunning.
6 If I do not remember thee, let my tongue cleave to the roof of my mouth; if I prefer not Jerusalem above my chief joy.
7 Remember, O LORD, the children of Edom in the day of Jerusalem; who said, Rase it, rase it, even to the foundation thereof.
8 O daughter of Babylon, who art to be destroyed; happy shall he be, that rewardeth thee as thou hast served us.
9 Happy shall he be, that taketh and dasheth thy little ones against the stones.

Ps. 137 [138]

1 A Song of David. I will praise thee with my whole heart: before the gods will I sing praise unto thee.
2 I will worship toward thy holy temple, and praise thy name for thy lovingkindness and for thy truth: for thou hast magnified thy word above all thy name.
3 In the day when I cried thou answeredst me, and strengthenedst me with strength in my soul.
4 All the kings of the earth shall praise thee, O LORD, when they hear the words of thy mouth.
5 Yea, they shall sing in the ways of the LORD: for great is the glory of the LORD.
6 Though the LORD be high, yet hath he respect unto the lowly: but the proud he knoweth afar off.
7 Though I walk in the midst of trouble, thou wilt revive me: thou shalt stretch forth thine hand against the wrath of mine enemies, and thy right hand shall save me.
8 The LORD will perfect that which concerneth me: thy mercy, O LORD, endureth for ever: forsake not the works of thine own hands.

Ps. 138 [139]

1 To the chief Musician, A Psalm of David. O LORD, thou hast searched me, and known me.
2 Thou knowest my downsitting and mine uprising, thou understandest my thought afar off.
3 Thou compassest my path and my lying down, and art acquainted with all my ways.
4 For there is not a word in my tongue, but, lo, O LORD, thou knowest it altogether.
5 Thou hast beset me behind and before, and laid thine hand upon me.
6 Such knowledge is too wonderful for me; it is high, I cannot attain unto it.
7 Whither shall I go from thy spirit? or whither shall I flee from thy presence?
8 If I ascend up into heaven, thou art there: if I make my bed in hell, behold, thou art there.
9 If I take the wings of the morning, and dwell in the uttermost parts of the sea;
10 Even there shall thy hand lead me, and thy right hand shall hold me.
11 If I say, Surely the darkness shall cover me; even the night shall be light about me.
12 Yea, the darkness hideth not from thee; but the night shineth as the day: the darkness and the light are both alike to thee.
13 For thou hast possessed my reins: thou hast covered me in my mother's womb.
14 I will praise thee; for I am fearfully and wonderfully made: marvellous are thy works; and that my soul knoweth right well.
15 My substance was not hid from thee, when I was made in secret, and curiously wrought in the lowest parts of the earth.
16 Thine eyes did see my substance, yet being unperfect; and in thy book all my members were written, which in continuance were fashioned, when as yet there was none of them.
17 How precious also are thy thoughts unto me, O God! how great is the sum of them!
18 If I should count them, they are more in number than the sand: when I awake, I am still with thee.
19 Surely thou wilt slay the wicked, O God: depart from me therefore, ye bloody men.
20 For they speak against thee wickedly, and thine enemies take thy name in vain.
21 Do not I hate them, O LORD, that hate thee? and am not I grieved with those that rise up against thee?
22 I hate them with perfect hatred: I count them mine enemies.
23 Search me, O God, and know my heart: try me, and know my thoughts:
24 And see if there be any wicked way in me, and lead me in the way everlasting.

Ps. 139 [140]

1 To the chief Musician, A Psalm of David. Deliver me, O LORD, from the evil man: preserve me from the violent man;
2 Which imagine mischiefs in their heart; continually are they gathered together for war.
3 They have sharpened their tongues like a serpent; adders' poison is under their lips. Selah.
4 Keep me, O LORD, from the hands of the wicked; preserve me from the violent man; who have purposed to overthrow my goings.
5 The proud have hid a snare for me, and cords; they have spread a net by the wayside; they have set gins for me. Selah.
6 I said unto the LORD, Thou art my God: hear the voice of my supplications, O LORD.
7 O GOD the Lord, the strength of my salvation, thou hast covered my head in the day of battle.
8 Grant not, O LORD, the desires of the wicked: further not his wicked device; lest they exalt themselves. Selah.
9 As for the head of those that compass me about, let the mischief of their own lips cover them.
10 Let burning coals fall upon them: let them be cast into the fire; into deep pits, that they rise not up again.
11 An evil speaker shall not be established in the earth: evil shall hunt the violent man to overthrow him.
12 I know that the LORD will maintain the cause of the afflicted, and the right of the poor.
13 Surely the righteous shall give thanks unto thy name: the upright shall dwell in thy presence.

Ps. 140 [141]

1 A Psalm of David. LORD, I cry unto thee: make haste unto me; give ear unto my voice, when I cry unto thee.
2 Let my prayer be set forth before thee as incense; and the lifting up of my hands as the evening sacrifice.
3 Set a watch, O LORD, before my mouth; keep the door of my lips.
4 Incline not my heart to any evil thing, to practise wicked works with men that work iniquity: and let me not eat of their dainties.
5 Let the righteous smite me; it shall be a kindness: and let him reprove me; it shall be an excellent oil, which shall not break my head: for yet my prayer also shall be in their calamities.
6 When their judges are overthrown in stony places, they shall hear my words; for they are sweet.
7 Our bones are scattered at the grave's mouth, as when one cutteth and cleaveth wood upon the earth.
8 But mine eyes are unto thee, O GOD the Lord: in thee is my trust; leave not my soul destitute.
9 Keep me from the snares which they have laid for me, and the gins of the workers of iniquity.
10 Let the wicked fall into their own nets, whilst that I withal escape.

Ps. 141 [142]

1 Maschil of David; A Prayer when he was in the cave. I cried unto the LORD with my voice; with my voice unto the LORD did I make my supplication.
2 I poured out my complaint before him; I showed before him my trouble.
3 When my spirit was overwhelmed within me, then thou knewest my path. In the way wherein I walked have they privily laid a snare for me.
4 I looked on my right hand, and beheld, but there was no man that would know me: refuge failed me; no man cared for my soul.
5 I cried unto thee, O LORD: I said, Thou art my refuge and my portion in the land of the living.
6 Attend unto my cry; for I am brought very low: deliver me from my persecutors; for they are stronger than I.
7 Bring my soul out of prison, that I may praise thy name: the righteous shall compass me about; for thou shalt deal bountifully with me.

Ps. 142 [143]

1 A Psalm of David. Hear my prayer, O LORD, give ear to my supplications: in thy faithfulness answer me, and in thy righteousness.
2 And enter not into judgment with thy servant: for in thy sight shall no man living be justified.
3 For the enemy hath persecuted my soul; he hath smitten my life down to the ground; he hath made me to dwell in darkness, as those that have been long dead.
4 Therefore is my spirit overwhelmed within me; my heart within me is desolate.
5 I remember the days of old; I meditate on all thy works; I muse on the work of thy hands.
6 I stretch forth my hands unto thee: my soul thirsteth after thee, as a thirsty land. Selah.
7 Hear me speedily, O LORD: my spirit faileth: hide not thy face from me, lest I be like unto them that go down into the pit.
8 Cause me to hear thy lovingkindness in the morning; for in thee do I trust: cause me to know the way wherein I should walk; for I lift up my soul unto thee.
9 Deliver me, O LORD, from mine enemies: I flee unto thee to hide me.
10 Teach me to do thy will; for thou art my God: thy spirit is good; lead me into the land of uprightness.
11 Quicken me, O LORD, for thy name's sake: for thy righteousness' sake bring my soul out of trouble.
12 And of thy mercy cut off mine enemies, and destroy all them that afflict my soul: for I am thy servant.

Ps. 143 [144]

1 A Psalm of David. Blessed be the LORD my strength, which teacheth my hands to war, and my fingers to fight:
2 My goodness, and my fortress; my high tower, and my deliverer; my shield, and he in whom I trust; who subdueth my people under me.
3 LORD, what is man, that thou takest knowledge of him! or the son of man, that thou makest account of him!
4 Man is like to vanity: his days are as a shadow that passeth away.
5 Bow thy heavens, O LORD, and come down: touch the mountains, and they shall smoke.
6 Cast forth lightning, and scatter them: shoot out thine arrows, and destroy them.
7 Send thine hand from above; rid me, and deliver me out of great waters, from the hand of strange children;
8 Whose mouth speaketh vanity, and their right hand is a right hand of falsehood.
9 I will sing a new song unto thee, O God: upon a psaltery and an instrument of ten strings will I sing praises unto thee.
10 It is he that giveth salvation unto kings: who delivereth David his servant from the hurtful sword.
11 Rid me, and deliver me from the hand of strange children, whose mouth speaketh vanity, and their right hand is a right hand of falsehood:
12 That our sons may be as plants grown up in their youth; that our daughters may be as corner stones, polished after the similitude of a palace:
13 That our garners may be full, affording all manner of store: that our sheep may bring forth thousands and ten thousands in our streets:
14 That our oxen may be strong to labour; that there be no breaking in, nor going out; that there be no complaining in our streets.
15 Happy is that people, that is in such a case: yea, happy is that people, whose God is the LORD.

Ps. 144 [145]

1 David's Psalm of praise. I will extol thee, my God, O king; and I will bless thy name for ever and ever.
2 Every day will I bless thee; and I will praise thy name for ever and ever.
3 Great is the LORD, and greatly to be praised; and his greatness is unsearchable.
4 One generation shall praise thy works to another, and shall declare thy mighty acts.
5 I will speak of the glorious honour of thy majesty, and of thy wondrous works.
6 And men shall speak of the might of thy terrible acts: and I will declare thy greatness.
7 They shall abundantly utter the memory of thy great goodness, and shall sing of thy righteousness.
8 The LORD is gracious, and full of compassion; slow to anger, and of great mercy.
9 The LORD is good to all: and his tender mercies are over all his works.
10 All thy works shall praise thee, O LORD; and thy saints shall bless thee.
11 They shall speak of the glory of thy kingdom, and talk of thy power;
12 To make known to the sons of men his mighty acts, and the glorious majesty of his kingdom.
13 Thy kingdom is an everlasting kingdom, and thy dominion endureth throughout all generations.
14 The LORD upholdeth all that fall, and raiseth up all those that be bowed down.
15 The eyes of all wait upon thee; and thou givest them their meat in due season.
16 Thou openest thine hand, and satisfiest the desire of every living thing.
17 The LORD is righteous in all his ways, and holy in all his works.
18 The LORD is nigh unto all them that call upon him, to all that call upon him in truth.
19 He will fulfil the desire of them that fear him: he also will hear their cry, and will save them.
20 The LORD preserveth all them that love him: but all the wicked will he destroy.
21 My mouth shall speak the praise of the LORD: and let all flesh bless his holy name for ever and ever.

Ps. 145 [146]

1 Praise ye the LORD. Praise the LORD, O my soul.
2 While I live will I praise the LORD: I will sing praises unto my God while I have any being.
3 Put not your trust in princes, nor in the son of man, in whom there is no help.
4 His breath goeth forth, he returneth to his earth; in that very day his thoughts perish.
5 Happy is he that hath the God of Jacob for his help, whose hope is in the LORD his God:
6 Which made heaven, and earth, the sea, and all that therein is: which keepeth truth for ever:
7 Which executeth judgment for the oppressed: which giveth food to the hungry. The LORD looseth the prisoners:
8 The LORD openeth the eyes of the blind: the LORD raiseth them that are bowed down: the LORD loveth the righteous:
9 The LORD preserveth the strangers; he relieveth the fatherless and widow: but the way of the wicked he turneth upside down.
10 The LORD shall reign for ever, even thy God, O Zion, unto all generations. Praise ye the LORD.

Ps. 146 [147]

1 Praise ye the LORD: for it is good to sing praises unto our God; for it is pleasant; and praise is comely.
2 The LORD doth build up Jerusalem: he gathereth together the outcasts of Israel.
3 He healeth the broken in heart, and bindeth up their wounds.
4 He telleth the number of the stars; he calleth them all by their names.
5 Great is our Lord, and of great power: his understanding is infinite.
6 The LORD lifteth up the meek: he casteth the wicked down to the ground.
7 Sing unto the LORD with thanksgiving; sing praise upon the harp unto our God:
8 Who covereth the heaven with clouds, who prepareth rain for the earth, who maketh grass to grow upon the mountains.
9 He giveth to the beast his food, and to the young ravens which cry.
10 He delighteth not in the strength of the horse: he taketh not pleasure in the legs of a man.
11 The LORD taketh pleasure in them that fear him, in those that hope in his mercy.
12 Praise the LORD, O Jerusalem; praise thy God, O Zion.
13 For he hath strengthened the bars of thy gates; he hath blessed thy children within thee.
14 He maketh peace in thy borders, and filleth thee with the finest of the wheat.
15 He sendeth forth his commandment upon earth: his word runneth very swiftly.
16 He giveth snow like wool: he scattereth the hoarfrost like ashes.
17 He casteth forth his ice like morsels: who can stand before his cold?
18 He sendeth out his word, and melteth them: he causeth his wind to blow, and the waters flow.
19 He showeth his word unto Jacob, his statutes and his judgments unto Israel.
20 He hath not dealt so with any nation: and as for his judgments, they have not known them. Praise ye the LORD.

Ps. 147 [148]

1 Praise ye the LORD. Praise ye the LORD from the heavens: praise him in the heights.
2 Praise ye him, all his angels: praise ye him, all his hosts.
3 Praise ye him, sun and moon: praise him, all ye stars of light.
4 Praise him, ye heavens of heavens, and ye waters that be above the heavens.
5 Let them praise the name of the LORD: for he commanded, and they were created.
6 He hath also stablished them for ever and ever: he hath made a decree which shall not pass.
7 Praise the LORD from the earth, ye dragons, and all deeps:
8 Fire, and hail; snow, and vapours; stormy wind fulfilling his word:
9 Mountains, and all hills; fruitful trees, and all cedars:
10 Beasts, and all cattle; creeping things, and flying fowl:
11 Kings of the earth, and all people; princes, and all judges of the earth:
12 Both young men, and maidens; old men, and children:
13 Let them praise the name of the LORD: for his name alone is excellent; his glory is above the earth and heaven.
14 He also exalteth the horn of his people, the praise of all his saints; even of the children of Israel, a people near unto him. Praise ye the LORD.

Ps. 148 [149]

1 Praise ye the LORD. Sing unto the LORD a new song, and his praise in the congregation of saints.
2 Let Israel rejoice in him that made him: let the children of Zion be joyful in their King.
3 Let them praise his name in the dance: let them sing praises unto him with the timbrel and harp.
4 For the LORD taketh pleasure in his people: he will beautify the meek with salvation.
5 Let the saints be joyful in glory: let them sing aloud upon their beds.
6 Let the high praises of God be in their mouth, and a two-edged sword in their hand;
7 To execute vengeance upon the heathen, and punishments upon the people;
8 To bind their kings with chains, and their nobles with fetters of iron;
9 To execute upon them the judgment written: this honour have all his saints. Praise ye the LORD.

Ps. 149 [150]

1 Praise ye the LORD. Praise God in his sanctuary: praise him in the firmament of his power.
2 Praise him for his mighty acts: praise him according to his excellent greatness.
3 Praise him with the sound of the trumpet: praise him with the psaltery and harp.
4 Praise him with the timbrel and dance: praise him with stringed instruments and organs.
5 Praise him upon the loud cymbals: praise him upon the high sounding cymbals.
6 Let every thing that hath breath praise the LORD. Praise ye the LORD.

nec ad diuinæ miſericordiæ aſylum ideo fugiendum, quia quod iubetur cum noſtro ingenio, & deprauatis affectibus non quadrat. Nam eius mandatis ſcienter reniti, eſt miſericordiam, quæ non niſi obedientibus offerri ſolet, reijcere & contemnere: & non parere imperio, quia, quod imperatur, cum noſtra pugnat indole, ſimile eſt excuſationi, quam Tobacci helluones ſuæ prætexunt intemperantiæ; quòd ab olidiſſimo fumo abſtinere nequeant, quia ſcilicet eius amore faſcinati ſunt. Et hæc eſt cuiuſlibet demum peccati excuſatio: abſtinere nolunt, quia non poſſunt: ſed, ſi verum amamus, nolunt quia non libet; inſtar pigri nebulonis, qui poſtquam in lecto iacuit, & plus, quàm ſat eſt, dormijt, ſurgere tamen non poteſt, quia propter ignauiam non libet.

Sed quum fieri non poſsit, vt offenſas condonemus, niſi habeamus charitatem; viſum eſt breuiter vitium ei contrarium deſcribere, odium ſcilicet & vindictam; vt ea ratione diuina illa virtus magis niteat, ſuiſque ſplendeat coloribus, contrario ſcilicet per diametrum oppoſito, iuxta vetus illud & verum, *Contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt.*

Odij & vindictæ vitium in hominibus à veræ fortitudinis inopia, & degenere animo proficiſcitur, in beſtijs verò & reptilibus ab ignauia. hominum autem viliſsimi & maximè degeneres ſunt reprobi, & cæleſti regi rebelles. Nam qui gratia Principis alicuius excidunt, & è terrena eijciuntur aula; longè inferiores ſunt illis, quos gratiæ ad eximios honores prouexit. Primus mortalium hoc ſcelus auſus eſt Cainus, aduerſus fratrem Abelem. nam quum de Deo ipſo, ſcilicet agente, qui, eo repudiato, fratris ſacrificium gratum habuit, vindictam ſumere non poſſet, conuerſo odio, fratrem interemit, qui patientis perſonam duntaxat ſuſtinebat. quid hinc ſequutum eſt? exlex ille & fugitiuus factus eſt, à Dei præſentia, à patris conſpectu. O fortiſsime Caine, quantum tu honoris & gloriæ conſecutus es, nobili hoc & virili patrato facinore, quòd ante alios omnes cædis exemplum dederis, & innocentem ſanguinem primus effuderis? Poſt hunc alter nobis occurrit, qui non contentus idem facere, de facto quoque gloriatus eſt, tanquam re memorabili & viro digna. & hic erat Lamech, qui vindictam ſuam coram vxoribus venditauit, vt illis (quemadmodum creditur) ſui metum incuteret. Sed ſi verum eſt, quod nonnulli è Iudæorum Rabbinis conijciunt, ille Cainum interfecit, & pro mercede maledictionem retulit, quam Deus, quum Cainum nota inſigniret, eius occiſori interminatus eſt. Vtut eſt, ſatis conſtat vtrumque damnatum fuiſſe, eorumque poſteros diluuio abſorptos. Sed ad hanc rem

rem plura exempla citare non est necesse, quum multa millia huius generis singulis sæculis occurrant.

Vnum igitur gradum descendam ab impijs ad ignauos. quanquam enim scelerati & exleges bonis & probis viris multò sint inferiores, infra sceleratos tamen sunt ignaui, quum ne inter viros quidem mereantur censeri. Est autem veritas hæc notissima & irrefragabilis, sæuiores natura esse & proniores in vindictam, ignauos fortibus. Nam ignauus nunquam se satis tutum putat ab hoste; quem si vel mortuum conspiceret abiectumque ad pedes, metueret tamen (quod in Gallico est prouerbio) ne illi in oculos insiliret. Iam infra hos descendentes fœminas intueamur, viris sanè vasa debiliora. esse has maxima ex parte pusillanimes vulgo notum est, at viris esse multò sæuiores cupidioresque vindictæ non minus extra controuersiam est.

Quòd si & ad bestias vsque descendere libeat, quo quæque est meticulosior, eo sæuiorem deprehendes & appetentiorem vindictæ: quid de Leone iudicandum sit, ex meo monemur emblemate, —*est nobilis ira Leonis, &c.* Adhæc, animalia, quæ ex rapto viuunt, plæraque omnia & generosissima, non vltionis studio, sed fame, & necessitate alimenti aguntur in prædam: at cerui, quibus natura tantum indidit metus, vt sagacis canis latratu ingentia eorum armenta, ad nescio quot milliaria, fugari soleant, aduersus hostem pro se nihil audent, nisi aut libidine acti, aut desperatione, aut vindicta; victoriam tamen, quam semel consecuti sunt, tam impotenter & crudeliter exercent, vt hostem victum, quem iam vita reliquerit, longo tempore illi non relinquant; sed exanime cadauer perpetuis fodiant vulneribus, insultantes mortuo, calcantésque.

Quò verò notior fiat pauidissimorum animalium sæuitia, vltionisque cupiditas, visum est mihi hoc loco narrare, quod à duobus ceruis in totidem viuarijs factum fuisse ex hominibus fide dignis accepi. Horum alter in paruo viuario Vicecomitis Bindonij, recentis memoriæ, quum Veneri intentus duas secum ceruas in viuarij angulo haberet, superueniente fortè custode, qui pro more viuarium obibat, fœminæ dilapsæ sunt: ceruus vnà fugiens, quum eas sistere non posset, subito videlicet pauore attonitas, custodem semel aut bis respexit, irato & minace vultu, nihil vltrà eo tempore molitus. Sed, biduo admodùm elapso, custodi viuarium obeunti insidiatus, postquam eum sensim in angustias compulisset, versùs septum viuarij, cornibus, quantum potuit, in eum inuectus est, &, fracto venabulo, multa homini inflixit vulnera, quibus secundo aut tertio post die interijt, licet ceruus eo tempore, nescio quo casu, ab eo absterritus fuerit. Alter ceruus ex

eorum

Digitized by Google

eorum numero fuit, quos Suffolciæ Comes in viuario primos concluſit. Is quum anni hora veniſſet, qua Veneris œſtrum ſentiunt, victus à maiore ſenioreque, atque ita à ceruarum coniugio abactus, ſequente vere tempus obſeruauit, quo æmulus cornua abiecerat, quæ ipſe minoris ætatis beneficio retinebat. Nec mora, matutina quadam hora eum inuaſit, primò quidem vno cuſtodum ſpectante, deinde omnibus, qui licet pedibus equiſque, quantum poterant, eum ſequerentur alterum à periculo vindicaturi, non tamen ante deſtitit eius veſtigia premere, vt leporem vrget canis, quàm plurimis eum vulneribus confeciſſet. Illum ego poſtea canum miniſterio occidi: nec alio quàm *Latronis* nomine à me & venationis comitibus inſigniebatur.

Ex omnibus autem animantibus nullum eſt inutilius humanæ vitæ, aut minus neceſſarium ſimijs, & cercopithecis, in ludibrium naturæ (vt videtur) creatis: quorum aliquos quocunque iret, circumferre ſolebat Galenus, vſibus anatomicis, propter eam, quam cum humano corpore habebant, ſimilitudinem. Nam Galeni tempore virorum aut fœminarum corpora ſecare, res erat horrenda & inhumana; quo in genere minor nunc eſt Chriſtianis religio, quàm Ethnicis tunc fuit. His animalibus tanta à natura inſita eſt ignauia, vt neminẽ inuadere aut mordere auſint, niſi fœminas, aut pueros, aut quos metu perculſos fugienteſque conſpexerint: at iniuriæ memoriam ad biennium vel triennium conſeruant, occaſionem vindictæ, quacunque poſſunt ratione, circumſpicientes. Iam ſi & ad ea quoque animalia te dimittere volueris, quæ terræ puluerem lambunt, ſerpentes dico, & reptilia venenoſa, malitiæ eorum & vltricis ingenij plenæ ſunt hiſtoriæ. Sed nihil eſt hoc in ijs noui. nam in fatis eſt, quòd *ſemen mulieris conteret caput ſerpentis, & ſerpens illius calcaneum mordebit.* Quinetiam (vt huic rei finem faciamus) ſi in loca omnium infima deſpexeris, ipſum dico infernum, Dæmonas, eius incolas, deprehendes nihil niſi malitiam & vltionem ſpirantes. Satan ab initio mendax fuit, & homicida. primum eius poſt lapſum opus fuit, in hominem, Dei imaginem, ſe vendicare, idque fraude mala, quum Deum ipſum ſupra ſuam videret malitiam, electo ad hanc rem malignæ beſtiæ, Serpentis, miniſterio. Et iam ex præcipite peccati deſcenſu, ad infernum vſque, ſatis (vt opinor) conſtat, non minùs vile eſſe, quàm graue peccatum hoc, & veræ fortitudini contrarium. Sed quum infernali carcere, vnde primitus emerſit, à nobis iam concluſum ſit, ibi ſanè deſtituatur. nos interea diuinæ illius virtutis, quæ Tartareo huic vitio oppoſita eſt, charitatis nempe, contemplatione adſpectum oblectemus.

Nec duntaxat diuina quædam virtus eſt charitas, ſed & Deus ipſe eſt charitas, quemadmodum iam dixi. * D. Paulus illas tres mag- * 1. Cor. 13.

nas

nas virtutes Theologicas recenſens, ſine quibus nemo ſaluari poteſt, non modò vnam ex ijs charitatem facit, verum etiam omnium præſtantiſſimam; abſque qua cæteræ nullius ſint pretij. & ex ijs omnibus ſola charitas habenda eſt permanens virtus. nam Fides & Spes electos, tantùm dum in terris ſunt, comitantur; Charitas nunquam eos deſerit neque in hac, neque in futura vita. Quin, ſi Deum ipſum intuearis, *miſericordia eius ſupra omnia opera eius.* at miſericordia eſt charitatis opus. Cum Deo habitat charitas: eâ veſtiuntur electi omnes, Angelique & Sancti in æternum. Neſcio quo caſu titulis meis additum fuerit nomen *Pacifici*, primo meo in Angliam ingreſſu, quum Leonis imagine, quo antehac emblemate vtebar, vera exprimatur fortitudo. ſed me huius additamenti non pudet nam in eo ipſo typus Chriſti fuit Salomon, quòd Rex *pacis* fuerit. Hoc maximum erat donum, quo Chriſtus, iam in cælos adſcenſurus, ornauit Apoſtolos, quòd *cum ijs pacem ſuam reliquerit.* Ipſemet pro perſecutoribus ſuis orauit, & (quod in prouerbio eſt) ſuam illis mortem condonauit: tamque altè charitatis ſuæ veſtigia impreſſit diſcipulo, quem amauit, quique in eius ſinu recubuit, vt nihil dixerit ille diſcipulus, nihil ſcripſerit, nihil fecerit, & quodammodo nihil ſpirarit in vita, niſi amorem & charitatem, tum Beatæ Virgini, tum Seruatori. Chriſtus in cruce cohabitationis charitatem illis commendauit, tanquam matri & filio. Et ſanè ſtilus illius, in ſcriptis omnibus, amore exuberat & charitate, nec aliud quam charitatem ſonant eius Euangelium & Epiſtolæ. Et S. Hieronymus, ætate iam decrepita, quum nec concionari poſſet nec propemodum incedere, ait ſe in concionatoris ſuggeſtum non ſemel curaſſe duci, & repetitis ſæpe verbis illis (*Paruuli amate alij alios*) vnde venerat redijſſe; & cum interrogaretur, cur eam ſententiam toties repeteret, reſpondiſſe, nouum hoc eſſe & vltimum nobis relictum à Magiſtro noſtro præceptum, &, ſi ſolum fiat, ſufficere. Sed tertium Euangelij illius caput, ſupra cætera, meretur Chriſtianorum omnium cordibus literis inſcribi marmoreis, præſertim verſus eius decimus ſextus, *Sic Deus dilexit mundum, &c.*

S. Hieronym. in Epiſt. Pauli ad Galat.

Et hîc res poſtulat, vt de Socero meo, nupero Daniæ Rege, ad æternam illius memoriam famamque hoc referam; quòd, quum literatus non fuerit, ſelectiores tamen & ſolatij pleniores Pſalmos ſua manu tranſcripſerit, libello, quem perpetuò ſecum ferebat, vt Alexander Macedo Homeri Iliada. In morte, partem illam tertij capitis Euangelij Ioannis iterum atque iterum ſibi legi voluit: qui vt hoc modo fœliciter abijt è vita, ita ſobolem numeroſam & beatam ſibi ſuperſtitem reliquit: & in prole vnius è filiabus eius ſpero Deum Opt. Max. mecum vna in re acturum, quemadmodum cum Iobo, ſi non reſtituendo

Hoc Soceri mei enchiridion D. *Petrus Iunius*, vetus meus Præceptor ſecũ attulit è Dania, & mihi oſtendit, ſubiuncta illa mortis, quam narro, hiſtoria.

endo mihi liberos quos abstulit, saltem in natis natorum meorum eos superstites conseruando: & Deum precor, vt opus hoc misericordiæ suæ, quod in me iam cœpit, prospero beet progressu.

Sed, vt ad S. Iohannem reuertamur, quàm fuerit Deo propter charitatem acceptus, ex eius morte videre est, præter multa alia virtutis documenta, quæ edidit in vita. Pacificè enim, & in lecto suo obijt, iam maturus æui; & quanquam sine Martyrij corona, quæ reliquis Apostolis contigit, Confessorum tamen omnium maximè insignis. Vt igitur diuinæ huius virtutis descriptionem finiam, ad perfectissimum illud exemplar vos remittam, quod admirabilis ille, & eruditus, & facundus Sancti spiritus amanuensis, in priore ad Corinthios epistola, nobis præformauit.

Atque ita calami penicillo repręsentata diuinissimæ huius virtutis pulchritudine, quàm poteram ad viuum, in tantis spatij angustijs, reflat nunc veris eam limitibus circumscribere, & quo pacto rectè ea vti nos oporteat, scientes, ad quos extendi debeat nostra charitas, & quibus occasionibus, & qua mensura; vt ita conditionem eam, quam Deus tanta cura à nobis exigit, nos nostra ex parte præstare valeamus. Quòd ad primam quæstionem attinet, citra controuersiam est charitatis nostræ partem omnibus hominibus, & bestijs quoque suo modo deberi. in varijs scripturæ locis misericordia nobis præcipitur * erga iumenta nostra; * *boui trituranti os non obligabis*: sed præcipuè *in* * *fidei domesticos* beneficientia nostra constare debet: deinde verò magis propriè mensuranda est nostra charitas secundum gradus, qui nos viciniùs aut remotiùs tangunt, exempli gratia, in patriam, in Magistratus ecclesiasticos vel ciuiles, in peregrinos intra fores nostras, in viduas & orphanos, in consanguineos nostros & affines, in vxores, parentes, fratres, sorores, liberos, in amicos denique, præsertim, quibus beneficio obstricti sumus. Et quemadmodum omnibus hominibus, sic omnibus occasionibus charitatem præstare tenemur, vbique parati eos iuuare, siue spirituali siue temporali opus est solatio; seu consilium nostrum expetitur, seu fortunarum nostrarum auxilium. Quibus modis dum succurrimus egentibus, præsertim autem re, charitas nostra iuxta prædictos gradus, & facultates nostras mensuranda est: alioquin eueniet, vt qui antea aliorum onera leuare potuimus, fiamus ipsi alijs onerosi. Ante omnia, omnibus, qui in nos deliquerunt, condonandum est, qua de re nunc propriè agimus. At in cunctis istis charitatis monstrandæ occasionibus is modus tenendus est, qui nos ab vtroque extremorum vindicet. quanquam enim pro omnibus orare conueniat, cum omnibus tamen conuersari non conuenit, multò minùs cum

* *Prou.12.10.*
* *1.Cor.9.9.*
* *Gal.6.10.*

omnibus amicitiam colere. Nam nemo ſui ita ſecurus ſit, vt non metuat mali ſodalitij contagium. noſtis illud, *corrumpunt bonos mores colloquia praua*: ideoque *qui ſtat videat ne cadat*; præter nominis labem quæ ex perditorum hominum ſocietate contrahitur. Ferunt ſanctum illum amoris Apoſtolum, cuius modò à nobis mentio facta eſt, Epheſum quodam tempore ad balneum aquæ calidæ * conceſſiſſe, vbi quum Cerinthum hæreticum conſpiceret, inde ſeſe proripuit illotus, metu ne balneum, in quo Cerinthus hoſtis veritatis lauaretur, corrueret. Et ſanè factum hoc nihil ab Epiſtolæ illius doctrina abſudit, *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne dicite ei, aue, ne forte participes fiatis peccati illius.* Quum igitur ſanctus hic Apoſtolus, quem tantopere Dominus dilexit, ita ſibi à malo ſodalitio metuerit, tanto æquius eſt nos cauere quanto noſtrum optimus ſpiritualibus gratiæ donis infra eum eſt.

1. Cor. 14. 33. 2. Cor. 10. 12.

Iren. aduerſ. hære. lib. 3. & Euſeb. l. 3. Eccleſi hiſt. cap. 25.

Ioan. Epiſt. 2. 10.

Similiter & hæc conditio, *vt condonemus ijs, qui in nos deliquerunt*, ſuos quoque habet limites, quibus obſeruatio illius facilior euadit. Nam Saluator mandat, vt offenſas illis toties remittamus, quoties eos offenſarum pœnitet; ita non minus illi obſtringuntur ad pœnitentiam, quàm nos ad condonationem, quanquam noſtra condonatio ab eorum pœnitentia non debeat prorſus & in totum pendere, Marc. 11. 25. *Quum ſtatis & precamini, remittite, ſiquid habetis aduerſus aliquem, vt & pater ille veſter &c.* adeo, vbi vbi vixerit debitor tuus, orare cum fructu non potes, niſi illi debitum remiſeris.

Intelligendum quoq; eſt, per noſtram remiſſionem non ligari magiſtratuum manus à pœna delinquẽtium, iuxta delictorum gradus. ſic tamen, vt zelo iuſtitiæ, non noſtris commodis aut affectibus ſeruiamus. Nec in hoc præcepto priuatis hominibus interdicitur, ne iuſto Magiſtratui ſuas deferant querelas, & compenſationem modo iniuriæ conuenientem poſcant, iuxta ſeruatoris præceptum, *Dic Eccleſiæ.* Verùm vnuſquiſque nobis amandus eſt, pluriſue aut minoris faciendus, prout eius virtutes, aut bona fama, vel ipſius erga nos affectus merebitur. Nec verò nobis interdicitur moderamen inculpatæ tutelæ, ſi quis fortè iniuſtè nos petierit aut inuaſerit. nam defenſio eſt iuris naturalis & gentium: odium duntaxat & malitiam eijcere conuenit ex animis, & puras à vindicta manus ſeruare. nam Deo ſoli, eiuſq; in terra vicarijs debetur vindicta, *mihi vindictam, ego retribuam.* Et, obſecro, qualis foret in hoc mundo humanæ vitæ conditio, ſi vnicuiq; fas eſſet in ſua cauſa iudicem agere, & ſuas vlciſci iniurias? Certum eſt Regibus aut Magiſtratibus nihil opus tunc fore, qui leges darent; nec populum opinor relinquendum, qui acciperet. paſſim enim tunc homo homini lupus euaderet, quum aliàs conditus ſit [illegible], ad mutuæ ſocietatis ſolatium.

Rom. 12. 19.

ſolatium. Maledictio ea fuit Iſmaëli denunciata vaticinio, *vt* **manus* * Gen.16.12.
eius ferretur contra omnes, & manus omnium contra eum.

At noſtri viri fortes non poſſunt tam facilè iniurias concoquere, & magiſtratui conqueri erubeſcunt. Reſpondeo, erubeſcendum tunc illis eſſe, Deo aut legibus parere, vel, quod hinc ſequitur, ſub eorum tutela viuere; ſed Gigantum & fortium venatorum more errandum eſſe illis in orbe, & viuendum ex rapto. At cui tunc vſui ſunt gladij, & qui eos ferunt? permagno ſanè, vt Deo, & Regi, & patriæ inſeruiant, & ſe inculpatè defendant, & debiliores, ſi fortè id exigit neceſſitas, à potentiorum iniurijs aſſerant. quanto cum honore produntur in ſacris literis Dauidis acta? quid non conatæ ſunt gentes, vt Herculem referrent inter Deos? Legite veteres iuramentorum formulas ab equitum 2.Chron.11.
ordinibus præſtari ſolitas, eam præcipuè *Periſcelidis* noſtræ, & quæ hodie ab vnoquoq; equite Auarato in Scotia exigitur; vel inde cernere erit, quò miſeriæ plerique in hac Inſula redacti ſint, qui ideo à Sacramento altaris abſtinent, quia ſtudium vindictæ in animis circumferunt, obliti duorum præceptorum S. Pauli, vnius, *vt ſe examinent*, alterius, *vt accedant*. Satis iſti habent ſe examinare, fortè nunquam acceſſuri: & accedendi tempus eſſe negant, donec ipſi fuerint perfecti; immemores, Chriſtum in hunc mundum veniſſe, non ſanorum, ſed ægrorum cauſa; noſq; ad eam menſam accedere debiles admodum, & malè affectos, vt ſpirituali illo & cœleſti cibo reficiamur, nihil nobiſcum eò ferentes, niſi bonâ voluntatè & emẽdationis propoſitũ. Quòd ſi ex animis vindictã nolint eijcere, quid proderit à cœna Domini abſtinere? quomodo enim orationẽ Dominicã orare poterunt, niſi debitoribus ſuis remittant? &, quod hinc ſequitur, quomodo remiſſionẽ peccatorum conſequentur, ſine qua nulla eſt ſalus? Sciant igitur, dum ſic viuunt, viũere ſe exleges, & alienos à Dei fœdere, &, ſi abſque pœnitentia moriantur, certo certius damnari. Nemo eſt fateor tam integræ vitæ, qui non opus habeat ſubitam & improuiſam mortem ſeriò deprecari, quemadmodum in noſtræ Eccleſiæ liturgia habetur; vt tempus pœnitentiæ ante mortem nacti, è corde expurgemus labem peccati, & conſcientiam exoneremus. Allicimur enim omnes, & ducimur in noſtram perniciem, à tribus illis fortiſſimis & tremendis oratoribus, Mundo, Carne, Diabolo. Quòd ſi optimus quiſq; nullam vitæ ſuæ partem periculoſæ huius militiæ immunẽ habeat, quid fiat de iſtis in profeſſa rebellione infelicem efflantibus animam, dum præcepto diuino repugnant, nec poſſunt remiſſionem peccatorum ſuorum precari? & tamen nemo iſtorum vel vnius horæ inducias habet à morte. Certè ego crederem ſubitæ mortis cogitationem tormentum fore iſtorum hominum conſcientijs perpetuum: attamen ita creuit inter nos

eorum numerus, vt non facilè sit Papistam ab Atheo hac in re discernere. nam Papistarum plerique, vt Sacramenti neglecti mulctam legibus irrogatam declinent, odij, & vindictæ prætextu vti solent.

Nunc autem, quòd in hac petitione prolixior fuerim, quàm in vlla cæterarum, à lectore beneuolo veniam non despero; tum quia remissio peccatorum (vt ante dixi) causa est, sine qua non æternæ salutis vnicuique Christiano: tum quia hæc illi adnexa conditio tam parui fieri solet in hoc sæculo, inque aula etiam negligitur, & quidem à melioris loci hominibus; sequorque in hac re Seruatoris nostri, authoris huius orationis, exemplum, qui eodem in loco, vbi hanc orationem proponit, Matth. 6. statim excurrit in fusiorem conditionis illius quæ petitioni adnectitur, interpretationem, nihil eiusmodi conatus in cæteris.

Et Ne Nos Indvcas In Tentationem, &c. Arminianis placere non potest huius petitionis figura; quam haud dubiè talem cuperent, *& ne patere nos in tentationem induci*: adderet Vorstius, *quantum, Domine, in te est, nam tua potestas non est infinita.* Cauendum tamen, ne hoc vitato incómodo in aliud incidamus, Puritanorum quorundam, qui per sequelam Deum faciunt authorem peccati: quem errorem Papistæ falsò imputant religioni nostræ, *medio itur tutiùs.* S. Augustinus optimus est huius litis arbiter, apud eum compromitto. In re tam sublimi decet vnumquemq; *sapere ad sobrietatem*, ex D. Pauli consilio Rom. 12. qui tamen ipse in tertium cœlum raptus fuit, & alta hęc mysteria, quæ non indaganda sed adoranda sunt, perspectiora sine dubio habebat. Sufficiat nobis scire, Adamum per lapsum suum excidisse libertate arbitrij, tum sibi, tum posteris suis omnibus; vt in nostrum optimo nulla ampliùs dreprehendatur cogitatio bona, nisi missa à Deo, qui ex infecta & corrupta massa per efficacem gratiã, quos vult, secernit ad opus misericordiæ; cæteros relinquens vijs suis, quæ omnes ducunt ad interitum: sic tamen vt Deus, quanquam ad se electos trahit, qui aliàs cœli compotes esse non poterant, neminem cogat à se deficere, nam *perditio tua ex te, Israel.* Ideoque dicitur Deus nos ducere in tentationem, quando à tentatione nos potente sua dextra non vindicat: ita dictus est cor Pharaonis obdurasse, quia non emollijt; similis nutrici, quæ cum paruulum habeat alumnum, primos iam tentantem gressus, si eum solum destituat, cadendi author existimatur, quia nouit absque auxilio fieri non posse, quin cadat. Tentationes verò aut nascuntur in nobis, aut extrinsecus veniunt: si in nobis nascuntur, serijs precibus & sacris meditationibus crebrò vtendum; antidota etiam peccatorum venenis, quæ in nobis sentimus germinare, adhibenda: nam *contraria contrarijs curantur.* Per-

magnum

Augusti. de prædest. Sanctorum: de dono perseuerantiæ: & contra Pelagianos, & passim alibi in suis operibus.

Hos. 13. 9.

Digitized by Google

magnum quoque est in bonis libris subsidium; permagnum in sani Theologi consilio, talis tamen, qui integræ vitæ testimonio insignis sit. Quod si ab externis causis veniant tentationes nostræ, vt si aliquis è sensibus nostris illicita capiatur voluptate, subtrahenda est illi (vt iam dixi) periculi materia. si rebus prosperis, aut aduersis in tentationem ducamur, idonea applicemus remedia; contra aduersas, nos in desperationem trahentes, patientiâ, quantum fieri potest, armati solitudinem vitemus, & à prudentibus, pijs, honestis & integris amicis consilium petamus. sin prosperis tentemur; quod genus periculosius esse solet, vt prius illud asperius; ex minimâ, quam patimur, ægritudine, & molestia nostræ naturæ fragilitatem cogitemus, sæpeque animis nostris obuersetur mortis necessitas, & sermones funebres sæpe legere, sæpe audire labor sit, *Puluis es & in puluerē reuerteris*: &, vt verbo dicam, quum tot tentatores nos sollicitent, tot tentationum occasiones horis singulis nos obsideant, extrinsecus, intrinsecus, sic vt tota hominis verè Christiani vita nihil aliud sit, quàm vnum, in perpetua hac militia, constantiæ nostræ experimentum; ratio profectò exigit, vt nobis ipsi semper excubemus, omnia facta nostra, omnesque cogitationes seuerè obseruantes. frustra aliàs Deum orabimus, ne nos inducat in tentationem, si nosmetipsos interea, quæcunque se offerat occasio, inducamus; similes illi, qui volens in luto hæret, & prætereuntis auxilium inuocat. Gen. 3.19.

Sed Libera Nos A Malo. hæc nouissima est petitio, & (vt ante monui) ex veteris Ecclesiæ calculo septima, ex vulgari horum temporum, sexta. Patrum opinione septima est, qui eam à priore (*ne nos inducas in tentationem*) ideo diuiserunt, quia hîc petimus liberari à malo; at liberatio antecedentem habet seruitutem, vel certè imminens periculum. atque ita in priore petitione optamus expediri à tentationibus futuris, in hac verò ab omni malo, siue præsente siue imminente, siue culpæ siue pœnæ, & à rerum aduersarum, quibuscunque premimur, molestijs. Sed nostra Ecclesia ramum hunc facit prægressæ petitionis, & sic partem sextæ, quia incipit à particula (ἀλλά.) quasi diceres, *Domine, ne nos inducas in tentationem, sed ab omni eiusmodi malo nos semper libera.* Siue autem septimam hanc velis petitionem siue ramum sextæ, vtraque opinio orthodoxa est, & satis idonea, licet vetustior (vt iam ostendi) plenior videatur. summa enim petitionis est, *ne ducat nos Deus in tentationem, sed à malo quolibet, vel præsente vel futuro, nos liberet.* Contextus Græcus habet (ἀπὸ τοῦ πονηροῦ) *ab improbo illo*; quibus verbis monemur, quàm necessaria nobis sit continua ad Deum oratio, vt à vetere illo, & insidioso, & inquieto hoste liberemur, qui *circundat terram instar Leonis rugientis, quærens quem deuoret.* & hac peti-

Rex infinitè potens & omnipotens. Nec ſolum *regnum* & *potentia*, verumetiam *gloria*, qua ſplendent priora ambo, illius eſt. adeo terrena regna & poteſtates, & honores (nam ſine honoribus regna omnia terrena & poteſtates vileſcunt) guttæ meræ ſunt, ex vaſto illo & immenſo hauſtæ Oceano. Cæterùm, ſi temporaria hæc forent, ſuſpicari poſſemus aliquando interitura: itaq; vt tollatur dubitatio, ſupremis hiſce, & incomparabiliter eximijs titulis ſempiterna adiungitur duratio, vt doceat *regnum* eius, & *potentiam*, & *gloriam* nec finiri olim, nec mutari, nec minui. Memores igitur, in primis quidem huius orationis verbis vocari eum à nobis *Patrem noſtrum*, vnde oritur diuini in nos amoris fiducia; in nouiſſimis verò infinitam eius poteſtatem agnoſci; certo certiùs poſſumus confidere, quòd & velit & poſſit nos audire, & votis noſtris annuere.

Subiungitur hiſce omnibus, pro concluſione. AMEN, qua voce iubemur breuiter in memoriam reuocare, quæcunq; antè petiuimus, fidum addentes votum, vt petita exoremus. quod teſtimonio eſſe poteſt quoties hac vtimur oratione, verba ipſa nos intelligere debere, contrà quàm faciunt Papiſtæ, qui docent pueros, & ignaras mulierculas hanc orationem Latinè emurmurare, aut verius corrumpere, ad Eccleſiæ intentionem. Sed ſi D. Pauli regula vera ſit, 1. Corint. 14. idiotæ hi precibus ſuis, quas non intelligunt, *Amen* ſubiungere non poſſunt. Sed non hîc tantùm ſenſit Romana Eccleſia fortunam aduerſam, quòd hac in re cum S. Paulo malè illi conueniat, verumetiam, quòd Chriſti interdicto in huius orationis proœmio aduerſetur, Mat. 6. Ibi enim inanes battologias, quales ab Ethnicis vſurpantur, condemnat, dum hoc modo præcipit orare: at Romanenſes Ethnicorum imitationem exemplo Chriſti prætulerunt; teſtatur Beatæ Virginis Roſarium, teſtantur preces ad globulos numeratæ; ſexagies vel amplius *Pater & aue* ad rauim iterata, contra Chriſti interdictum, inanes battologias damnantis. Ego certò ſcio repetitionẽ nullam excogitari poſſe inaniorem, quàm cùm non* intellecta toties repetitur oratio; inuito (vt ante dixi) D. Paulo, & auſim dicere, ſine vllo antiquitatis aut præcepto aut exemplo, multis poſt Chriſtum ſæculis. In hiſce tamẽ inanibus battologijs magna eſt, eorum iudicio, meriti materia. Obſeruandum quoq; eſt, Seruatorem noſtrum, quanquam ſuo nomine Deum voluerit à nobis compellari, ſui tamen nominis in hac oratione nuſquam meminiſſe, non quòd dubitem *Patris* nomine totã Trinitatẽm in hac oratione ſignificari; ſed quia fortè huic orationi nomen ſuum inſerere noluit, præſcius ſuperſtitionis venturorum ſæculorum, quibus multos interceſſores precibus ſuis adoptarũt, Sanctos innumeros, tam mares quàm fœminas. Certè ſub patribus noſtris tam craſſa fuit huius ſuperſtitionis

* Decem aut duodecim ab hinc annis, ſchedialma cuiuſdam Sacerdotis Anglipiemec legi, vbi multis argumentis euincere conatur Author Orationem Dominicam, & aliaseiuſmodi breues preces, vtiùs a plebe Latinè quàm vernaculè recitari, quanquam nihil illi intelligant niſi vernaculum.

Digitized by Google

nis caligo, vt magnus Theologus, ante annos admodum ſexaginta, in Academia Andreapolitana, publicè docuerit orationem Dominicam Diuæ Virgini etiam dici poſſe: vnde tanta in Academia nata eſt controuerſia, vt conuocatâ ibidem ſynodo cognoſci & definiri neceſſe fuerit. Et quantulo minor fuit in viro erudito, cuiuſmodi Bonauenturâ nouimus, ſuperſtitio, Dauidis Pſalmos de Diua virgine interpretari, & de ea intelligere, quęcunq; de Deo dicta fuerunt? & tamen, paucis abhinc annis, Lutetiæ prodijt noua famoſi illius libri editio. Sed cum Deus Opt. Max. ex infinita ſua miſericordia nos, huius Inſulæ habitatores, à tenebris illis pluſquam Ægyptijs expedierit, mirari ſubit permultorum noſtra ætate inconſtantiam, & ſtultum nouitatis ſtudium, qui Glauci & Diomedis permutationem facientes, & abiecta pura veritate, pictas amplectentes fabulas oculos intellectus occludunt, capita priori caligini rurſus immergentes, & lumen veritatis, quo vti frui poſſent, ſua ſponte recuſantes.

Finita iam noſtra in orationem Dominicam meditatione, tantùm hoc, quod promiſi, ſupereſt, vt in breuem ſummam omnia colligam; quò melior ſit intellectus, & firmior memoria earum rerum, quas oramus, & oratio noſtra viuidiùs conſignetur altiuſque imprimatur cordibus noſtris. & breuiter ita ſe habet: Imprimis inuocamus Deum ſuauiſsimo *Patris* nomine, vnde nobis oriatur ex eius amore fiducia, quòd preces noſtras exaudiet, & votis annuet. Deinde, vt reuerentiam ſibi à nobis conciliet, perſuaſumq; habeamus nihil omnituentem eius oculum latere, domiciliũ gloriæ ipſius nominamus, quod eſt in cœlis. Tum verò tria communi nomine, ad gloriam eius, ante petimus, quàm pro nobis ipſis ſigillatim quicquam oremus: In primo, noſtrum illi deferimus obſequium, optantes nomen eius ſanctificari in cœlis, & in terris, ſicut nos tunc facimus: In ſecundo poſcimus, vt regnum eius veniat, tum generatim, in altero eius aduentu; tum verò, vt Eccleſia militans interea temporis floreat, & ſinguli ſpacio à Deo præfinito illius regni compotes fiamus; interim vt illius voluntas in terris fiat, quemadmodum in cœlis; quod per modum effectus à regno Dei in terris proficiſcitur: eſtque tertia & nouiſſima vniuerſalium petitionum, pro diuinæ gloriæ propagatione, & Eccleſiæ felicitate. At ſi libeat tres iſtas petitiones paulò altiùs expendere, deprehendentur quoque ſanctiſſimæ Trinitatis nos commonefacere; Dei patris quidem, dum nomen eius ſanctificari optamus, cuius nomen nulla poteſt lingua exprimi: Dei filij, dum regnum eius precamur venire, eſt enim Rex, Sacerdos, & Propheta, & regni illius nullꝰ erit finis: Spiritus ſancti denique, cum oramus voluntatem eius in terris fieri, quemadmodum in cœlis. ille enim eſt, qui voluntates Electorum ſanctificat Deoque

que per Christum Iesum acceptas reddit.. Primæ autem nostræ petitionis primatæ materia est *Panis quotidianus*, nam ni Deus nos alat suppeditans benignè, quæ temporalis huius vitæ necessitas exigit, exspirabit prius vita nostra, quàm cultum eum, quem à nobis exigit, inchoemus; nec per repentinam mortem nobis licebit nos accingere ad iter in patriam nostram. Proximè oramus præteritorum peccatorum remissionem, vt stemus recti in curia, loti in Agni sanguine. aliàs enim pabulo hoc corporeo saginamur, velut ad victimam. Esse autem nos tanti & tam inæstimabilis beneficij capaces profelsione charitatis nostræ ostendimus, condonantes fratribus peccata iuxta illius præceptum. Tum vero horrenda præteritorum nostrorum peccatorum turpitudo, & syncera illa nostra pro ijs contritio, vnà cum debilitatis nostræ agnitione, & virium nostrarum diffidentia, orare nos faciunt, non modò ne in tam periculosas tentationes in posterum nos ducat, sed ab omni malo nos etiam liberet, & corporis & animæ, tempore præterito, præsenti, & futuro; præsertim á fæuis, & subdolis improbi illius aggressionibus. Vtque in procœmio cælestem eum patrem diximus, ad conciliandam reuerentiam, & diuini in nos amoris fiduciam; ita in Epilogo æternam eius & glorioſam omnipotentiam agnoscimus, persuasi non minùs posse eum quàm velle nos audire, & votis nostris annuere; obsignantes omnia sigillo, AMEN, vt per illam fidei, quæ in nobis est, exiguam micam conualescant vota nostra; quòd verè præstiturus sit nobis Deus, quæcunque petimus, cui ego alterum subiungo AMEN: etiam fiat Domine IESV.

FINIS.

LONDINI,
Apud Bonhamum Nortonium, & Ioannem Billium, *Typographos Regios.*
M.DC.XIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google